BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
36 M G
29

C. 51 f.

MANVALE
IN SANCTVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM,

IOANNIS BENCE
Doctoris Sorbonici ac Congregationis Oratorij IESV CHRISTI
Presbyteri.

LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII LANDRY.

M. DCXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO.

CVM intellectus humanus ad rerum diuinarum cognitionem cæcutiat, multo magis quam oculus ad lumen Solis, voluisti mi Iesu qui prima veritas, lux, verbum, & sapientia Patris, illas nobis patefacere magis ad honorandum; quam ad speculandum, tanquam superiores omni lumine creato submittentes, & captiuantes intellectum in tuum obsequium, & Ecclesiæ tuæ, per quam illas nobis proponis. Et quia non clare & humanis sensibus accommodatè loqueris, veteris quasi quibusdam organis authoribus sacris & doctoribus vt per eos verbum tuum ad nostras aures perueniat, dum tu ipse cor moues & illustras animum, suauiter & fortiter inclinans ad credendum & sic subijciendum, vt se etiam

captiuum delectetur. Et quamuis ex sex primis quos vocasti, sim omnium minimus congregationis tui Oratorij, mihi tamen hanc gratiam non denegasti, vt quotidie pro munere sacros Euangelistas legerem: da quæso vt eodem Spiritu quo de te scripserunt, vt te notum facerent, illorum sensum quem breui retuli ab ijs qui planius videntur assequuti, Ecclesiæ tuæ legendum proponam, vt hoc Manuale te duce, & auspice in lucem prodeat ad gloriã tuam & congregationis tibi summo sacerdoti deuotæ vtilitatem. Regiâ vt quondam alias manu ad vetus tuum testamentum describendum desideraretur; & calamus scribæ velociter scribentis quo me miserum in manibus tuis descripsisti, & vt aureis literis vel minimus apex scriberetur; vel certe vt absconderentur in corde meo hæc eloquia tua. Sed liceat mihi per te, mi Iesu, qualecumque illud sit, tibi ex toto corde meo offerre, vt illud perficias & si quam ego, si quam alij veritatis lucem & gratiam, accepturi sint, tibi hanc refero nunc & in perpetuum.

BEATÆ

BEATÆ DEI GENITRICI Mariæ ſemper Virgini.

TAM longè latéque diffuſum eſt tuum dominium Virgo Dei genitrix, ex quo Dei filius ſe tibi ſubditum reddidit, vt Angeli & homines vniuerſi te Dominam agnoſcant & venerentur. Parum eſt ſi ego Congregationis tuæ ſeruus vel minimus, audeo nunc tuis in ea ſacris altaribus hoc Manuale quaſi manipulum primitiarum appendere, in teſtimonium perpetuum fidelitatis & obſeruantiæ erga te meæ, in quo in vnum quaſi faſciculum collecta, & tua & Ieſu Chriſti filij tui Domini noſtri verba æternæ vitæ reperies. In quibus tanquam in exemplari omnium virtutum ſpecies elucet & forma benè beatéque viuendi. Si exinde vberior & ditior fructus aliquis in poſterum naſcatur vt me totum tibi debeo, ſic iam illum, & meipſum totum tibi do, dico, voueo.

REVERENDISSIMIS

DOMINIS D. AC Patribus Societatis Sorbonicæ.

Ioannes Bence Oratorij Presbyter S.

MEMINI me pendentem ex ore vestro non semel audiuisse vos desiderantes vt in vnum volumen redigerentur quæ sparsim multi multis scripserunt, tum in scholastica, tũ in Theologia morali: hoc ego socius vester vel minimus conatus assequi in quatuor Euangelistas: Ecce vobis offero in Ioannem omnium interpretum sententias maxime recentiorum quos legi & elegi; vt quem quisque sequi maluerit inoffenso pede breui percurrat, aliis non neglectis qui fusius expatiari videbũtur. Si vobis vtcumque hac in parte morem gessi, vel nescius (Deo sic me credo dirigente suo spiritu) etsi absoluto iam opere huius vestri consilij sim recordatus post annos ferme viginti, vestrum tamen est, & sic à vobis tueri se iure quodam

postu

postulat; sicq; gestit sub vestris auspiciis, se foueri, vt vestro tamen, & totius facultatis se totum submittat tam alto Consilio hominum lectissimorũ & orbis doctissimorũ. Quos summi Pontifices; quos Ecclesiæ præsules. Quos nostri Reges Christianissimi & exterarum nationum viri Principes in rebus dubiis consulunt, ex quorum iudicio pendent quotquot libros de orthodoxa fide scripserunt. Ego vero eo lubentius facio quo me magis deuinctum sentio vestra omnium erga me charitate qua me & præsentem & absentem complexi estis in hac vestra, verè dicam religiosa sine voto domo, hãc si fregero tesseram hospitalem arguar nõ immerito violatæ fidei, quod vt Deus auertat, hoc ego Manuali dextram iungo, & velut arrham in perpetuum fidelitatis & obseruantiæ meæ & totius Oratorij nostri erga vos testimonium offero, in quo me vobis quandiu vita viuam, obsequentissimum fore spondeo.

AD LECTOREM.

HAbes amice Lector in hoc manuali ad meditandum & ad concionandum, varios flores sententiarum in vnum velut fasciculum collectos ex variis authoribus, quorum nomina in sequenti pagina tibi descripsi, & in calce modum meditandi sacram Scripturam, ne in singulis versiculis repetere & durum & onerosum videretur. Si tibi gratum spargunt odorem, illis tribue. Si te delectus delectet, vides quam latissimus campus ad sic legendum nobis est apertus si Deus dederit. Sed vita breuis spem nos vetat inchoare longam. interim hos carpe & lege. nullus sapit hæresim; gratiores elige. Et authori Deo gratias redde.

AVCTO

AVCTORES VNDE exceptus est hic liber.

Ambrosius.
Auctor Imperf.
Augustinus.
Basilius.
Beda.
Chrysostomus.
Cyrillus.
Epiphanius.
Euthymius.
Glosa ordinaria.
Gregorius.
Hieronymus.
Hilarius.
Iansenius.
Iræneus.
Leontius.
Maldonatus.
Oecumenius.
Origenes.
Rupertus.
Strabus.
Tertullianus.
Thomas.
Toletus.
Theophylactus.

APPROBATIO.

DOctum sanè & pium, proindeque vtile & dignum quod omnium quibus vt eo vti possint datum est, manibus teratur, est istud *Manuale, à Reuerendo Patre Ioanne Bence S.T. Doctore Parisiensi Congregationis Oratorij Presbytero* compilatum & elaboratum. Ad fidem & ad mores omnia conformia. Actum Lugduni tertio Aprilis 1626.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
Ep. Damasci.

IDem sentit & iudicat Librorum approbationi incumbere iussus in hac Diœcesi Lugdunensi.

DEVILLE.

Manus

MAnus & cordis hæc est amica confœderatio, vt venâ quâdam sanguinem communicante, coniugantur & consocientur. Quod certè naturam imitatus obseruauit *R. P. Io. Bence, auctor huius Manualis:* In cordis fundo, excepit genuinam veramque Euangeliorum explicationem, quam liberaliter & syncerè ad manum atque calamum, vt inde per singulorum manus ad omnium corda perueniat, effluere passus est. Conclusit in hoc manuali quod à Theologis supra scriptis approbatum nostro item calculo probamus atque vt in lucem edatur permittimus. Lugduni die 15. Aprilis 1626.

MENARD Vic.Gen.Subst.

SVM

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos sex, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, excudendum vendendumque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur, *Manuale in Sanctum Iesu Christi Domini nostri Euangelium*, IOANNIS BENCE, *Doctoris Sorbonici, ac Congregationis Oratorij Iesu Christi Presbyteri*, præter CLAVDIVM LANDRY, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate regia omnibus suis subditis, eumdem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti CLAVDII LANDRY, idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum apud S. Germanum die 3. Octob. 1615. Regni nostri decimoseptimo.

De mandato Regis,

Signatum

SENAVLT.

INDEX

INDEX
ET SVMMA
CAPITVM.
IN MATTHÆVM.

Cap. 1. EXITVR *genealogia Christi.*
2. *Adoratur à Magis.*
3. *Praedicat & baptizat Ioãnes.*
4. *Ieiunat & tẽtatur in deserto.*
5. *Disserit in quibus sita sit beatitudo.*
6. *Quomodo facienda eleemosyna, oratio, & ieiunium.*
7. *Non temere iudicandum, nec Margaritas mittendas ante porcos.*
8. *Leprosum sanat, puerum Centurionis & socrum Petri.*
9. *Curat agros, docet inscios.*
10. *Verbi administrationem docet.*
11. *Praeconium fert de Ioanne.*
12. *Excusat discipulos, sanat aegrotos.*
13. *Parabolas varias edisserit.*
14. *Ioanne interempto it in desertum, sequitur eum turba.*
15. *Arguit Pharisaeos, sanat filiam Chananaeae.*
16. *Negat Pharisaeis signum cœleste, Petro claues promittit.*
17. *Transfiguratur, lunaticũ curat, soluit vectigal.*
18. *Docet humilitatem, vitandum scandalum.*
19. *Vxorem non dimittendam, mandata Dei obseruanda.*
20. *De Operariis in vinea.*

21.

21. *Venit asino in Ierusalē, eiicit de tēplo ementes.*
22. *Parabola de nuptiis, de censu dando Cæsari.*
23. *Execratur Pharisæorum hypocrisim.*
24. *Mala præcurrentia mundi consummationem.*
25. *Indicat per parabolas seueritatē futuri iudicij.*
26. *Traditur à Iuda, capitur à Iudæis.*
27. *Condemnatus crucifigitur & sepelitur.*
28. *Resurrectio nunciatur ab Angelo.*

IN MARCVM.

Cap. 1. IEsus baptizatur, tētatur, vocat discipulos.
2. *Sanat Paraclitum, vocat Matthæum. excusat discipulos.*
3. *Curat manum aridam, prædicat turbis, discipulos instituit.*
4. *Parabola de semine & grano sinapis.*
5. *Dæmoniacum, & sanguisluam sanam puellam suscitat.*
6. *A suis cōtēnitur, pro Ioāne decollato habetur.*
7. *Curat dæmoniacum & mutum.*
8. *Satiat turbam, corripit discipulos.*
9. *Transfiguratur, dæmoniacum curat, humilitatem docet.*
10. *Repudium prohibet, paruulos suscipit.*
11. *Ierusalem ingreditur.*
12. *Parabola de vinea.*
13. *De Consummatione mundi.*
14. *Post cœnam capitur.*
15. *Condemnatus crucifigitur & sepelitur.*
16. *Resurgit & in cœlos ascendit.*

IN LVCAM.

Cap. 1. COncipit & parit Elizabeth, visitatur à matre Dei.
2. *Nascitur Christus, circunciditur. Puer docet in*

in templo.

3. *Baptizatur à Ioanne pœnitentiam prædicãte.*
4. *Tentatur à Diabolo, docet in synagoga, eiicit dæmonia.*
5. *Concionatur ex naui, edit miracula.*
6. *Excusat discipulos, sanat manum aridam & docet Euangelij pietatem.*
7. *Sanat puerum Cẽturionis, suscitat filiũ viduæ.*
8. *Dicit parabolam de semine, sedat mare, liberat dæmoniacum.*
9. *Instituit Apostolos ad docendum, cibat turbam pane.*
10. *Mittit discipulos, tentatur à legisperito.*
11. *Præscribit formam orandi.*
12. *Docet non timendam esse mortem corporis, & paratum seruum.*
13. *Hortatur ad pœnitentiam.*
14. *Curat Hydropicum, docet humilitatem.*
15. *Pœnitentiam Angelos lætificare.*
16. *Proximo subueniendum, Deo soli seruiendum.*
17. *Cauendum à scandalo, remittendam offensam.*
18. *Docet orare.*
19. *Excipitur à Zachæo.*
20. *Disceptat cum Iudæis æmulis suis.*
21. *Viduæ oblationem prefert.*
22. *Post cœnam capitur.*
23. *Morti adiudicatus crucifigitur.*
24. *Resurrectio probatur multis argumentis.*

IN IOANNEM.

Cap. 1. *VErbum Dei æternum, vita, & lux caro factum est.*
2. *Mutat aquam in vinum in nuptiis, & eiicit vendentes & ementes de templo.*

3. *Nico*

3. *Nicodemum docet mysteria fidei, & Ioannes Baptista de Christo testimonium exhibet.*
4. *Mulieri Samaritanæ innotescit Christus & filium reguli sanat.*
5. *Sanato in Sabbato paralytico disputat cum Iudæis.*
6. *Cibat corpus & animam.*
7. *Probat Christus diuinitatem.*
8. *Adulteram mulierem absoluit, iterum docet in templo, & lapidantium se manibus eripit.*
9. *Cæco nato visum restituit.*
10. *Disserit de vero pastore & ouibus.*
11. *Lazarum resuscitat.*
12. *Vngitur à Maria & insidens asino intrat Ierusalem.*
13. *Lauat pedes discipulorum.*
14. *Sermo Domini post cœnam.*
15. *Continuatio Sermonis.*
16. *Continuatio Sermonis.*
17. *Oratio Iesu ad Patrem.*
18. *Capitur in horto & accusatur.*
19. *Flagellatus & coronatus traditur crucifigendus.*
20. *Resurrexit Christus, & apparet Magdalenæ, & congregatis in domo discipulis.*
21. *Apparet discipulis ad mare Galilææ: Petrum Vicarium relinquit.*

MANVALE IN SANCTVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

EVANGELIVM interpretatur *Bonum Nuncium*, seu *Annunciatio Saluatoris*. Nam Scriptores originis factorum, dictorum, Passionum Domini Iesu Christi dicti sunt Euangelistæ. Quid enim his bonis nunciatis fiat æquale? Deus in terra, homo in cœlo, amicitia Dei facta ad nostram naturam, prolixum solutum prælium, diabolus confusus, mors soluta, paradisus apertus: & hæc omnia supra dignitatem nostram, & cum facilitate nobis data sunt, non quia laborauimus, sed quia dilecti sumus à Deo. ait S. Chrisc. in Matth.

Euangelista autem est, qui Euangelicam Spiritu sancto dictante, scripsit historiam, & ab

Ecclesia Catholica probatus est.

Habent ergo quatuor Euangelistæ tantam auctoritatem quantam habet Spiritus sanctus, cuius in scribendo tantùm fuerunt amanuenses. Nec enim literæ nostræ auctoritatem habent quia à seruo scriptæ, sed quia à nobis dictatæ sunt.

Non plures autem quàm quatuor recipit Ecclesia, quia non plures inuenit diuino scripsisse spiritu. quod quatuor tantum sint terræ partes per quas deferendum erat Euangelium, & quatuor flumina Paradisi. Et in Ezechiele sub figura quatuor animalium demonstrantur.

Matthæus scripsit primus octo annis post ascẽsionem Christi suis popularibus Hebræo sermone, cæteri Græco. Marcus decem post annis, Lucas quindecim, Ioannes triginta duobus.

Qua autem ratione impulsi ad scribendum, S. Lucas cap. 1. significat, quod videret multos conatos esse Euangelium scribere qui parum fideliter id præstitissent. Ioannes aliam refert: *Hæc*, inquit, *scripta sunt vt credatis quia Iesus est Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Tertia causa est, vt ij quibus prædicauerant, scripto haberent, quæ viua voce Apostolos loquentes audiuerant, ne aut obliuiscerentur, aut secus interpretarentur quàm dicta fuerant. Quarta, vt quod præsentibus prædicauerant, absentibus per Scripturam prædicarent. Sic enim in omnem terram exiuit sonus eorum. Ex Psal

Matthæus in homine intelligitur, quia circa humanitatem Christi præcipuè immoratur: Marcus in Leone quia agit de resurrectione:

Lucas

Lucas in Vitulo agens de Sacerdotio: Ioannes in Aquila scribens sacramenta Diuinitatis. Christus vero quem describunt, homo fuit de Virgine natus: Vitulus in immolatione: Leo in Resurrectione: Aquila in Ascensione. Vel in homine humanitas, in Vitulo Sacerdotium: in Leone Regnum: in Aquila exprimitur Diuinitatis sacramentum. Ex Amb. in Luc.

CAPVT PRIMVM.

Texitur genealogia Christi.

1. LIBER *generationis Iesu Christi filij Dauid.*] Liber est quasi apotheca gratiarum, in quo omnis homo quod necesse habet inuenit. ait Chrysostomus: quia Deum hominem factum esse, totius est dispensationis summa & radix bonorum omnium. In principio satis declarat se agere de humanitate Christi, cum incipiat à carnali generatione. Hieron. generationis singulariter dicit, quamuis multi per ordinem explicentur: quia vnius tantum Christi generatio quæritur, propter quam cæteræ hic inducuntur. Glossa non diuinam proponit narrare generationem quod impossibile est, vt Esaias ait, sed humanam; quamuis & hæc ex magna parte sit inenarrabilis: sed illa tota ineffabilis est, quia etsi dicitur filius à Patre genitus: tamen qualiter, nec Apostolus, nec propheta nouit, nec Angelus. Hic est liber ille inquit Hieron. intus & foris scriptus, hic secretus & publicus.

Hic apertus & opertus, hic paginis superioribus videndus, interioribus non videndus, quia incomprehẽsibilis: intus siquidem scriptus est, cum propheta *Esa.* 53. dicat *Generationem eius quis enarrabit?* foris scriptus est, cum Euangelista ait *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid,* intus scribitur cum Deus dicit *Eructauit cor meum Verbum bonum: Ps.* 44. foris scribitur cũ Esaias *c.*7. vaticinatur: *Ecce Virgo concipiet.* intus scribitur, cum per Ioannem dicitur: *In principio erat Verbum:* foris per Matthæum: Christi autem generatio sic erat. Scribamus & nos intus credendo, foris confitendo: foris per sanctam conuersationem, intus per dilectionem: foris glorificando & portando Deum in corpore nostro & stigmata Domini nostri Iesu Christi. *Gal 6.* Hic liber est factorum grandium, rerum illustrium quæ Iesus Christus filius Dauid & Abraham in mundo gessit: sic enim sumitur vox *generatio* aliquando, vt *Gen.6. Hæ sunt Generationes Noë,* id est grandia ac illustria facta eius. hæc est, oppositа generationi Adam. Illa duxit nos ad damnationem, hæc ad reparationem. Illa de paradiso eduxit, hæc reduxit ait Anselmus: liber ergo hic est, totius vitæ Christi argumentum, vel Genealogiæ initium, vel libri titulus. Ex August.

Iesu Christi.] Iesus Saluatorem significat, de quo infra. Christus Græce, Latine vnctus, Hebraice Messias dicitur *Ioan.*1. & 8. & *Ps.*83. Et in hoc vocabulo explicatur fons & origo, ex qua in Redemptore nostro emanauit efficacia ad saluandum genus humanum. Illa autem est gratia vnionis personalis, quæ extitit causa gratiæ habitualis & omnium charismatum, quibus

bus anima Christi mirifice exornata fuit. Et quod ista communicatio gratię diuinæ in Christo Iesu significetur per vnctionem patet, *Psal.* 44. & *Esa.* 61. Itaque idem pollet Iesus Christus, ac si diceres Saluator qui ex vnctione & efficacia diuinæ gratiæ habēt virtutem ad saluandum. Est autem vnctus Spiritu sancto. *Act.* 10. Et ab hoc vocabulo Christiani nomen sortiti sumus vt patet *Act.* 11. quasi à Christo Iesu vncti Spiritus sancti vnctionibus, suo sanguine quasi oleo puriſſimo deliniti, ab ipso Saluatore nostro regale nomen vendicamus, nam olim apud Hebræos, Reges Christi appellati sunt: & ideo à D. Petro præclaris titulis decoramur Christiani, cum ait: *Vos autem populus acquisitionis.* i. acquisitus à Deo per Christum, *Gens sancta, Regale sacerdotium*: vtpote filij Iesu Christi, qui & Rex, & Sacerdos est: nam filius Dauid Regis, & Abraham qui Sacerdotij munere functus est: huic ergo Christo ex progenie Dauid & Abraham suum dedicat librum Matthæus, cum ait: *Liber Generationis Iesu Christi*, quoniam omnia opera nostra Deo offerre debemus, vt Psalmista 44.

Filij Dauid, filij Abraham.] Iuxta morē scripturæ appellantis filios, eos qui sunt pronepotes remoti ducentes originem ab aliquo, vt Iudæi dicuntur filij Israël *Exod.* 15. Horum autem duorum potiſſimum filius dicitur. Primo quia ad istos duos Patres facta est promiſſio Messiæ, cum iuramento quasi Incarnatio filij Dei esset merces ipsorum propter eximia eorum merita: *Per memetipsum iurauī dicit Dominus: in semine tuo benedicentur omnes gentes Gen.* 12. & 22. quem locum Paulus de Christo ex-

plicat ad *Gal.* 3. similiter de Dauid *Psal.* 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Secundo quia isti patres plus noti atque recepti in ore omnium Iudæorum, quibus Matthæus scribit, versabantur. hinc discamus aduersarios fidei deuincere per easdem veritates quas ipsi admittunt. Prius autem nominat Dauid quam Abraham. Primo ne si prius Abrahamum quam Dauidem nominaret, ei rursus nominandus esset Abrahamus, vt ab eo generationis series duceretur, & iterum à Dauide ad Abrahamum, & ab Abrahamo rursum ad Dauidem redire cogeretur. ita Hieron. Secundo quia etsi vtrique promissio facta esset, promissio tamen Dauidis recentior & honorificentior, ideoque Iudæis gratior erat. Ita *Chrysost. & Theophyl.* 3. quia Christus non solum ducturus erat originem à Dauid sed & in vico Dauid *Mich.* 5. *Ioan.* 7. 4. quia Christus sæpe vocatur Dauid *Hieron.* 23. *Ezech.* 34. *Osea* 3. *Matth.* 22. & 15. *Luc.* 18. 5. quia Dauid fuit magis expressa figura Christi qui pastor & Rex fuit *Esa.* 33. & *Ioan.* 10. Quæres ad quem referatur secundus genitiuus *filij?* Maldon. ad Dauid, ad Christum vero referendum putat Hieron.

2. *Abraham autem genuit Isaac.*] Non facit mentionem Ismaëlis nec Esau filij Isaac, vel quia vitiosi, vel potius quia Iudæi ab illis non descenderunt, sed ab Isaac. ex Theoph.

Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.] Fratres Iudæ ideo nominat, non quia Christi parentes, sed quia Patriarchæ suæ quisque tribus fuerunt, & tanquam regni eius conditores. vt notat Chrysost.

Esau

Esau non nominat, quia reiectus à Deo *Malach.* 1.

3. 4. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.*] Zaram nominat vt fœcunditatem Iudaici populi designet, quia vno partu editi ex Ambros. Vel vt significet duos populos Iudaicum & Gentilem. legem & Euangelium ex Chrysost. & Theophyl. Vel quia parum abfuit quin Christi parens esset & primogenitus, prior enim manum extra vterum protulerat, qua retracta prior Phares euasit. Notandum in Christi genealogia excepta S. Virgine Maria nullam sanctarum assumi mulierum; sed quas scriptura reprehendit, quia ad peccatores venerat vt omniũ peccata deleret ex Hier. simul ne puderet Ecclesiam de peccatoribus congregari, cum Dominus de peccatoribus nasceretur: postremo ne quis putaret originis maculam impedimento esse posse virtuti ex Ambros. in Luc. cap. 3. Aliæ autem mulieres non nominantur, quia & Iudææ & legitimæ vxores fuerunt: ideoque necesse non fuit eas nominari, quia dubium non erat quin filij quos refert Euangelista, ex illis geniti essent. ex Mald.

5. *Salmon autem genuit Booz, de Rahab.*] Quidam dubitant an fuerit illa Rahab quæ Hebræos exploratores excepit vt Theophyl. alij eandem esse putant. quidam cauponariam faciunt, alij meretricem. vt D. Paulus *Heb.* 11. *& Iac. cap.* 2. Cur autem Salmon eam duxerit cum esset & meretrix & alienigena? Respondetur, quia recesserat ab errore & à via praua, & lege prohibitum non erat alienigenas ducere quia alienigenæ erant sed quia idololatræ: hæc enim est legis ratio.

Obed autem genuit Ieſſe.] Iſte alio nomine vocatus eſt *Iſai.* 1. *Reg.* 16. ſed nomen Ieſſe hic ponitur, quia de ipſo hîc agitur prout Chriſtus deſcendit ab eo *Eſa.* 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe*, ideo ex nomine Ieſſe hic poſito oſtenditur iſta prophetia completa fuiſſe.

6. *Ieſſe autem genuit Dauid Regem.*] Dubitatur quomodo inter Salmonem & Dauidem non niſi tres viri Booz, Obed & Ieſſe numerentur, cum fluxerint 366. anni. Lyranus reſpondet tres fuiſſe qui nomine Booz vocabantur, alium continenter poſt alium. Alij dicunt quod iſti quatuor ſcilicet Salmon, Booz, Obed, Ieſſe adæquant totum prædictum tempus, nam quilibet potuit viuere annum & dimidium ſupra 90. Cum plures Reges numerentur ſolus Dauid Rex cognominatur, quia primus fuit electus in Regem ſecundum beneplacitum diuinum & propter excellentiam ſanctitatis ſuæ, & quia illius Regnum erat perpetuo duraturum. Gloſſa.

Ex ea quæ fuit Vriæ.] Tacetur nomen Bethſabee, & exprimitur vir eius qui fuit iuſtus & bonus 1. *Reg.* 11. Et quia notior erat ex marito: vel quia conſcia fuit necis mariti, vt ait Remigius. Vel vt oſtendatur Salomonem natum ex Bethſabee, quæ quamuis vxor ante fuiſſet Vriæ, tamen non erat tum, ſed legitima Dauidis vxor, ne quis Salomonem ex adulterio progenitum ſuſpicaretur. Mald.

7. *Salomon autem genuit Roboam.*] Sub Roboam diuiſum eſt regnum Iudæorum in duo regna 1. *Reg.* 12. quia decem tribus receſſerunt ab eo, & adhæſerunt Ieroboam, & tunc dictum eſt regnum Iſraël, duæ autem tribus quæ

remã

remanserunt ipsi Roboam dictæ sunt regnum Iuda. Glossa.

8. 9. *Ioram autem genuit Oziam.*] Nota quod Ioram nõ Oziam sed Ochosiam genuit, Ochosias Ioam, Ioas Amasiam, Amazias Oziam. qui & Azarias dicitur vt notat Lyran. Consulto autem istos tres Reges Ochosiam, Ioam, Amasiam omisit Euangelista; quia volebat tres tessaradecades texere, Patriarcharum, Regum, & Ducum. Et ideo in hac secunda tessaradecade; id est, quaterdena omisit tres Reges, vt essent tantum quatuordecim generationes in illa, & non superfluerent hæ tres trium regum generationes. ex Hieronym. Isti autem Reges specialiter sunt omissi propter impietatem Ioram; qui duxit vxorem Idololatram filiam Amri ex genere Achab iniquissimi Regis, & hi solum Reges recensentur qui vel habuerunt patrem vel filium Dei cultorem, vel ipse talis fuit, vt notat Ansel. Vel dicendum non propter sua, nec propter parentum suorum peccata ex cathalogo Christi deletos. Vel propter promissionem Dei qui per Eliam ei comminatus fuerat se omnem eius progeniem deleturum. 3. *Reg* 11. Sed dices quomodo saluatur veritas Euangelij dicentis genuit Oziam? Respondetur quod per generationem mediatam factam à pronepote, illa sententia verificatur. sic dicitur Adam omnes homines genuisse, non per se sed per filios.

10. 11. *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius.*] Quæres quomodo Iosias dicatur Iechoniam genuisse, cum non numeretur inter quatuor filios nempe Iohanam qui & Ioachaz dicebatur, Ioacim, Sedeciam qui ante Matha-

tias dicebatur Sellum. quos refert sacra Scriptura, 1. *Par.* 3. 4. *Reg.* 13. 2. *Par.* 36. Respondet S. Ambros. & August. Ioacim filium Iosiæ alio nomine dictum fuisse Iechoniam. Alij credunt corruptum esse locum & legendum *Iosias autem genuit Ioacim.* Et vnam generationem desiderari vt Ambros. Epiphan. Eutym. non quidem in prima tessaradecade, quæ ab Abrahamo vsque ad Dauidem texitur, sed in angulo quo secunda & tertia connectuntur. Quod si secundam tessaradecadem à Salomone vsque ad Iechoniam illum numeremus qui hoc loco pater fuisse dicitur Salathielis, tertiæ tessaradecadi hæc vna deerit generatio. Si vero Iechoniam patrem Salathielis, qui sub Regibus & Rex ipse fuit, in tertia tessaradecade numeremus deerit secundæ. alij putant non in secunda, nec in tertia sed in vtriusque confinio deesse, & hæc verba requiri inter vtramque tessaradecadem: Ioacim autem genuit Iechoniam: quæ ideo ad neutram tessaradecadem pertinent, quia iam Ioacim (aut Iechonias) in secunda numeratus fuerat; & Iechonias statim in tertia numeratur. Ita *August. lib. 2. de cons. Euang. cap.* 4. Quidam putant hanc generationem ab Euangelista de industria prætermissam, vt Pseudo-Chrysost. Alij omissam dicunt propter similitudinem nominis, quod cum Iechonias & pater & filius vocaretur, bis erat à lectore idem nomen repetendum. Sic August. Alij scriptorum vitio & ignoratione factum affirmant, vt post hæc verba *Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis*; hæc intercederint *Iechonias autem genuit Iechoniam:* Cum enim Iechoniæ nomen quater repeteretur, scriptores ignorantes patrem & filium vocari

cari Iechoniam, & putantes redundare, prætermiserunt. Ita Epiphan. In secta Epicureorum. Alij putant non deesse hæc, *Iechonias autem genuit Iechoniam*, sed hæc *Ioacim autem genuit Iechoniam*; & totum locum sic restituendum: *Iosias autem genuit Ioacim & fratres eius in transmigratione Babylonis.* Ita Mald. & Stapul.

Et fratres eius in transmigratione Babylonis.] Fratres ponit quorum similis vt iniquitas & miseria Glos. & Remig. Et quia etsi ex illis non propagatus est Christus, tamen omnes Christi regnum tenuerunt. Ex 4. *Reg.* 23. 24. *&* 25. *&* 2. *Par.* 36. Illos non in transmigratione genuit Iosias; non enim transmigrauit, sed secundum prædestinationem Dei ad transmigrandum, ad hoc enim nati sunt vt pro suis & aliorum peccatis captiui ducerentur Glos. & Remig. vnde in Græco legitur ἐπὶ τῆ μετοικεσίας. Sub transmigrationē, id est, paulo ante, quamuis interfuerint 36. anni & tres menses à natali die Ioacim ad transmigrationem. sed hoc totum spatium vocatur tempus transmigrationis, quia comparatione regni breue est, & quia regnum Iuda nondum conciderat sed nutabat.

12. 13. 14. 15. *Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel.*] In ipsa captiuitate, ram facta transmigratione. At quomodo filios in carcere vinctus procreauit? Respondetur Euilmerodach filium Nabuchodonosoris post obitum patris eduxisse è carcere Iechoniam & regio habitu habuisse 37. anno transmigrationis quo tempore filios habuit, qui ideo in terram quam ignorabant proiecti dicuntur Hier. cap. 12. In quo notandum diuina promissa nullo casu impediri posse; Radix enim

Iesse quæ velut euulsa & emortua videbatur, de nouo florere incipit. Non enim vocatur sterilis à Ieremia, quia filios non habuerit sed quia nemo ex eis regnauit, quod attinet ad regni successionem, perinde est ac si sterilis fuisset. Ex Maldon.

16. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.*] Aliquot hic sunt difficultates non omittendæ apud Mald. Prima est, si Christus non fuit filius Ioseph, quid attinet ad illum Ioseph genealogia? Respondetur Ioseph & Mariam eiusdem fuisse tribus atque familiæ, ideoque Euangelistæ, Ioseph genealogiam recensentes, Mariæ quoque ac proinde Christi recensent. Ita Iren. lib. 3. *cap.* 18. *Athan. lib. contra Iud.* Ambros. in Luc. *lib.* 3. & August. *qq in lib. Iud. q.* 47. & Matthæus vocat Christum filium Dauidis, non poterat autem esse filius Dauidis nisi per matrem cum patrem hominem non haberet. Et quamuis Maria cognata Elizabeth fuerit quæ erat ex filiabus Aaron, non tamen fuit ex tribu Leui, quia aliquis ex tribu Iuda & familia Dauidis aliquam ex tribu Leui vxorem duxerat, vnde B. Virgo originem traxit ex August. *quæst.* 47. *in lib. Iud.*

Secunda difficultas est, cur non potius ad Mariam quam ad Ioseph genealogiam deduxerunt. Respondetur primo, quia Hebræi non solebant genealogias per mulieres ducere: & additur legem fuisse vt ex sua quisque tribu vxorem duceret. *Num.* 36. ne hæreditates ab vna tribu, in aliam auerterentur, quam legem Ioseph cum esset vir iustus seruauit. Ex Hieron. Ambros. & August. locis supradictis. Maldon. ait B. Virginem Ioseph, tanquam maximè omnium

nium propinquo non solum sponte sed etiam necessitate legis traditam fuisse; Et legem illam non solum de eadem tribu sed etiam de eadem familia intelligi debere, vt cum mulier aliqua paternæ hæreditatis sola hæres esset, non posset nisi eiusdem familiæ viro & quidem propinquissimo nubere. Quæ omnia fecerunt vt Euangelistæ contenti fuerint Ioseph, genealogiam demonstrasse, quam certum ac notum erat eandem esse Mariæ. Et in hac re consentiunt Matth. & Lucas. Dissentiunt vero primum quod Matthæus Ioseph filium Iacob: Lucas Heli fuisse dicat. Respondet *August. lib. 2. qq. Euang. q. 5.* Heli apud Lucam dici patrem Ioseph, non quod pater sed quod socer esset paterque B. Virginis, idem qui Ioachim alio nomine vocari soleat: Iacob autem quod vere pater esset. Secundo, respondet Ioseph vnius quidem natura alterius autem adoptione filium fuisse vt Ephraim & Manasses *Gen 48.* Tertio, Ioseph filium fuisse alterius naturalem: alterius legalem Iacob enim & Heli fuisse fratres, quorum alter ducta vxore sine liberis decessisset; alter vt lex iubebat ex ducta vidua Iosephum suscepit, qui propterea nunc illius qui vere ipsum genuit, nunc illius, ex cuius vxore genitus est filius appelletur: ex *Hieron. & Ambros. lib. 3. in Luc.* Et quidem Iacob naturalis, Heli legalis fuit pater.

Secundo dissentiunt quod à Ioseph vsque ad Zorobabel, & à Salathiele vsque ad Dauid Lucas diuersos prorsus parentes Christi numerat atque Matthæus. Respondetur primo, multos fuisse binomios. Secundo, quod Matthæus regale Christi genus, Lucas Sacerdotale narrat.

hic

sic Augustt. & Ambros. Tertio, quod vnus Euangelista naturalem, alter legalem Christi originem narret. Matthæus quidem naturalem, Lucas legalem.

Tertio dissentiunt quod Matthæus à Ioseph vsque ad Zorobabel non numerat nisi nouem, Lucas vero duodeuiginti, qui dicunt Lucam naturales, Matthæum legales numerare qui pauciores quam naturales esse solent, nodum facile soluunt: sed credibilius est eos quos Matthæus quam eos quos Lucas enumerat longioris fuisse vitæ ex Ambros. & Augustt. adde quod Matthæus tres Reges *versu* 8. prætermisit de industria.

Quarto dissentiunt quod Matthæus dicat Salatielem filium fuisse Iechoniæ: Lucas Neri. Respondet Lyranus Salathielem Iechoniæ natura: Neri vero adoptione esse filium. alij dicunt Euangelistam Lucam cum venisset ad Salathielem, qui maternũ tantum ex Nathan ortum trahebat; noluisse eius matrem propter scripturarum consuetudinem; sed eius auum patris loco numerare.

Quinto, quod Matthæus consistat in Abraham Lucas ad Adam & ad Deum vsque perueniat. quidam respondent Lucam voluisse ostendere Christum non alium habuisse patrem nisi Deum, ideoque ad Deum vsque peruenisse. Matthæum vero habuisse rationem promissionum quæ Dauidi & Abrahamo factæ sunt ita Ambros *lib.1.in Luc.* & Theophyl. Alij voluisse Lucam diligentiam & fidem probare, originem Christi deducendo ab ipsa mundi origine. Alij voluisse peruenire ad Adamum, qui primam causam Aduentus Christi peccando præbuerat.

Ex

Et ad primam promissionem de venturo Christo factam *ipsa conteret caput tuum*; vt ait Epiph. *hæresi* 51. Alij respexisse ad modum generationis vtriusque: Adam enim ex terra Virgine formatus: Christus ex Virgine Maria; solum vterque Deum patrem habuit. Alij voluisse Christi, aduentum non ad causas naturales sed ad æternam reuocare, hoc est qui fuit Dei: nam prædestinatus erat ab omni æternitate filius Dei *Rom.* 2 & ab origine mundi Agnus occidebatur *Apoc.* 13. 6. Dissentiunt quod Matthæus à parentibus ad filios descendendo: Lucas à filiis ad parentes ascendendo progrediatur. Respondetur consuetudinem Hebræorum esse vt in recensendis genealogiis ab eo incipiat quod postremum in ore fuit. Matthæus ergo cum ob eas causas quas exposuimus Abraham vltimo loco nominasset ab eo vsque ad Christum processit. Lucas vero cum dixisset *ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta* ab eo exorsus filius vt putabatur Ioseph qui fuit Heli, &c. vsque ad Deum ascendendo progressus est, vt notat Maldon.

17. *Omnes itaque generationes.*] Diuisit omnes generationes in tres tessaradecades eo quod Matth. voluit triplicem populi statum sub Iudicibus, sub Regibus, & sub Ducibus, & Sacerdotibus designare. & significare voluisse Deum antequam filium suum mitteret, omnes vias tentare vt populum suum per homines gubernaret, & in officio contineret per Iudices, Reges, Duces, & Sacerdotes; & cum nihil profeciset, misisse filium suum, vt notat Chrysostom. *hom.* 4. *in Matth.* hæ 42. generationes respondent 42. mansionibus, quibus filij Israël ex

Ægypto

Ægypto vsque ad terram promissionis peruenerunt, ex Orig. *Hom.17.in Num. & Hier. Epist. ad Fabiolam.*

18. *Christi autem generatio sic erat.*] Multi Græci codices legunt IESV CHRISTI: & quidam natiuitatem potius quam generationem reddunt. *Sic erat*, id est, non sic vt patrum præcedentium. Ex Chrysost.

Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.] Quidã putant B. Virginem Mariam cum Christum concepit, nondum fuisse nuptam sed desponsam, ideoque nondum illam Ioseph domum duxisse, vt Orig. Hilar. Alij melius iam tum fuisse nuptam: voluit enim Spiritus sanctus Christum ex nupta nasci, vt illius honori consuleretur. Nam Ioseph vocatur vir eius. & Maria γυνὴ vxor Ioseph. Ita Chrysost. hom.1. Et desponsata & domi habita, nam in ea quæ extra domum concepit suspecta coniunctio: magis ergo voluit dominus, vt haberet mater eius maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur. Vocat autem Matthæus Mariam μνηστευθεῖσαν sponsam, non quod non ducta non esset, sed quod non magis à viro cognita quam sponsæ quæ nondum nuptæ sunt vt ait idem Chrysost. Ideoque iam tum cum Christus conceptus fuit, inter Ioseph & Mariam verum erat matrimonium, ex *August. lib. 5. contra Iulianum & lib. 1. de nupt. & concup. cap.* 11. Voluit autem Christus nasci ex nupta, vt per Ioseph eius origo ostenderetur vel vt is esset testis castitatis, Mariæ, & ne stupri rea putaretur maluit aliquos de sua generatione quam de matris pudore dubitare, ait Ambros. & ne ipse spurius videretur, & ideo à Iudæis

tanquam

tanquam Messias non reciperetur; & vt partus diabolo occultaretur Glos.

Antequam conuenirent.] Id est, cum eam non cognouisset, nam voluit Matthæus rationem reddere cur voluerit Ioseph occultè Mariam dimittere, quia inuenta est in vtero habens antequam conuenirent. non quod postea conuenerint; sic enim dicimus, antequam eum pœniteret mortuus est, vel antequam in portu prandaret nauigauit; ex Hieron. contra Heluidium.

Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.] Ideſt Ioseph non solum grauidam vterum gerentem seu prægnantem, Mariam deprehendit qui licentia pene maritali omnia nouerat, vt ait Hieron. vel non vestigando, non quærendo, non tactu sed visu eoque purissimo vt Chrys. sed etiam eam de Spiritu sancto concepisse, vt Basil. homil. de humana Christi generatione, Orig. & Theophyl. Auctor vero operis Imperf. ait non id certo cognouisse sed dubitasse an diuinitus concepisset. Sed ex consequentibus videtur manifestum eum ignorasse, & propterea voluit eam dimittere, & docetur ab Angelo. *Ver.* 20. quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. non quod pater fuerit Christi, sed quod virtute Spiritus sancti, & de potestate non ex substantia factum sit, vt sine viro Virgo conciperet. non enim vt sceleratissime quidam putauerunt Spiritus sanctus pro semine fuit, ex August. *serm. de temp.* 191. Sed qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariam de Spiritu Sancto, ex eodem *serm. de Natiuit.* Etsi vero vna persona nominatur in opere, vniuersa tamen operari Trinitas intelligitur, ex eodem in Enchir. cap. 38. Insinuat autem

hic nativitatis modus gratiam Dei qua homo nullis præcedentibus meritis Verbo Dei copulatus est in personæ vnitate, ex August. *ibid. in Ench. cap.*, 8. vt Christus ex Maria Virgine natus est, sic Christianus ex virgine Ecclesia. quæ Virgo & mater sine macula & ruga vt Maria, vt Christus ex semine Virginis & Spiritu sancto natus est: sic Christianus oportet ex aqua & Spiritu sancto renascatur. vt notant Ambros. August. & Leo.

19. *Ioseph autem vir eius cum esset iustus.*] Vir dicitur, quia sponsus erat vero matrimonio: iustus est cõscientia castitatis seruans innocentem quã sciebat inculpabilẽ, sed vnde vel quid esset ignorabat. Elegit ergo effugiendi viam, vt nec innocentem proderet, nec rei incognitæ consentiendo se reum faceret coram Deo. Glos. hanc causam reddi ait cur noluerit eam traducere, quia erat vir iustus. eandem reddi dicunt Hieron. Ambros. Theophyl. Alij putant causam reddi cur voluerit dimittere, nempe quod iustus esset nolletque quam adulteram suspicabatur retinere. Ita Chrysost. quia noluit eam accusare quod iustitia vt priuata virtus est permittebat, sed quod iustitia quatenus charitatem & omnes virtutes in se continet postulabat; fecit.

Et nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam.] Græc. propalare, diuulgare, exemplare, vertit August. quod Ioseph feciſſet si in iudicium vocasset, vt ream adulterij. eodem verbo vsus est D. Paulus *Iterum crucifigentes filium Dei*, παραδειγματίζοντες, & publicæ ignominiæ exponentes & ostentui habentes, ad *Heb. 6.* Quidam putant ideo dimittere voluisse quod videret,

ret, eam de Spiritu sancto concepisse, & se indignum eius consortio iudicaret, sic Petrus dixit: *Exi à me Domine quia homo peccator sum.* Luc. 5. & Centurio *Matth.* 8. Ita Orig hom 1. & Bern. super *Missus est Angel.* Alij ideo dimittere voluisse quod adulteram suspicaretur. Vt Chrys. & August. *serm. de Natiuit. & 16. & 18.* Æstuabat secum disputans si prodo, vitium crudelitatis incurro, si taceo, male consentio, quia ergo tacere malum, adulterium prodere peius, dimittam. hæc August. Alij medium tenent, non iudicasse Ioseph, ex adulterio Virginem concepisse, sed vnde aut quo modo concepisset dubitasse, & quia non ex se concepisse certo sciebat dimittere voluisse. Ita Glos. & Pseudo Chrysost.

21. *Hæc autem eo cogitante.*] Quomodo eam occultè dimitteret, vel occultè dando libellum repudij vt putat Abul. vel secedendo in aliam regionem specie peregrinationis.

Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.] Matthæus significat Deum expectasse oportunum temporis articulum vt Angelum mitteret, ea fuit diuina prouidentia quæ Petrum & Thomam permisit circa fidem cadere ne nos caderemus. Ea expectauit donec Ioseph de Mariæ virginitate dubitaret, ne nos dubitaremus ait Bernard. Mariæ vigilanti apparuit, quia fides & consensus ab ea erat requirendus: Ioseph vero dormienti, quia satis erat virum fidelem & iustum dormientem monere. Et facilius quæ facta sunt, fieri posse diuinitus credimus quam quæ sunt facienda. Ipsa Virgo vt se infamiæ periculo & Iosephum siniſtra suspicione liberaret non monet, quia forte pro se loquenti non credidisset. Ex Chrysost. *hom.* 1.

Noli

Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.] Id est, nõ dubites, acceptam retinere, quia quod in ea conceptum & genitum est, non est vt suspicaris ex adulterio. In quo non solum timorem aufert sed lætitiam addit. ex Chrysost.

21. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.*] Vt ne quis dicat, & vnde tibi credam quod ex Spiritu sancto est? dicit de futuro, quod paritura sit filium. Nam si de hoc verum dixero manifestum quod & hoc quod ex Spiritu sancto, verum est. Non dixit autem pariet tibi, sed simpliciter pariet: non enim peperit illi, sed toti orbi nobis datus nobis natus. ex Theophyl. Notandum sæpius patres quam matres solitos filiis nomen imponere. Et vt hic dicitur Ioseph, ita apud Lucam Mariæ dicitur cap. 1. In quo Ioseph um voluit patris officio honorare. Et probare de cœlo conceptum, cui de cœlo nomen imponeretur. vt Isaac *Gen.* 17. *& Ioanni Luc* 1. Et ex nomine ipso doceri qualis sit qui conceptus est, infans ille scilicet missus qui populum suum à peccatis liberaturus erat.

Nomen enim IESVS Salutem aut Seruatorem significat: aliis hoc nomen commune erat & casu datum: Christo proprium & diuino consilio communicatum; quo eius natura diuina simul & humana, & redemptoris officium dignissimum declaratur. *Act* 2 *& Phil.* 2. Et cum Propheta dixit vocandum Emanuelem, voluit significare quod res eo nomine significata illi conueniret. Isa. 1. & 60. vere enim nobiscum Deus. & Ierem. 23. vere Dominus iustus noster, non sono sed sensu ait Tertul.

22. *Hoc autem totum factum est vt adimpleretur.*]

vetur.] Sunt qui hæc verba adhuc loquentis Angeli esse putant vt Chrysost. & Theoph. alij Euangelistæ qui voluit vt iis quæ Angelus dixerat fides adhiberetur in omnibus, quod Virgo conceperit, quod infans nondum natus vocetur IESVS.

23. *Ecce Virgo in vtero habebit.*] Intendit Matthæus probare Christum esse verum Messiam in lege promissum, & prædictum à prophetis. Primum quia ex Dauid: secundo quia deberet nasci ex Virgine. Iudæi obiiciunt primo apud *Isa. cap.* 7. legi non Virginem sed adolescentulam. At Hieron. in hunc locum ait nunquam in scriptura legi haalma quin significet Virginem absconditam & diligenter custoditam. Secundo obiiciunt non esse sensum fore vt virgo manens virgo, sed vt quæ ante virgo erat, postea viro nupta ex eo concipiat. quod absurdum est, alioqui nullum esset miraculum hoc, nullum signum, at propheta signum hoc, idque inauditum præbere voluit, propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum *Ecce Virgo concipiet:* sic Iustin. contra Tryphon. Tert. aduersus Iudæ. Cyril. Alexand. & Chrysost. in *Isa. cap.* 1. Tertio obiiciunt hoc dictum esse de vxore Regis Achaz: at iam regnabat Achaz: alij de vxore Isaiæ, sed neque virgo erat; nec filium peperit, qui Emmanuel vocatus sit. Quarto obiiciunt, quod non potuit dari signum Achaz: quod videri ipse non posset. At signum non dabatur Achaz sed domui Dauid, quæ & ad Christum vsque erat duratura: & Christum ipsum paritura. Ex Mald.

Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.] In Isaia legitur vocabis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cabis: i[illegible] ...ep[illegible] non verba sed sententiam cit[illegible] ex Hieron. Dicitur vero *nobiscum Deus* non solum quia auxilium dat & peccata delet, sed quia in homine Deus: quia *Verbum caro factum est & habitauit in nobis*, quia in terris visus est, quia communicauit carni & sanguini *Heb.*2. vt notat Chrysost. *in Isa.*59.

24 *Exurgens autē Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini: & accepit coniugē suam.*] Perfecta obedientia fecit enim non solum quæ præcepit sed sicut præcepit Glos. Non in domum accepit, nondum enim dimiserat, sed in animum de quo deposuerat, ex Chrys. vel accepit celebratis nuptiis, ex Remig.

25. *Et non cognoscebat eam.*] Quidam exponunt de cognitione faciei, dicentes quod ex præsentia Christi in vtero Virginis tanta erat claritas in eius facie, quod Ioseph non poterat eam cognoscere, vt de Moyse dicitur 2.*Cor.*3.*ex Lyran. & Hilar.* Alij de cognitione carnali: quia cum ea vouerat virginitatem vt Hieron. Alij dicunt non cognouisse, post partum vero cognouisse, non eius quidem corpus, sed animam, virtutem, sanctitatem, sic Epiphanius aduersus Ebion. Alij cognoscere idem esse dicunt quod vxorem habere: nam ante inquiunt sponsa erat, postea in nomen transiuit vxoris, non quod marito coniuncta fuerit, sed quod peperit, vt faciunt vxores. Ita Hilar.

Donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum.] Donec, vsque, sæpe in scriptura significat infinitum tempus vt donec consenescatis ego sum, nunquid post non erit Deus? Item *vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth.*28. nunquid post abscedet?

Item

Item oportet regnare donec ponat inimicos, & nunquid post regnare desistet, nempe indicauit Euangelista non eam cognitam vsque ad partum, vt magis intelligeremus non fuisse cognitam post. hæc Hieron. & Chrysost. primogenitum dicitur, ante quem nullus, post quem non alius. Interl. vel omne quod aperit vuluam, siue aliud sequatur siue non Glos. nam si primogenitus non est nisi quem sequuntur fratres, non deberentur sacerdotibus primogenita, donec alia essent procreata ex Hieron. Nota non dici primogenitum suum, vt significaret filium esse Mariæ, primogenitum autem Dei. *Ipse enim est primogenitus omnis creaturæ*, *Col.* 1. & primogenitus ex mortuis, & primogenitus in multis fratribus. *Roman.* 8. vt infert Epiphan. *hæres.* 78. tamen Paulus ad *Heb.* 6. primogenitum Dei pro vnigenito Christum appellauit. Et Matth. addidit epithetū *primogenitum*, vt significaret non solum concepisse Virginem sed etiam peperisse. Nam de conceptu dixerat *antequam conuenirent inuenta est habens de Spiritu sancto.* De partu nunc dicit: *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*, id est, cum eam non cognouisset, peperit filium suum primogenitum. eo quod solus vuluam aperuit, qui solus clausam inuenit, ex Tertul.

CAPVT II.

Adoratur à Magis.

1. *CVm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis Regis.*] Euangelista locum

locum simul & tempus & euenta recensetur propter certitudinem historiæ, locum propter prophetiam Micheæ, tempus vero Herodis Regis alienigenæ propter prophetiam Iacob, vt nimirum ostendat tempus tum fuisse vt secundum illius prophetiam Christus expectatus nasceretur. Græci codices legunt Iudææ, ita Chrysost & Euthym. sed Hieronymus asserit Iudææ pro Iuda vitiose legi. Iudæa enim tota terra duodecim tribuum vocatur: Iuda vero sola sors tribus Iudæ in qua erat illa Bethlehẽ, vbi Dauid & Christus natus est, ad distinctionem alterius Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon: & non distinxisset Matth. si dixisset in Bethlehem Iudææ, nam vtraque erat in Iudæa sed non in Iuda. Alius fuit Herodes qui Ioannem interfecit & Christum irrisit: & alius qui Iacobum interemit. Hic Herodes primus Magnus Ascalonita Antipater dictus est, cui primo Romani Regis Iudęæ titulũ dederunt. Matthæus non numerat annos per Cæsares vt Lucas, quia agebat de regno Herodis cuius verum successorem natum dixerat. Regis dixit ad distinctionem Tetrarchæ de quo cap. 14. vt notat Maldon. & quod Herodes alienigena regnaret indicat sceptrum de Iuda fuisse, & exactũ fuisse tempus quo ex prophetia Iacob Gen. 49. Christus erat venturus. Ex Chrysost. & Theoph.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.] Confestim vt natus est & ex improuiso, vt ciuitatis commotio declarat. Non parua autem quæstio est qui fuerint illi Magi. dicendũ non præstigiatores seu incantatores qui rerum species immutant sed qui inspectione syderum futura prædicunt naturæ sagacitate, seu sapientes

& apud

& apud Persas Magis dici vt apud Græcos Philosophos, apud Indos Brachmanes, apud Gallos Druidas, satis notum, quia stella sunt ducti quasi homines qui vitã in stellarum obseruatione transigebant. At non ita clarum an Reges fuerint. Chrys. Hom. 6. Hyl. Hier. & Aug. Reges fuisse dicunt, & Ecclesia non certa & Catholica fide sed probabili opinione credit non illos quidem Tharsis aut Persarum nobilissimos, sed tamen principes qui Regum aut regulorum nomen merentur vt illi Ioan. *cap.* 4. *& Iob* 2. *& Marc.* 6. Rex qui Tetrarcha erat dicitur Herodis filius. Et ex eo coniicitur quod ab Oriẽte vsque veniant quod priuati Philosophi non fecissent: quod Regem natum adoraturi, quod facere soli solent principes: quod thesauros habuerint: quod ab Herode simul vt venerunt comprehensi non sunt, & in crucem acti: quod ipse quoque Herodes dicat se iturum esse cum vbi sit intellexerit; quamuis simulate. Insinuat tamen omnes Reges debere nouum Regem adorare. Euangelista autem Reges non appellat, sed Magos, quia voluit tacite rationẽ reddere cur ex stella natũ esse cognouissent vt notat Mald. fuisse autem tres, etsi non certa tamen probabili cõiectura ex donorum numero colligitur: Nam credibilius est diuersa quã eadẽ omnes munera dedisse. Ex Aug. *Ser.* 27. *& 33. de tẽpore*: sunt qui quatuordecim, alij duodecim fuisse dicũt, vt Author operis Imper. Multi ex Arabia venisse putant, vt *Iustin. in Tryph. Cyp. Serm. de stella*, quia Arabia auro, & Sabæa thure & odoribus abundat: alij ex Chaldæa vt Chrys. Alij ex Persida vt *Chrys. hom.* 7. Cyril. Alex. *lib.* 4. In Isa. quia nomen ipsum

Magorum Persicum est; & quia dicantur ab Oriente venisse qui Persicam legem seruant cũ Regem adorant & non sine munere adeunt. Quando autem venerint. Epiph. *hær.*30. ait duobus annis post natum Christum. Ecclesia vero affirmat decimotertio die post natũ Christum venisse, sic Aug. *ser.* 1.2.*&*3. *de Epiph.* Et Leo. Et particula, *Ecce*, indicat post Christi natalem statim Magorum aduentum secutum fuisse. Et quia certum est Ioseph & Mariam nõ mansisse in Bethlehem supra quadraginta dies Purificationis, qui ex lege præscripti erant. *Leuit.* 12. statim enim venerunt in Ierusalem vt sisterent eum Domino *Luc* 2. Et statim redierunt in Galilæam: Magi autem Christum in Bethlehem inuenerunt: signum ergo est ante quadragesimum à Natali diem Magos venisse. Profecti autem sunt duobus annis ex Patria ante natalem ex Aug. *ser.*7. de Epiph. & quidam aiunt stellam ante duos annos Magis apparuisse, non tamen statim profectos eos fuisse Aug. *ser.* 32. de tempore ait eos non nisi nato iam Christo ex patria discessisse; cum autem decimotertio post die credantur adorasse, sequitur non vltra octo aut nouem dies in itinere posuisse. Nam credibile est non eodem die quo stellam viderunt eos discessisse. Et Hierosolymis dum Herodes eos interrogat & scribas & Sacerdotes consulunt; duos ad minimum fluxisse dies, tam breui autem tempore venire potuerunt quia ex proximis Persarum finibus venerunt qui ab Hierusalem non distant vltra ducentas leucas: & quia camelis vsi sunt: qui quamuis onerati quadraginta leucas quotidie conficiunt, vel id factum est diuina

vir

virtute & prouidentia ex Remig. Cur autē Hierosolymam venerunt cum in Bethlehem à stella ducerentur? quidam putant stellam prope Ierosolymam disparuisse, vt natum regem in vrbe Regia nuntiarent, ne Iudei ignorare possent quod Gentilium testimonio didicissent. Ex Amb. *lib. 2. in Luc.* Et Aug. *ser. 30.* & *31.* de tempor. Chry. & Theoph. Alij existimant prius Magos Ierosolymam venire voluisse, vt de nato interrogarent rege; Ideoque stellam sese occultasse vt qui humanum quærebant cōsilium diuinum amitterent ducem sic Ber. Alij diuino id factum consilio vt Iudæi essent inexcusabiles. Ex Hier. Et vt prius à Gentibus quam à Iudæis Christus Rex natus annuntiaretur, ne Iudæorum testimonium de suo rege suspectum esset ex Basil. Et vt gloria Christi magis effulgeret testimonium perhibentibus Magis, qui plus aduersarij erant Deo ex Theoph.

2. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?*] non dubitantes interrogant, an natus sit, sed certi, tanquam à Deo docti natum asserunt: Et sic loquuntur quasi omnes natum esse sciant, ad Iudæorum confusionem qui à Gentibus Christi natiuitatem discunt. Et fictitio à Romanis Herodi Regi non legitimo & naturali, naturalem opponunt dicentes *qui natus est*: Glos.

Vidimus enim stellam eius.] Natiuitatis Dominicæ nunciam ait Hier. vnam fuisse de numero cæterarum quæ sunt in firmamento, & quæ ad conducendum Magos descendit, asserit Greg. Nyss. *in hom. de Christi Incarnatione*: Alij non fuisse veram stellam, sed similitudinem stellæ, vt Chrys. *hom. 6. Basil. hom. de Chri. gener. Amb. l. 2. In Luc. c. 2. Aug. ser. 30. de temp.* Quidam

dicunt fuisse Spiritum sanctum qui stellæ specie descendit: alij Angelum qui stellæ speciem induit vt Autor *lib. de mirabilibus sacræ script.* Alij cometam: alij veram stellam. Quando autem sit visa, non est certum. Quidam putant duobus annis antequam Christus nasceretur ex Eutym. Alij vno anno ante. Alij aliquanto ante vt Chrys. Alij eo ipso die quo Christus natus est, vt August. *ser. 4. de Epiph.* Vbi vero viderint non conuenit: sunt qui putant non in Oriente sed in Occidente stellam apparuisse: Alij in ipso illis primum Oriente apparuisse, & viæ ducem fuisse. At quomodo visa stella Christum natum esse cognouerint, minus certum. Autor operis imperf. ait in stella similitudinem pueri fuisse qui Magos allocutus Christum natum docuit: alij naturali astrorum scientia cõiecisse, quod refellit Chrys. & Aug. restat vt reuelatione cognouerint facta per dæmones ex *Hier. in Isa.* 19. Alij per Angelos factam malunt vt Aug. *ser. de Epiph.* Alij intrinsecus à Deo. Ex Aug. *ser.* 34. *de tempore.* Et ex Prophetia Baalam iam diu cognouisse Christo nascente stellam orituram: *Orietur stella* ex *Iacob.* Ita Orig. Amb. Chrysost. Hier. vt qui in stellarum obseruatione versabantur ex stellis Christum agnoscerent. ex Glos.

Et venimus adorare eum.] Non solo cultu ciuili & vrbano sed latriæ, quo homo Deus agnoscitur & colitur. Ex Athan. *l. de Incar.*

4. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, & congregans omnes Principes.*] Non solum propter se timuit sed propter iram Romanorum: decreuerant enim Romani, ne quis Rex vel Deus sine eorum con

consilio diceretur. Glos.

Quæres cum vnus tantum sit princeps Sacerdotum quomodo multi dicantur. Respondent Principes appellari omnes qui summi Sacerdotes aliquando fuissent, erant enim annui Ita Chrys. & Theoph. Alij dicũt quod vnus erat & multi, vnus summus qui absolute princeps Sacerdotum aut Pontifex vocabatur. Multi qui erant capita familiarum Sacerdotalium. 1. *par.* 15.

Et scribas populi sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur.] Scribæ erant Notarij publici, qui ex officio publica instrumenta conficiebãt & sacras scripturas incorruptas conseruabant; & earum sensum aperiebant. 4. *Reg.* 22. *Esd.* 7. Iidem legis periti dicebantur. Ex Theoph.

6. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda.*] Propheta vero dicit in Bethlehem Ephrata: sunt qui dicunt Euangelistas sæpe citare scripturas aliis verbis, & alio sensu citant. Hier. Epist. ad Pam Mach. sed male: nam putat Euangelistam, non quod propheta dixerit, sed quid Sacerdotes, & scribæ, vt in illis notaret ignorantiam scripturarum. Et quidem non verba Prophetæ sed Sacerdotum & Scribarum interpretationem recitare voluisse, quæ talis fuit. *Et tu Bethlehem Ephrata*, id est terra Iudæ: Hæc enim Bethlehem Olim Ephrata dicta fuerat. Quia ergo alia erat Bethlehem in tribu Zabulon, quæ Ephrata non dicebatur; addidit hoc epithetum, vt hanc Bethlehem ab illa distingueret: Sacerdotis vero epithetum Prophetæ alio clariore epitheto explicare voluerunt: *Et tu Bethlehem Ephrata.* Id est quæ est terra Iuda, nõ Zabulon vt doceant sensum prophetæ

esse non in ea Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, sed in ea quæ erat in tribu Iudæ Christum nasciturum, id enim Herodes magnopere putabat sua interesse. Quod autem sequitur apud Prophetam minima es vt sis sic exposuerunt quasi ironice locutus fuisset: Minima quidem videris si murorum tuorum spectetur ambitus: at nequaquam minima es: *Ex te enim exiet dux* &c. In millibus interpretati sunt in ducibus quia in hebr. vtrumque significat & duces & mille; quia duces sæpe mille hominibus præerant Ex.18. Et significauit etiam paruum oppidum vnum iam præstantissimum ducem Danidem protulisse, alterum vero longe præstantiorem Christum prolaturum. Prophetæ dixit *qui dominetur*, & Euangelista *qui regat* ποιμανεῖ pascet quia non vocauerunt ποιμενα pastorem sed ἡγέμονα ducem eum quo verbum regat melius conuenit quam pascet. hæc Mald.

7. *Tunc Herodes clam diligenter didicit ab eis tempus stellæ.*] Videns quia non poterat Magos, nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt consentirent in interfectionem regis futuri; ideo illos decipere cogitauit: occulte autem vocauit eos vt non viderent Iudæi quos habebat suspectos, ne forte quasi Regem suæ gentis amantes, proderent consilium eius, diligenter didicit ab eis tempus quo primum stella apparere cœpisset. Hæc Chrys.

8. *Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate.*] Deuotionem promittebat, & per eam gladium acuebat, & malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat ait Chrys. *Ho.1.*

Ad

Ad renuntiandum inuitat, vt alacrius per eum redeant; & ne Iudæi quia Rex eorum futurus erat occultent. Glos.

10. *Videntes autem stellam*] Ex hoc ostenditur quia cum stella deduxisset Magos prope Hierusalem abscondita est ab eis. Ex Chrys. Et vt Christo plenum redderet obsequium temperat gradum donec Magos perduceret ad puerum ait Aug. *ser. de Epiph.* & lætantur non quod stellam viderint quam sæpe iam viderat, sed quod Christum, quem quærebant inuenerint: stella gratiam significat, quam per peccatum amittimus; à quo qui recesserit per pœnitentiam mox gratiam inuenit: Remig. Vel est illuminatio fidei quæ ad Christum ducit Glos.

11. *Et intrantes domum inuenerunt puerum.*] sunt qui dicunt Magos duobus post Christum natum annis venisse, & non in stabulo sed in domo inuenisse vt Epiph. *Hier.* 32. & Theoph. Alij in præsepi inuenisse & adorasse vt Chrys. & *Aug. ser.* 1. & 2. *de Epiph.* Alij non in præsepi sed honestiore loco; suadet pietas Ioseph & Mariæ eos commodiorem quæsiuisse.

Cum Maria matre eius.] Ioseph tunc forte domi non erat: vel mysterio tribuendum, vt non inueniretur ne Christi pater putaretur: Nam pastores ipso die natiuitatis inuenerunt puerum cum Ioseph & Maria.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrhã.] Reges Orientales solent cum muneribus adorare, Magis tamen id diuina inspiratione factũ est ad significandum in Christo Regiam potestatem; diuinam maiestatem, & humanam mortalitatem. Regi aurum, Deo Thus, homini

myrrham. Glos. vel aurum pauperi, Myrrha consolidandis infantilibus membris, thus loci fœtori mitigando, datum putat Bern. Non singuli singula, sed singuli tria obtulerunt ex Remig. alij incertum relinquunt vt Strabus, hunc thesaurum Maria & Ioseph Deo consecrarunt.

12. *Per aliam viam reuersi sunt.*] Non sunt scandalizati dicentes, quid necesse est occultè recedere, fides non quærit causas præcepti ait Chry. In Hom. apparet consuluisse Dominum quid facere deberent, dubios an ad Herodem redeundum esset. Sa.

13. *Qui cum recessissent, ecce Angelus.*] Cum rumor de puero inciperet dilatari. Impleto purgationis tempore prius, & Christo oblato in Hierusalem. Inter. & Raban.

14. *Qui consurgens accepit puerum.*] Ideſt cum statim post visum expergefactus euigilasset, accepit puerum, & de nocte fugit. Probabile est prope fuisse carnifices qui quærebant puerum, quando iubetur nocte fugere, fugerũt autem, non ex Bethlehem sed ex Nazareth quæ erat in Galilæa ex Luc. 2. Cur vero in Ægyptum, ratio est quia est extra Herodis dominatum: Et quia sic à Propheta prædictum erat. Osee 11. Et quia in aduersis Ægyptus erat confugium Iudæorum. *Gen.* 46. 4. *Reg.* 25. Non dicit accipe Matrem & puerum eius, sed è conuerso, quia non propter matrem puer natus est, sed propter puerum mater præparata est ait Chrys. *Hom.* 2.

15. *Et erat ibi vsque ad obitum Herodis.*] Septem annos mansisse in Ægypto refert Glos. tres *Niceph. l.* 1. *c.* 14. Duos Epiph. *Her.* 51.

Et

Et certum est neque plures septem, neque pauciores quatuor ex Mald. In qua vrbe manserit incertum est. Probabile Christo ingrediente in Ægyptum idola corruisse ex Hier. Et Christo infanti Hermopolim Ægypti vrbem ingredienti præcelsa arbor inclinata est ex *Sesom. l. 5. c.* 20. cauendum ab Alcorano Mahumeti: & à libro de infantia Saluatoris ex Hier.

Vt adimpleretur quod dictum est.] vt, non causam, sed euentum significat, quod alibi sæpe obseruat Chrys. dicitur autem impleta Prophetia, quia populus in Ægypto exulans, Christi ibidem exulaturi figura dici potuit: significat verò Matthæus illam Prophetiam proprie ac perfectè in populo, qui proprie filius non erat impleri non potuisse: In Christo autem qui proprie & naturaliter filius erat perfectè impletam esse. *Ex Ægypto vocaui filium meum* τὰ τέκνα αὐτῦ filios eius vt verterunt Septuag.

16. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis.*] *Tunc*, non significat temporis momentum hoc loco, quia inter Magorum discessum & puerorum cædem aliquantum intercessit temporis. Quia 27. die post adorationem Christus est in templo præsentatus Luc. 2. Et quia post aliquandiu mansit in Nazareth. Luc 2. & quia Herodes prius tentauit Christum solum inuenire vt solum occideret, quam omnes infantes trucidaret. Vel quia credidisse videtur Magos fallaci stellæ decepros, ideoque ad se non reuersos, ideoque quieuit à pueri inquisitione. Vulgatis verò ijs quæ in templo acta fuerant, sensit se illusum esse à Magis, dsæuitque in pueros, vel ideo se continuit

tandiu ab inquisitione pueri, vt eum deprehenderet, nec elabi posset, hæc Glos.

Et mittens occidit omnes pueros à bimatu & infra.] Mittens, subauditur carnifices, vt *c.* 14. *& 24. & Psal.* 56. *&* 104. *& Gen.* 31. Sunt qui putant Magos venisse duobus annis à Christi natiuitate: alij vno anno, alij non statim post Magorum discessum sed duobus annis post infantes occidisse: alij dicunt Herodem ad illud tempus quod à Magis exquisierat duos præterea annos adiecisse, ad maiorem cautionem & securitatem sicut non solum eos qui erant in Bethlehem vbi sacerdotes Christum nasciturum dixerant, sed etiam omnes qui in finibus eius nati essent, interemit. Ita Mald. Strab. & Eutym.

17. *Tunc adimpletum est.*] Adimpletum dicitur, quia antequam fieret, legentibus erat semiplenum Lyr.

18. *Vox in Rama audita est.*] Propter vxorem Leuitæ, fornicatione peremptam: secundum numerum tribuum in duodecim partes diuisam: omnis Israël tribum Beniamin præter trecentos viros deleuit; eorum qui superfuerunt ploratus & vlulatus auditus est vsque Rama qui est locus iuxta Gabaa duodecim milliaribus à Bethlehem. Ex Lyr. cum dicit *Audita.* Exaggerat hyperbolice: Rachael enim iam mortua inducitur dolentis affectu filios iam flere. Sic eleganter Poetæ mortuorum manes & vrbium dirutarum vmbras lamentantes indicunt. Cur vero per fletum Rachelis Iudaici casus significetur dum Rachel non Iudæ sed Beniamin mater fuerit? Quia regni caput erat Hierusalem, dicta prius Iebus quæ in tribu

bu erat Beniamin. Quod ergo tunc Ieremias c. 31. dixit de captiuitate; Matthæus ad cædem infantium accommodauit; & melius, quia illi viri, hi infantes, illi meriti, hi immerentes & innocentes, illi capti, hi occisi, illi Iudæi, hi propriè Bethlehemitæ erant: vt meritò Rachel id est Bethlehem, quia ibi sepulta & ex Corpusculi Sepulchro matris nomen accepit ex Hier. magis hos quam illos plorare debeat vt notat Mald: & Lyr.

Vox in Rama.] Non loci nomen est quod est iuxta Gabaa, sed Rama excelsum interpretatur vt sit sensus vox in excelso audita est. Id est longe lateque dispersa. Ita Hier. 31. Alij dicunt nomen esse vrbis sed quia nec est in tribu Iuda, nec iuxta Bethlehem sed in tribu Beniamin non putarunt de ea loqui posse: cum tamen voluerit eam vrbem nominare quod non in tribu Iuda sed in tribu esset Beniamin, quia volunt significare luctum vtrique tribui communem futurum fuisse, quia vtraque tribus in captiuitatem ducenda erat; Idcóque vnam vrbem Bethlehem ex Iuda, & alteram ex Beniamin Rama nominauit ex Mald. vel quia contiguæ sunt tribus Iuda & Beniamin. In finibus Bethlehem multi quoque de tribu Beniamin occisi sunt ex Lyr.

Et noluit consolari, quia non sunt.] Vel quia eos in æternum mortuos existimaret, siue quod noluit consolari de his quos sciuit esse victuros: vt sit sensus Noluit consolari de hoc quod non essent, hæc Hier. In æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur: consolatio autem rei amissæ erat præstanda, non auctæ. Ex Hil. significat ergo Iudæos Ba-

bylonem, infantes in sinum Abrahæ translatos esse, & suo sanguine baptizatos, & quod in infantum baptismate aliena fides facit, hoc in his peruersa Tyranni voluntas eos pro Christo occidentis effecit. Ita Cyp. Chrys. & Aug.

19. *Defuncto autem Herode, ecce apparuit Angelus.*] Vide quoniam & ipse Iesus supercœlestibus potentijs superexistens, ad id quod secundum nos est immutabiliter veniens, non refugit à se ordinatam & assumptam humanã ordinationem, sed obediens subditur Dei Patris per Angelos dispositionibus & per Angelos ipsos annuntiatur Ioseph, à Patre disposita filij ad Ægyptum receßio, & iterum ad Iudæam ex Ægypto transductio, hæc Dyon. *De cœl. Hier.* Amara morte perijt Herodes febri & dissenteria & scabie & podagra & putredine verendorum generatione vermium, & spirandi difficultate & tremore, & contractione membrorum malam absoluit animam. Ex Theoph. Et *Euseb. l. 3. Eccl. Hist.*

20. *Surge & accipe puerum.*] non filium tuum. Interl.

21. *Defuncti sunt enim.*] Ex hoc loco intelligimus non solum Herodem sed etiam sacerdotes & scribas eo tempore necem Domini fuisse meditatos ex Hier. Vel est syllepsis qua de vno loquens, vtitur numero plurali; vnus Herodes mortuus erat, sed multi satellites eius iussu quærebant animam pueri.

22. *Audiens autem quod Archelaus regnaret.*] timuit Ioseph in terram Israel abire, hoc est in terram Iuda eo quod Archelaus similis patri suo Herodi erat, tãquam autem nouum putat quod

quod regnaret, quia existimabat aut neminem successurum cum regnum occupasset Herodes; aut Antipam successurum: quem priore testamento Herodes designauerat, & hæc potest esse causa cur in Galilæam, vbi ille dominabatur ab Angelo iubetur diuertere, ex Mald. & Theoph

23. *Vt adimpleretur.*] Si fixum de scripturis posuisset exemplum, diceret quod dictum est per Prophetas, sed simpliciter quod dictum est per Prophetam: Nunc autem pluraliter Prophetas vocans ostendit se non verba de scripturis sumpsisse sed sensum. Ita Hier. Aut forte legit aliquos Prophetas qui non sunt nobis canonizati, sicut Nathan & Esdra ex Chrys. Alij dicunt citari Prophetas 1. Prophetarum interpretes, qui hunc sensum elicerent fore vt Christus Nazarius vocaretur; Alij librum Iudicum citari *c.* 13. Alij Isaiam *c.* 11. alij nullum ex vno sed vnum ex omnibus Prophetis testimonium afferri: nam omnes Christum, sanctum vocant quod Nazareus idest separatus & Deo cõsecratus significat ex Hier. vel voluit Matthæus, docere ex eo quod in odium & contemptum Nazaræus vocaretur. Et post Christum omnes Christiani id nõ esse impedimento quo minus Messias crederetur. Nam etsi scriptura non ex Nazareth Galilææ sed ex Bethlehem Iudæ venturum Christum dicat; tamen non vocari Nazarænm quod in Nazareth natus esset, sed quod in ea habitauerit, natum eum fuisse, vt prius dixerit in Bethlehem Iudæ, vel est syllepsis. ¦Vt *Vers.* 21. & *c.* 26. & *Ioan.* 6. & *Act.* 13. & 15.

CAP.

CAPVT III.

Prædicat & baptizat Ioannes.

1. *IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista.*] Id est aliquanto post tempore, post aliquot annos nempe viginti tres & amplius quibus Christus in Nazareth habitauit quos Matthæus Marcus & Ioannes prætermittunt, quia totum illud spatium silentio ferè transegit expectans dum triginta annorum quæ doctoris ætas erat, acciderit; quibus si addantur septem anni quos in Ægypto vixit, reperies triginta annorum tēpus significari. Ex Luc. 3. & Chrys. & Aug. vel aliud tempus significatur, quam in quo hæc scribebat: Vel designatur tempus quo adhuc ex Glos. in Nazareth habitabat; ante quam ætatem nemo poterat Sacerdotis, Doctoris, aut Prophetæ officio fungi. 1. *Par.* 23. Nec significat Matthæus Ioannem tunc primum in desertum venisse, sed tunc primum prædicasse. Et cognomentum Baptistæ illi datum, nō quod Baptismum instituerit, sed quod primus baptizare cœperit, vel quod Christum baptizauerit: In quo Euangelista tempus, locum, personam & officium demonstrat. Ex Remig.

Prædicans in deserto Iudæ.] Vt ab aliis desertis discernat vt 1. *Reg.* 23. & 24. & 25. c. erat autem hoc inter Orietem & Septemtrionem circa Iordanem iuxta fluuium, quod deserto de quo Isaias loquitur cap. 44. respondet, non deserto quod fingunt hæretici qui desertum aiunt fuisse paternam domum quæ in Montana

tana erat ciuitate, sed epitheta vestis & cibi nempe camelorum & mellis syluestris satis locum habitationis & statum vitæ solitariæ indicant.

1. *Pœnitentiam agite.*] hoc est parate vias Domini *Isa.* 44. notans desertum pœnitentibus conuenire. Interl.

Appropinquauit enim regnum cœlorum.] Est gratia, fides, renouatio Spiritus, quod intra nos est Luc 17. Vel cœlum ipsum q. d. parate vos per pœnitentiam id est nolite libertati seruitutem & regno captiuitatem anteponere vt olim Iudæi 1. *Esd.* 1. Appropinquauit enim tempus quo in cœlum qui volet ingrediatur. Appropinquare, dicitur quia cum ante clausum fuisset paulo post mortem Christi erat aperiendum ad Heb. 19. & 11. & *Matth.* 26. & *Luc.* 22. & 23. alludens ad expectationem Iudæorum qui terrenum regnum expectant, nos cœleste. Vel est Christus per quem sancti regnat in cœlestibus: Vel Euangelium quod inuitat ad regnum Lyr.

3. *Hic est enim de quo dictum est.*] hæc verba sunt Euangelistæ accommodantis Prophetiam ad Ioannem, vel sunt Ioannis ex Eutym. & Mar. 1.

Vox clamantis.] hominis, vel vox clamans Christus Verbum quod clamat in Ioanne, nullum verbum sine voce auditur, nec vox sine verbi intelligentia valet. Vox viam Verbo præparat vt recipiatur. Ps. 131. *Paraui lucernam Christo meo.* Lyr.

4. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.*] Non de lana, aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris ex

Hat-

Har. habebat vestem non mollem neque delicatam sed cilicinam, grauem, & asperam & conterentem corpus potius quam fouentem, vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur. Ex Chrys.

Et Zona pellicea circa lumbos.] Consuetudo erat apud Iudæos, vt Zonis laneis vterentur: Ideo iste quasi durius aliquid facere volēs zona pellicea cingebatur. Ex Chrys. Contra Hæretici solitudinem in vrbes, pilos camelorum in pretiosam vestem, locustas in marinos cancros conuertunt: Non sic Patres qui tanquam arma pœnitentiæ vsurpant. Nam habitatori solitudinis, non deliciæ quærendæ sed necessitas ait Hier.

Esca autem eius locusta.] Animalia insecta sunt quibus vesci licitum *Leuit.* 11. Dicuntur quidem Ægyptij iis vesci. Ex *Plin. lib. c.* 30. Et *Hier. Ioan.* 4. *c.* quidam herbas nescio quas interpretantur vt Theoph. alij pyra syluestria: alij arborum & frondium summitates, vt Niceph. *lib.* 1. *c.* 14.

Mel syluestre] Quidam putant rorem cœlestem ex arboribus collectum, alij folia quædā agrestium arborum melliti saporis. Vt Raban. probabilius esse mel apium agrestium, quarū, tanta copia est in calidis regionibus vt cum aluearibus capi non possint, in syluas auolent, & in arborum truncis aut in rupium fissuris mellificent: Ex Lyran.

6. *Tunc exibat Hierosolyma, & baptizabantur, ab eo in Iordane.*] Baptismus Ioānis figuram gerebat Cathechumenorum: nam sicut modo catechisantur pueri vt digni fiant Sacramento baptismatis, ita Ioannes baptizabat vt baptizati

zati ab eo postea deuote viuendo digni fierent accedere ad Christi baptismum. Remig.

Confitentes peccata sua.] Non generaliter solum sed in specie etiam sua, nos tamen ex hoc loco Confessionis Sacramentum non probamus vt nobis obiiciunt Hæretici : Nam hoc facere, non poterat Ioannes, sed denunciabat per Christum faciendum ait Lyr.

7. *Videns autem multos Phariſæorum & Saduczorum.*] Hi sunt ex Hæreticis Iudæorum, negant enim resurrectionem , & Prophetas, respuunt Glos. & Ioseph. l. 13. Phariſæi dicti quasi expositi oculis hominum conspicui & illustres , quia philacteria sua dilatabant & amabant salutationes in foro : Vel quasi separati à cæteris hominibus ob insignem eruditionem & sanctitatem : Saducæi vero quasi homines iusti ex Epiph. & Hier.

Progenies viperarum quis demonſtrauit vos fugere à ventura ira.] Vocat progeniem ex Glos. quia venenati & venenatorum filij : quia bonis inuident & eos persequuntur : Vt populus qui hæc audiebat Christum potius quam illos sequeretur : vel quia cognouit Ioannes eos ficto & simulato animo venisse. Ex Chry. & Theoph. ficte autem accedebant ne impij & hæretici haberentur à populo. Ex Orig. *tom.* 6. & 8. *in Ioan.* Ambrosius *l.* 2. *in Luc. cap.* 3. laudem esse putat quod cùm viperarum sint filij parentes non imitentur, sed ad pœnitentiam redeant. At summa malitia in calumniandis & mordendis sanctis viris, quæ illis tam propria quam viperæ venenum, videtur argui. Ex Hier. in 30. *cap. Isa. & Greg. Hom.* 20. Quis docuit vos huc venire nisi conscientia vestra, quæ vos intus

arguit

arguit & cogit remedium quærere, quasi dicat militibus & publicanis & turbis salutis à me remedium petentibus ostendi, vobis autem hypocritis qui fictè acceditis quis demonstrabit ? Vt quidam codices Latini legunt : quasi dicat nemo per iram pœnitentiam intelligit Bern. q d. quis docuit vos pœnitentiam fugere ; alij excidium Hierosolymitanum : alij æternam damnationem. Ex Remig.

8. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.*] Id est ostendite vos non fictè accessisse, fructus pœnitentiæ vocat externa signa vt sunt lacrymæ, tunsio pectoris, detestatio peccatorum.

9. *Et ne velitis dicere intra vos,*] Id est nolite cõtenti esse quod filij sitis Abrahæ; opera facite Abrahę. Quid enim prodest ei quem sordidãt mores generatio clara ? aut quid nocet illi generatio vilis quem mores adornant. Chryſ.

Potens est Deus de lapidibus istis.] Demonstrauit veros lapides quos filij Israel de fundo Iordanis abstulerant Iosue 4. *cap. Ex lyr.* In quo indicat Dei potentiam quod qui de nihilo cuncta fecerat, posset & de lapidibus durissimis populum procreare. Ex Hier.

10. *Iam enim securis ad radicem arboris posita est.*] Arbor nominem significat vt infra c. 12. Securis verbum dei & virtus iuxta Hieremiam qui verbum Domini comparat securi cædenti petram. Ex Hier. Radix fides ; vel securis Christus qui ex manubrio constat & ferro ; id est humanitate qua tenetur & diuinitate qua incidit. Ex Gregor. *Hom.* 10. *In Euangel.* Vel securis mors, radix vita. Ex Athanas. quæst. 43. vel securis est acutissima ira consummationis quæ totum præcisura

est

est mundum. Ex Chrys. Arbor Iudæus. Radix Abraham, ex qua omnes Iudæi. Probat enim Ioannes non debere eos contentos esse quod filij essent Abrahæ, neque in radice sua confidere quæ paulo post sit exscindenda. Confidant in Christo & bonis operibus quæ exscindi non possunt. Ex Hil. & Mald. Chrys. & Theoph. dicuntur autem Iudæi præscindi quando diuina sententia declarantur non esse verè filij Abrahæ, quod non eius fidem & opera sunt imitati. *Rom.* 7. dicuntur autem, nunc exscindi non ante, quia ante iuuabat Iudæos, filios esse Abrahæ secundum carnem, quia propterea lex illis data est quæ alijs gentibus non est data, & poterant facilius per legem quam sine lege salui esse ad Rom. 3. Post Christum autem nihil iuuat, quia Euangelium non magis illis quam cæteris Gentibus prædicatur. Itaque si Abrahamum non imitentur, exscindentur à radice, & in ignem mittentur; idest non magis filij Abrahæ quam Gentes iudicantur. Ex Mald. & Chrys.

11. *Ego quidem baptizo vos in aqua.*] Non in spiritu sed in aqua baptizat quia peccata soluere non valebat. corpora non animas lauat ait Greg. Ho. 7. in Euang.

In pœnitentiam.] Docendo pœnitere. Interl. vt corpus lauo, ita vos animas curetis per Christum abluere.

Qui autem post me venturus est, fortior me est.] Idest Christus potentior est, quia habet virtutem diuinitatis vt dignus non sim eius calceamenta portare: seu minimum obsequium illi præstare. corrigia hæc, est coniunctio humanæ

&

& diuinæ naturæ in Christo, quam nemo soluere & explicare potest. *Ille baptizabit vos Spiritu Sancto & igne:* idest non solum corpora vt ego aqua, sed etiam animas effuso Spiritu Sancto purgabit & diuino igne inflammabit. Ex quo satis liquet non eundem esse Christi & Ioannis Baptismum, vt contendunt Hæretici, & quia baptismus Ioannis nō iam acta, sed vt ageretur, baptismus Christi non vt ageretur sed iam acta pœnitentia conferebatur. *Act.* 2. & quia ij qui baptismum Ioannis acceperant iubentur iterum à Paulo baptizari, *Act.* 19. ex *Iustin q. ad Orthod.* 17. *Tertul. l. de bapt. Chrys. Ho.* 10. *Theoph.*

In Spiritu Sancto & igni.] Vel spiritu sanctificationis, & igne 1. probatione tribulationis: Vel spiritu in præsenti abluit, post si quæ macula subrepit: igne purgatorio ad purum exurret. Lyr. Orig. Hil. & Hier. Sed alij probabilius putant per ignem Spiritum Sanctum significari, coniunctionemque, &, non esse coniunctiuam sed explicatiuam, vt non qualiscumque communicatio Spiritus Sancti sed illa illustrissima quæ die Pentecostes specie ignis facta est.

12. *Cuius ventilabrum in manu sua.*] Est iudicij examen, quo discernuntur leues & vacui à fructu boni operis Lyr.

12. *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem.*] Christus a Ioanne baptizari voluit vt omnem impleret iustitiam, & quia voluit facere quod omnibus faciendum imperabat ex Aug. ser. de Epiph. & qui humanam susceptit naturam totum naturæ impleret, mysterium: nam quamuis ipse non erat peccator, tamen naturā susceptit

suscepit peccatricem, ideo etsi pro se non egebat, tamen in alijs carnalis natura opus habebat ex Chrys. vt suo baptismate Ioannis baptisma comprobaret ex Hier. vt ad suum baptismum alliceret seruos, quando ipse non dedignatus est accipere baptismum serui ex Aug. in Ioan. & vt aquas sanctificaret ex Epiph. in Auch.

14. *Ioannes autem prohibebat eum.*] Ex reuerentia cum sciret eum esse Deum verum & hominem lauacro non indigentem. Lyr. cum autem dicit *ego nesciebam eum*, intelligit de facie non cognouisse antequam ad baptismum veniret, cum Christus in Nazareth & in Ægypto, ipse in solitudine mansisset. Ex Chrys. & Theophyl. Quid ergo ex descensu Spiritus sancti, & ex voce cœlitus audita cognouit? nihil noui, sed ea cognitio quam ante habebat, & perfecta & confirmata est ex Mald. Beda & Ruper.

Ego à te debeo baptizari.] quia sanctificati in vtero indigent baptismo Christi adhoc vt sint Christo incorporati, quia in baptismo Christi character imprimitur per quem Christo configurantur, ideo Ioannem à Christo baptizatum fuisse aiunt Chrys. Hier. & Theoph.

15. *Sine modo.*] Me à te baptizari: dixit *modo* vt ostenderet Christum in aqua à Ioanne, Ioānem à Christo in spiritu baptizandum, vel *sine modo* vt qui formam serui assumpsi, expleam & humilitatem eius. Vel *sine modo*, vt dicit Dominus habeo & aliud baptisma quo & baptizandus sum. Hæc Hier. vel *sine modo*, vt iustitiam baptismatis non verbis sed factis adimpleam, prius suscipiam, postea prædicabo

ex

ex Chrysostom.

Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.] Ideſt quamuis non ſit neceſſarium, tamen expedit nos, ſe & Ioannem complectens: vel nos, ideſt me adimplere omnem humilitatem, ex Lyr. vel legis iuſtitiam quæ in varijs baptiſmatibus & cæremonijs conſiſtebat Hebr. 9. & Matth. 5. ex Hier. vel non ſolum quæ præcepta ſed etiam quæ honeſta & ſanctitati conſentanea ſunt implere ex Mald. & Lyr.

16. *Et baptizatus Ieſus confeſtim aſcendit de aqua.*] Etſi illud *confeſtim* poſitum ſit ad verbum *aſcendit*, tamen videtur ad literam referendum magis ad ſubſecutam mox à baptiſmate cœlorum apertionem, videtur enim hoc voluiſſe ſignificare quod IESV baptizato, mox factum ſit, vt aſcenderet & aperirentur ei cœli vt not. Ianſ. ex Mar. vel ſignificat ſolitum fuiſſe Ioannem cæteros in Iordane collo tenus immerſos manu capiti poſita detinere, donec peccata ſua cõfiterentur: Chriſtum vero quia peccatum quod confiteretur non habebat, ſtatim aſcendiſſe ex Eutym. vel vt ſignificaret eos qui baptizantur in Chriſto, confeſtim de aqua aſcendere: ideſt proficere ad virtutes & ad dignitatem ſubleuari cœleſtem ex Chryſ.

Et ecce aperti ſunt ei cœli.] Ideſt ſtatim vt aſcendit vidit cœlos apertos ex Marco. Et ex Luca c. 4. Ieſu baptizato & orante cœli aperti ſunt. vnde credendum eſt ſimul atque in terram euaſit ſeſe in genua prouoluiſſe vt Patris teſtimonium reuerenter exciperet. Chryſoſt. reipſa cœlos apertos fuiſſe refert. Hiero. vero

vero non reuera sed visu & specie solum. Vt Act.7.

Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se.] Sunt qui hoc de Ioanne dictum putant & de omnibus qui aderant, vt Ioanni crederent: Alij de Christo vt præcedentia. Spiritus in columba; filius in homine, pater in voce, ita Trinitatis præsentia baptismum consecrauit. Glos. Columbam veram fuisse putant Tert. *lib. de carne Christi & Aug.l.de Agone.* Alij columbæ speciem *l.3 de Spiritu sancto.* Verum tamen fuisse corpus, columbæ speciem præ se ferens. Non tamen sic spiritus erat cum corpore columbæ, sicut Filius Dei cum natura humana hypostaticè vnitus: sed sicut Angeli vt ab hominibus viderentur humana corpora sumebant. Ex Aug. In columba super Dominum spiritus apparuit, quia simplex, & per mansuetudinem venit nos colligere super discipulos; in igne, quia indigebāt vt eos charitate inflammaret & variis linguis loqui doceret Lyr. Super Christū recens baptizatum apparet; vt prophetiæ impleantur *Isa. cap.*11.41.62. & vt omnes eum esse Christum intelligerent. Et nobis Spiritum sanctum etsi non videatur baptizatis dari ex Hier. Chrys. & Eutym.

17. *Hic est filius meus dilectus.*] Demonstratiuè ad homines. Ex Glos. Marcus vero & Lucas dicunt. *Tu es filius meus*, sed vnus sensum, alius verba refert: Vt in trāsfiguratione *Luc.*9. In quo vocem dirigens ad filium ostendit de vnico, naturali & sibi æquali filio loqui: Nam cæteri adoptione tantum filij sunt, ἀγαπητὸς. Charissimus vt legit Athan.orat.cont. Arian.

In

In quo mihi bene complacui.] Beneplacitum meum constitui Lyr. vel bonam voluntatem: Non quem vnice amaui, sed in quo, ideſt per quem placatus ac reconciliatus ſum mundo, hoc eſt placari ac reconciliari decreui. In quem cum intueor, omnem iram depono declarãs non tantum filium ſuum eſſe, ſed quorſum etiã mitteret, vt libentius ab hominibus reciperetur. Alludens ad *Iſa.* 42. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi anima mea, vt ex Hebræo colligit Mald.

CAPVT IV.

Ieiunat & tentatur in deſerto.

1. *Vnc Ieſus ductus eſt in deſertum.*] Poſt baptiſmum, ſtatim poſtquam vox de cœlo audita eſt: Ieſus ſubductus aut abreptus: expulſus a Spiritu ſancto non per aëra raptus vt Habacuc Dan. 14. Et Philippus Act. 8. ſed pedibus ductus, non coactus, ſed lubens Marcus tamen expulſum ait vt efficientiam, & impulſum Spiritus ſancti ſignificaret. Ex Hyl. & Hier. vt *ad Rom.* 8. In deſertum locum, & tentationi, & certamini ſingulari cum ſpiritu maligno aptum. Ex hoc vitam ſolitariam laudant. Chryſ. Baſil. Greg. Naz. Hier. In hoc deſerto Iudææ vitam agebat cum beſtiis ex Marco.

Vt tentaretur à diabolo.] Tentare eſt ad peccatum inducere, ſic tentat Satanas, & homines miniſtri ſatanæ alij alios. Numquam ſic Deus; intentator enim malorum eſt contra Caluiniſtas. Aliquando tentare eſt ad cognoſcendum inqui

inquirere,& sic diabolus etiã homines & Deus tentat.hi vt cognoscant quod ignorant, ille vt quod scit,etiam scire videatur,aut non vt ipse, sed vt ij quos tentat se se cognoscant. Ex Aug. Aliquando est ad iram incitare, sic dicimur tentare Deum.Christus se omnibus modis tentandum vt etiam ad peccandum sollicitaretur à diabolo præbuit.Ex Mald. vt patet *Ioan.* 14. & incitauit vt se præcipitaret,& se adoraret.Et hæc vna causa cur Christus in desertum abierit, quia diabolus aggredi non audebat, obuiam illi procedit,& irritat quem scit non pugnaturũ nisi lacessitum. Ex Hil.& Amb. voluit vt Moses legem, sic ex solitudine Euangelium afferre,& vt Ioannem præcursorem per solitudinem sequeretur. Et nos docere exemplo, vt nos in solitudinem recipiamus cum de vitæ rationibus,aut de re graui deliberamus,nostra cõsilia cum Deo communicaturi. Tentari autem voluit 1.vt suam fortitudinem ostenderet in ipso tyrocinio.2.vt tentatis nobis maiorem opem ferret ad *Heb.*2. 3. vt doceret nos cum accedimus ad seruitutem Dei, præparare animas nostras ad tentationem.*Eccl.*2. 4.vt deuicto statim hoste securiores nos redderet. *Ioan.* 12. 5. vt nos quoque illo vincente vinceremus. ex Aug. in Ps.60.

2. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus,& 40. noctibus.*] Idest quadraginta integros dies sic vt nihil cibi potusve sumeret. Non autem vltra processit ieiunando quam Moyses & Helias, ne incredibilis videretur carnis assumptio. Ex Chrys. Hom.13.

Et vt quadragesimi nostri ieiunij poneret mensuram. Ex eodem Chrys.Et quadragesimæ

nobis ieiunium consecraret, ex Hier. Quod non Christus sed Apostoli Spiritu sancto suggerente ediderunt. Ex Hier. ad Marcel. De Mose, & Elia vtrum vel ante vel post, vel nunquam esurierint, non dicitur, ideoque credendum est non esuriisse, cum hoc de Christo tanquam singulare dicatur. Eadem enim virtus quæ conseruabat satiabat. Ex Mald. Esuriit autem vt timido hosti & quasi Deum aggredi non audenti ostendens se hominem esse ad aggrediendum animum addat: & infirmitatis ostentatione prouocat. Ex Chrys. *Ho.* 13. & Hier. Non enim erat à Deo diabolus sed à carne vincendus ait *Iren. l.* 3. *cap.* 32.

3. *Et accedens tentator dixit ei: si filius Dei es.*] Accessit autem vel inuisibiliter vt nos quotidie tentat, vel potius in forma humana, vt patet ex colloquio, & quia se adorari voluit. Ille tentator quo nomine officij princeps dæmoniorum diabolus vocatur Satan ex Hebræo & satanas ex Græco. Rupertus, *lib.* 12. *de victoria Verbi Dei cap.* 3. & 4. docet Christum à diabolo esse cognitum ab incunabulis, tentatum tamen non vt cognosceretur sed vt corrumperetur, tanta enim est diaboli præsumptio, temeritas & audacia, vt non solum se extollat supra omne quod dicitur Deus & colitur 1. *Thes.* 2. sed conatus sit Deum tentando corrumpere & sibi similem facere. Nouerat filium Dei venisse seu per Prophetas seu per nuntiantes Angelos; seu per Ioannem demonstrantem Glos. audierat forte vocem Patris: *Hic est filius meus dilectus cap.* 3. Aut ex fama cognouerat: & credibile est non per modum dubitantis, aut negantis, vel irridentis, hoc dixisse vt illius ministri,

nistri. *Mat.*27. sed potius per modum credentis & affirmantis & bene Christo consulere volentis. *si*, pro *quia* filius Dei es. Ex Mald.

Dic vt lapides isti panes fiant.] Eodem verbo quo cœlum & terram fecisti potes ne famem patiaris & aliunde non suppeditat cibus ex lapidibus istis panes facere: lapides autem quia res erat ante pedes posita, potius quam terram aut arbores ostendit. Lucas ait *dic lapidi huic*, sed est singularis pro plurali, vt Exod.8. Venit musca grauissima in domos Pharaonis. Ex Lyr.

4. *Non in solo pane viuit homo.*] Cæteris se connumerans hominibus: per quod etiam absurdiorē indicat esse dæmonis suggestionem: Si enim quiuis homo non in solo pane victurus est, sed in omni verbo Dei: multo magis necesse non est filio Dei, vt pro fame pellenda lapides in panem conuertat. Ex Iansen.

Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei] Deut.8. Sensus est Deum non indigere vsitato cibo vt seruos suos alat, posse enim vno verbo nouum cibum formare, vt de Manna dictum est, vel sine cibo sustentare, vt Moysen & Heliam.

5. *Tunc assumpsit eū diabolus in sanctam ciuitatem.*] Id est secundò, non enim significat id statim post primam tentationem accidisse: fortasse enim aliquanto tempore quieuit. Ex Mald. Lucas hanc tentationem non secundo sed vltimo loco ponit, ordinem historiæ secutus quo tentationes occurrerunt; Matthæus vero quo acciderunt: Prima & vltima tentatio in deserto; media quoque vt res gesta est; vltima fuit postquam regressus est Hierusalem.

Ex Lyr. qui putat omnia corporeis sensibus esse completa. Cyprianus vero *serm. de ieiunio* inuisibiliter, vt Ezechielis raptus ex Chaldæa in Hierusalem. c. 40. Alij volantem per aëra raptum putãt, vt Hier. Alij ductum pedibus in Hierusalem quæ dicitur ciuitas sancta, quia diuino cultui deputata, & Deus in ea habitaret propter arcam & templum. Ex Eutym. & Lyr.

Super pinnaculum templi.] Id est supra supremam templi extremitatem: nam pinnaculum dicitur fastigium ædificij in acumen tendẽtis, quia pinna dicitur quod acutum est, aut quia pinnaculis addi solet pinna, quæ facili motu ventorum indicet flatum: cum autem verisimile sit templum non habuisse fastigium acuminatum vt in Gallia, eo quod in Palæstina domus tectum habeant planum ad cœnandum, apricandum & confabulandum; debet hic *pinna* accipi pro superiori parietis & tecti parte, seu pro peribolo qui circum summum tectum erat ne quis sibi ambulans caderet. Ex Iansen. Doctorum sedem fuisse ait Remig.

6. Si filius Dei es, mitte te deorsum.] Q. d. virtute propria potes sine periculo, & etiam propter ministerium Angelorum tibi seruientium. Ex Lyr.

Scriptum est enim; quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te.] *Ps.* 90. Non de Christo sed de viro sancto prophetia est: male ergo diabolus interpretatur scripturas, infert Hier. Vere enim filius Dei Angelorum manibus nõ portatur, sed ipse magis Angelos portat, & si portatur manibus Angelorum non vt offendat ad lapidem pedem suum quasi

infir

infirmus, sed propter honorem quasi Dominus. O diabole, quoniam filius Dei manibus portatur legisti, & quia super aspidem & basiliscum calcat, non legisti, sed illud profert quasi superbus, hoc autem tacet quasi astutus. Aut. imperf. Hom 5. Sic prætermisit, vt *custodiant te in omnibus viis tuis*, per quas scilicet homo prudenti consilio ire debet, nō per quas se præcipitet.

7. *Ait illi Iesus rursum: scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.*] Tentare Deū, est experimentum quærere de Dei virtute sine necessitate, & potissimum de omnipotentia, bonitate & fidelitate, ex Lyr. Et hoc dupliciter contigit, 1. ex præsumptuosa quadam de Dei confidentia, vt cum quis se citra vllam necessitatem iniicit in aliquod manifestum periculum, præsumens sibi adfuturum Dominum. 2. Ex diffidentia de Deo, vt cum quis in necessitate aliqua constitutus non secure confidit de Dei potentia, & bonitate, sed animo murmurante cum diffidentia quadam optat Deum declarare suam potentiam & auxilium. sic murmurauerunt Israelitæ dicentes: *Est ne Deus in nobis an non. Et nunquid poterit Deus parare mensam in deserto.* Ex Ianſ.

8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum.*] Propinquum Hierosolymæ: Nam montes in circuitu eius. Ps. 124. Mons ille superbiam significat per quam ceeidit & alios cadere facit. Ex Amb. Hier. & Theoph.

Et ostendit illi omnia regna mundi.] Vel sola animi visione, vel reipsa ostendit, non vt ipsa regna vel ciuitates, vel populos, vel aurum, vel argentum videret, sed partes terræ in quibus

vnumquodque regnum vel ciuitas posita erat. vt notat Aut. Imp. Hom. 5. Vel ostendit ei regnum suum, quomodo regnaret in mundo; id est quomodo alij regnantur à fornicatione, alij ab auaritia. Ita Orig. Hom. 30. in Luc.

Et gloriam eorum.] Scilicet aurum, argentum & bona temporalia, & id omne quo quodque eminebat, nõ manu sed verbo ostendit. Ex Remig.

Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.] Fingit se filium esse Dei, quia à Christo extorquere non potuit an esset filius Dei, vt colligitur ex Luca cap. 4. cum nec regna dare nec auferre possit, nisi permissu Dei. Iob. 1.

10. *Tunc dicit ei Iesus: Vade retro me Satana.*] Vocat suo nomine vt ostendat se scire illum non esse filium Dei quem se esse simulabat, sed diabolum quem dissimulabat. Et hac voce illi imperat, & increpat: ostenditque quod proprias iniurias non Dei debemus tolerare. Ex opere Imp. Hom. 5.

Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.] Deut. 6. & 10. c. Christus non verba sed sensum refert. In Hebræo enim est, timebis, sed timor Domini significat omnem cultum diuinum: Nec habetur *soli*, sed includitur in articulo *illi*, qui cum debeat intelligi cum emphasi, significat soli Deo seruiendum. Ex Iansen. Nam seruitus quæ debetur hominibus, non latria sed dulia Græce nuncupatur vt notat Aug. 10. de ciuit. Dei.

11. *Tunc reliquit eum diabolus: Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*] Non dixit descendentes Angeli, vt ostendat quia semper ad ministerium eius erant in terris: sed tunc

præci

præcipiente Domino receſſerunt ab eo, vt locus diabolo aduerſus Chriſtum daretur, ne forte videns Angelos circa eum, non appropinquaret ad eum. In quibus autem rebus illi miniſtrabant, ſcire non poſſumus, vtrum ad ſanationes infirmitatum, an ad correctiones animatum, an ad effugationem dæmonum, quæ omnia per Angelos facit: Vnde eis facientibus, ipſa facere videtur: tamen manifeſtum eſt, quod non propter neceſſitatem impotentiæ eius ei miniſtrabant, ſed propter honorem poteſtatis ipſius: Non enim dicitur quod adiuuent eum, ſed quod miniſtrent, hæc Autor Imp. Hom. 5.

12. & 13. *Cum autem audiuiſſet Ieſus quod Ioannes traditus eſſet; ſeceſſit in Galilæam.*] Ne ſcilicet ait Chryſ. Hom. 14. & ipſe traderetur. Seceſſit autem ex Galilæa Iudæorum; cuius Tetrarcha Herodes, quæ inferior dicebatur, in ſuperiorem Galilæam quæ extra Herodis poteſtatem erat, & Galilæa Gentium dicebatur, quia magna ex parte à Gentibus habitaretur. Hinc conſtat aliam eſſe hiſtoriam ab ea quam Lucas refert cap. 4. Nam Lucas agit de reditu Chriſti ſtatim poſt ieiunium & tentationes in Galilæam Herodis; Matthæus vero hîc de eius ſeceſſu ex Galilæa Herodis in Galilæam Gentium, qui non ſtatim poſt Chriſti tentationes accidit: nam aliquanto tempore antequam in vincula coniiceretur, Chriſtus baptizauit & prædicauit Ioanne etiam baptizante, vt conſtat Ioan. 3. cap. Ex Lyr.

14. *Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam.*] cap. 9. de liberatione trium tribuum Zabulon, Nephthalim, & Aſer, quæ eâ partem

incolebant, accommodat ad Christum. Vbi enim prima captiuitas Hebræorum ab Assyrijs & prima legis obliuio, ibi prima Euangelij prædicatio. Glos.

15. & 16. *Terra Zabulon, & terra Nepthalim via maris.*] Tres enim illæ tribus vicinæ mari Phœnicio, vbi Tyrus dominabatur. Via maris, ideſt versus mare, seu lacum Genezareth qui Iordane influente efficitur: in cuius littore Capharnaum, Tiberias, Bethsaida & Corozaim sitæ, vbi Christus maxime prædicauit ex Hier. Lux autem magna Euangelium, lex enim lux erat sed parua. vmbra autem mortis peccatum. Similitudo enim & figura mortis est. Nam sicut mors corpus, sic peccatum animam detinet. Orta autem est lux nobis, non enim quæsiuimus illam nos, sed illa missa est nobis quasi sequens nos. ex Theoph.

17. *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere, appropinquauit enim regnum cœlorum.*] Eadem quæ Ioannes prædicare inchoat, vt ostendatur non alius quam qui in voce clamauerat. Inter. Quid autem sit regnum cœlorum, vide supra c. 3. Exinde, i. post baptismum, vel tradito Ioanne, quia lege desinente sequitur Euangelium ait Lyr.

18. *Ambulans Iesus iuxta mare.*] Lacum seu stagnum Genezareth, nam Hebræi congregationem aquarum mare appellant. ex Hier.

Vidit Petrum & Andream.] Marcus & Lucas videntur significare omnes Apostolos simul vocatos fuisse, at non agunt de vocatione vt Christum sequerentur sed vt Apostoli fierent: prius enim discipuli, deinde Apostoli electi sunt ex numero discipulorum, sicut nunc

Episcopi

Episcopi eliguntur ex numero presbyterorum. Ex Mald. Ioannes verò Andream prius, deinde Petrum vocatũ ait. Qui semel tantum vocatos aiunt, vix satisfacere possunt obijcientibus quod ad piscationis officium redierunt: Melius satisfaciunt qui duas fuisse vocationes asserunt; alteram qua non vt discipuli sed vt familiares auditores admissi sunt, de qua Ioannes agit c. 1. alteram qua vocati sunt ita vt relictis omnibus Christum semper sequerentur ex *Aug. tract. 7. in Ioan. Chrys. Hom. 14. & Theoph.* Optime vero qui tres, primam quam Ioannes, secundam quam Lucas, tertiam quam Matthæus refert, sed duæ priores non ad discipulorum officium sed ad familiaritatem, tertiam ad discipulorum & Apostolorum officium factam esse. ex Lyr.

19. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.*] 1. Sequimini me non tam pedibus quam imitatione & affectu. Interl. In quo Apostolorum officium describit, nempe homines piscari & ad se adducere.

20. *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.*] Vide perfectam obedientiam, etsi postea resumunt, sed non cupiditate. Glos.

21. *&* 22. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, &c. Et vocauit eos: Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.*] Apparet Zebedæum non credidisse, & propterea reliquerunt eum. Vides quando oportet relinquere patrem, nempe quando obstat virtuti & pietati, vt notat Theoph.

23. *Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis eorum.*] Vt monstret quod non contrarius sit legi, ingreditur in synagogas

Iudæorum. erat autem sicut apud nos Ecclesiæ locus ad docendum deputatus.

24. *Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes.*] Fama propter eos qui foris sunt quærenda est, non tamen amanda ait Glos.

25. *Et secuta sunt eum turbæ multæ de Iudæa & de trans Iordanem.*] Idest, citra Iordanē sitis.

CAPVT V.

Differit in quibus sita sit beatitudo.

1. *Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem.*] Sunt qui existimant non eandem esse concionem quæ hic à Matthæo, & à Luca *c.6.* refertur, vt Aug. *l. 2. de consen. Euang. c. 19.* & Auct. Imp. Alij eandem esse vt Hier. Chrys. Orig. & Theoph. Obijcies Lucam dicere Christum orandi causa in montem ascendisse, Matthæum non dicere: At non negat, orationem tacet, sermonem recensēt. Deinde Lucas hunc sermonem in campo habitum dicit, Matthæus in monte. Respondetur Christum ascendisse in montem, vt vterque ait, orandi causa, quod solus Lucas dicit, ibique Apostolos elegisse vt idem solus dicit: deinde descendisse, quod Matthæus tacet, Lucas dicit: & sermonem habuisse, vt vterque dicit, nisi quod Lucas campestrem locum expressit, Matthæus suppressit. Vel dicendum non descendisse sed fuisse in summo montis fastigio planum locum, quem Matthæus montem, Lucas campum vocat: non enim de eadem in montem ascensione de qua Matthæus agit, sed de alia qua ideo ascendit vt oraret & Apostolos eligeret. Quod autem

tem addit *postquam descendisset* copiosam multitudinem secutam eum fuisse, & ipsum eleuatis oculis in cœlum dixisse: *Beati pauperes*, non est intelligendum statim, & in loco campestri factum esse: sed longe post, & alio loco, ideſt in monte in quem iterum ascendit vt Matthæus dicit, Lucas tacet: quia res non loca & tempora coniungit. Quod autem Matthæus octo, Lucas tantum quatuor beatitudines refert: dicendum quod propositum Euangelistæ fuit non omnia sed summam omnium recensere. hæc Mald. In montem ascendit, vt de supriore loco turbam doceret: vel vt turbam fugeret vt alias in desertum, nauem & montem, ex Aug. Chryſ. Hier. & Theop. vel vt adimpleret Prophetiam Isaiæ c. 6. Mons ille non Oliuarum sed Thabor. ex Hier.

Et cum sedisset.] Vt magisterij dignitatem denotaret. Ex *Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte.* Et quia mos erat sedendo docere, tamen videtur ad turbas sermonem habitum in loco campestri stante Domino. Luc. 4.

2. *Et aperiens os suum.*] Qui prius ora Prophetarum aperiebat, ipse aperit os suum, ideſt per se loquitur ad *Heb. 1. ex Aug. & Greg. l. 3. in Iob. c. 5.* Alij os, manibus, ideſt verba factis opponi putant, ita vt prius exemplo, nunc etiam verbis doceat. Ex Chry. Euty. & Theoph. Alij longum sermonem oris apertione indicari ex Aug. Alij res magnas dixisse, ac si diceret aperuit thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Ex Hil. & Strab. Alij libera & clara voce loquutum esse, vt *Ezech. 29. & Eccl. 15.* Alij non more Scribarum & Phariſæorum sed tanquam potestatem habentem: alij post diutur-

num silentium in verba prorupisse, vt *Iob* 3. vel est Hebraismus, quasi dicat loqui exorsus est.

3. *Beati pauperes spiritu.*] Ab eo exordium sumit quod omnes appetunt vt *Psal.* 1. Beatos vero vocat non qui iam reipsa, sed qui spe beati sunt, & per gradus ascendunt & quidem pauperes quia leues & expediti ad currendum. ex Greg. *Spiritu* i. humiles, vel voluntaria paupertate pauperes, sicque Spiritus pro voluntate ponitur vt Matth. 26. Marc. 14. Rom. 1. 1. Cor. 7. ex Hil. Chrys. Amb. Aug. Greg. & quamuis sint diuites, modo humiles sint, pauperes spiritu dici. Vel qui in diuitijs cor non apponunt, ex Aug. Vel qui reuera pauperes, diuitijs carentes, ex Tert. l. aduers. Marc. 4. & mendicantes, ex Græco.

Quoniã ipsorum est regnum cœlorũ.] Quod tanquã paupertati diuitias opponit cœlestes. Glos.

4. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*] Quoniam humiles & mansueti seipsos in præsenti possident; hæreditarem Patris in futuro possidebunt, ex Hier. & Lyr. Alij terram in qua viuimus interpretantur, vt Chrys. Hom 15. Aug. l. 1. de serm. & Theoph. quia Christus non solum cœlestia sed etiam terrena promittit, vt c. 6. & Marc. 10.

5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*] Gaudebunt qui peccata sua lugent. sic Chrys. Amb. Alij qui vel sua vel aliena, ex Hier. Alij qui pro miserijs huius mundi & pro desiderio cœlestium, vnde filia Caleph petiuit irriguum superius & inferius, ex Glos.

6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.*] Lucas c. 6. non addit iustitiam, sunt qui per hanc sitim intelligunt flagrans

flagrans desiderium iustitiæ consequendæ vt Amb. l. 6. in Luc. Hier. Chrys. Hom. 15. Aug. l. 1. de serm. & Theoph. Alij veram famem & sitim, vt esurire & sitire iustitiam dicantur, quibus iustitia non administratur: quales sunt pauperes, viduæ & pupilli. Hi ergo dicuntur esurire iustitiam, quia cum iustitia, ideſt iuris administratione indigeant & eam petant, nemo tamen illis reddit: vel qui propterea esuriunt, & sitiunt, quod ius suum illis non tribuitur, quales sunt qui iniuste damnati, bona sua amiserunt, aut qui, quod suum est, quia pauperes sunt recuperare nequeunt, aut quia iusti sunt. sicque Lucas & Mat. conuenient, sed Lucas solá famem, Matthæus & famem & causam famis exponit. At non quicumque ita etiam esuriunt beati sunt, sed qui id patiuntur propter regnum cœlorum. vt 1. Cor. 4. & 11. Heb. 11. Satiabuntur autẽ cũ apparuerit gloria Dei, Pſ. 16. Luc. 14. & 21. Isa. 49. & 65 & Apoc. 7.

7. *Beati misericordes, quoniam ipſi misericordiam consequentur.*] Misericors dicitur quasi miserum cor habens, qui alterius miseriam quasi suam reputat, ait Remig. Et beatus dicitur qui subuenit miseris, ex Aug. lib. 1. de serm. quia eis ita rependitur vt de miseria liberẽtur, & misericordia intelligitur potissimum in Eleemosynis. c. 25. quamuis extẽdatur ad omne opus misericordiæ ex Hier. & Chrys. & Ioan. 4. Mat. 18. & maxime ad condonandas iniurias, quas Apostoli sæpe erant accepturi. Mat. 18.

8. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.*] Mundicordes sunt quos nulla peccati conscientia redarguit, ex Hil. Can. 4. Basil. l. de beat. Hier. Vel qui simplicitatem habent,

Apoſto-

Apostolis valde necessariam vt mundi sapientiam destruerent ex Aug. l. 1. de ser. Dom. quam illis commendat. Mat. 6. & 10. c. & Iob. 1. & 2. Vel qui castitatem seruant ex Chry. Euty. & Theoph. vt Mat. 19. Mundus autem Deus à mundo corde conspicitur ex Hier. & quo purius eo melius ex Aug.

9. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*] Pacifici beati dicuntur qui primũ in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes faciunt pacem. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tua anima sint bella vitiorum, ait Hier. vel qui omnes animi motus componentes & subiicientes rationi carnalésque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei ex Aug. vel qui iniurias facile remittunt ex Hil. vel qui in se & in aliis pacẽ student ex Chrys. Pacificorum autem beatitudo, adoptionis est merces ex Hil. quia filij Dei vocabuntur, idest quia similes Deo erunt *Rom. 9. & 15.* & hic vers. 44. *Sap. 5. & 1. Cor. 14.* Quia Christum filium Dei naturalem imitantur ex Chrysost. etenim vnigenitus conciliauit nos Deo ait Theoph.

10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*] Idest, propter virtutem, propter defensionem aliorum, propter pietatem ex Chrys. hom. 15. vel quia iusti iustitiam sequuntur. *Act. 5. 1. Pet. 2. 3. & 4.* Et patientibus non propter scelera sed propter iustitiam regnum ipsum pro quo pugnant promittitur vt *Ierem. 31. 2. ad Tim. 4. 1. Cor. 15.*

11. *& 12. Beati estis cum maledixerint vobis homines.*] Ad ipsos Apostolos se conuertit, ostendens quod proprium sit doctoribus opprobria audire, & ideo beatos si propter Chri-

stum

ſtum, & falsò, exprobrentur. Ex Theoph.

13. *Vos eſtis ſal terræ.*] Sal ſaporem dat rebus inſipidis, & eas conſeruat. Sal terræ ſunt Apoſtoli, quia per eos vniuerſum hominum conditur genus. Ex Hier. & Chryſ. hac ſimilitudine alia occaſione vſus eſt Mar. *c.* 9. & Luc. 14.

Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur.] Ideſt ſi doctor infatuatus fuerit ſeu errauerit, aut male ædificauerit, quo alio doctore emendabitur ait Hier. non quod corrigi non poſsit, ſed quod fieri non ſoleat aut difficile poſsit.

Ad nihilum valet vltra niſi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus.] Deperdita vi & ſapore non poteſt reparari; ideſt niſi Apoſtoli & eorum ſucceſſores in officio ſalis ſtudioſe perſeuerent, & Euangelicæ perfectionis vigorem conſeruent, futurum eſt vt ſint irreparabiles vtpote carentes paſtoribus qui eos reparent, & vt perdito alios condiendi officio ad nihil vtiles efficiantur è dignitatis ſuæ gradu, & in extremum veniant contemptum apud homines. hæc Ianſ.

14. *Vos eſtis lux mundi.*] Ad pellendum verbo & opere tenebras hominum & rem eandem lucis, ſalis & ciuitatis ſimilitudine declarat, ex Ianſ. Lucem autem vocat non qualis eſt Sol vt Chriſtus, ſed qualis lux eſt lucerna ab alio lumen ſuum mutuans. *Ioan.* 1. & 8. 9. & 12. Sicut Apoſtoli lux dicuntur. Omnes etiam Chriſtiani lux vocantur Phil. 2. Eph 5. 2. Theſ. 5.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.] Hac tertia ſimilitudine ſignificat quod quo modo ciuitas ſupra montem poſita non poteſt abſcondi ſed neceſſario omnium oculis eſt expoſita, ita Apoſtolos propter ſtatus & officij ſui

sui altitudinem non posse latere, sed necessario omnium oculos in ipsos conuertendos. Hæc Iansſ.

15. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio sed super candelabrum.*] Ita Apostolos cogitare debere ob id se cœlesti lumine accensos esse vt propositi palam omnibus, illustrent in nocte huius seculi omnes qui sunt in domo Dei, vel in eam ingrediuntur. Et proinde non esse libertatem deponendam prædicandi aliis verbum Dei, vt infert Hieron. & Iansſ. vel caute esse viuendum, ne quid faciant, quod quempiam offendat, eo quod similes sunt ciuitati supra montem positæ, & lucernæ non sub modio sed super candelabrum, quæ non potest ab omnibus videri, ita Chrysost. & Theoph. vt ad *Philip.* 2. & 1. *Petr.* 3. vel infert vt verbo & exemplo luceant, nec labori parcant; propterea supra alios constitutos, tanquam vrbem supra montem, vt appareant, vt luceant, vt doceant, non vt lateant: sic *Luc.* 12. & 1. *Tim.* 4.

16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*] Vt, non causam sed consequentiam significat. Hic enim adiicit modum quo lucere debeant, & finem, nempe non in propriam sed in gloriam Dei Patris & hominum videntium vtilitatem. Ex August. & Chrys.

17. *Nolite putare quoniam veni soluere legem.*] Hoc addit quia Iudæi eum iam calumniabantur, vel calumniaturi erant, calumniæ satisfacit, ex Chrys. vel vt discipulos ad suum prouocet exemplum; vel quia ad perfectiorem legis interpretationem transibat, monet vt ex eo intelligant

telligant se non venisse vt legem solueret ; sed vt melius ad mentem legislatoris interpretaretur. Ex Chrys. & Theoph. At reipsa soluisse & abrogasse dices? Verum sed per Apostolos non per se. Vel respondendum Christum venisse non vt legem solueret, sed vt adimpleret 1. Quia quandiu lex vigere debuit ipse eam seruauit, & vt Apostoli seruarent curauit; & ipse & Apostoli circumcisi sunt : pascha celebrarunt. 2. Quia bene interpretando perfecit ; ex Euty. & Theop. 3. Quia gratiam per quam impleri posset, contulit; ex *Aug. l. 17. cont. Faustum c. 5. & Chr. hom. 16.* 4. Quia quæ in lege promissa erant exhibuit. ex *Iren. l. 4. c. 27. Tert. l. de patient. Hil. c. 4. & Aug. q. vo. test. q. 69.* 5. Quia pro temporalibus suppliciis æterna proposuit. Quo ergo modo legem abrogasse dicetur? non soluendo, sed adimplendo, non violando, sed perficiendo vt pictor qui incœptæ tabellæ extremam adhibet manum. Ex Theoph.

18. *Amen dico vobis donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.*] Verè illud vobis affirmo quando transibunt cœlum & terra non secundum substantiam suam, sed secundum statum suum, ne minimum quidem ex vniuersa lege erit periturum, sed perficientur omnia quæ in ea scripta sunt. Ex Iansen.

19. *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines.*] Minima mandata mors & crux Christi, quod res abiecta & cõtempta videatur, quam qui erubuerit saluus non erit, ex Hil. Quidam ad præcedentia referunt quæ Christus venerat non soluere. alij ad sequentia vt Chrys. & quidem minima non in se

se sed in Pharisæorum opinione, vt voluntas occidendi; quæ vt ipsi non seruant, sic non esse seruanda docent ex Chrys. hom. 16. & Aug. l. 1. de serm. Dom.

Minimus vocabitur in regno cœlorum.] Idest nullus ex Chrys. vel vltimus seu nonnullus erit in Ecclesia: vel per regnum cœlorum resurrectio & finitimi iudicij tempus intelligitur ex Theoph. Tunc qui vnum ex mandatis istis minimis non seruauit, minimus sententia iudicis declarabitur, nec erit nullo loco, quia & ipse resurget, sed erit vltimo, quia eiicietur in tenebras exteriores.

20. *Dico enim vobis nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum.*] Qui ista minima esse dicunt, qui soluunt quod docent, vt ait Aug. 9. de ciuit.

21. *Audistis quia dictum est antiquis.*] Iam incipit quod præstare promisit, implere scilicet legem & docere quomodo abundare debeat iustitia nostra. Christus ergo non solum Scribarum & Pharisæorum traditiones & interpretationes sed legem ipsam veterem corrigit adiunctis iis quæ ad perfectionem Euangelicam desiderabantur: non quod lex in suo genere perfecta non fuerit, sed quod minus perfecta quam Euangelium, & sic legem impleuisse dicitur ex Iren. l. 4. c. 27. Tertul. l. de patien. Clem. 6. Stro. Chrys. & Hier. & Theoph. additis partim præceptis partim consiliis Euangelicis legem perficit ex Mald. & Ians.

Non occides; qui autem occiderit reus erit iudicio.] Docet non satis esse cauere ab homicidio vt Scribæ & Pharisæi putabant tantum esse prohibitum, sed & ab omni ira in fratrem abstinendum,

mendum. Sícque præcepta corrigit partim explanando, & addendo, partim corrigendo. Tria autem apud Hebræos erát tribunalia 1. Triumvirum in quo de minutissimis causis & iudicium vocabatur. 2. Consessus seu iudicium in quo viginti tres iudices de causis maioribus, itémque capitalibus. 3. Synedrium seu magnum consilium, in quo vnus & septuaginta lecti viri, de rebus grauissimis vt de pace, bello, de falso propheta, de summo sacerdote agebatur. Reum autem esse iudicij, est dignum esse vt in iudicio eius causa exploretur. Ex Aug l. 1. de serm. Dom. Vel reum esse pœnæ capitalis quæ contra homicidas in iudicio decernebatur. Ex Eutym.

22. *Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*] Mortis æternæ. & conuenienter loquitur Iudæorum consuetudini, qui reum iudicij appellabant eum qui morte dignus erat; sed illi de corporis, Christus de animæ morte loquebatur. Auget enim peccatorum supplicia, non augendo, sed declarando esse maiora, quam in lege esse putabantur. Iram autem accommodatè ad homicidium vocat non omnem appetitionem vindictæ, sed eam propriè quæ tendit ad homicidium; voluit enim dicere, non solum eum qui reipsa, sed eum etiam qui sola occidisset voluntate reum esse iudicij siue cum causa, siue sine causa esset in priuata persona, neque sic Christus aut Apostoli vnquam irati sunt. Nam Petrus occidit Ananiam & Saphirum non ira: sed zelo religionis, non vt priuatus, sed vt Dei minister vt notat Mald. ex Act. c. 5.

Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio,

concilio] Rhaca est Syriacum verbum contemptus & vilipensionis : sicut nos vel famulis, vel iunioribus iniungentes dicimus : vade tu: dic illi tu : Dominus enim & quæ paruissima sunt euellit,& cum honore nobis inuicem vti iubet. Hæc Chry. hom.16. vel Hebræum est & dicitur inanis & vacuus ex Hier.indignum autem dicere hominem vacuum qui habet in se Spiritum sanctum,ait Chry.hom.11.vel Græcũ ῥὰκὰ significare pauperem & pannosum ex Aug.l.1. de ser. Dom. vel est irascentis sola interiectio ex eod.Aug.& Greg. in Iob.21. cap.4. Alij Chaldaicam seu Syriacam vocem Rik qua leuem significãt. Tres autem peccatorum gradus Christus distinguit, 1. est ira in verba non erumpens. 2. est contumeliosum verbum ex ira proficiscens, quo frater leuis inconstans & inanis.3. quo stultus & fatuus vocatur , quod magis contumeliosum. Hunc ergo qui dixerit verbum contumeliosum,iudicat reum concilio συνεδρίῳ, tertio tribunali quod consilium dicitur ; per concilium autem capitalem pœnam , quæ in eo statuebatur intelligit, non leuem vt in iudicio sed grauiorem. eandem inferni, sed non eandem pœnæ grauitate , quia his gradibus ita irascitur vt ad homicidium ascendat,secus qui ioco faceret,vt notat Mald. ex Chry.vel sine causa ex Aug.l.1.de serm.Dom. cap.19.

Qui autem dixerit fatue,reus erit gehẽnæ ignis.] Gahennon est vallis Ennon à possessore vel quia amœnus erat locus,vel quia impium habebat possessorem factus est locus ad colendum Moloch idolum : cui infantes cremabantur 4.Reg.16. vocatus est postea locus Theophet

phet à ritu sacrificandi, quia dum infantes cremabantur, tympana pulsabantur: ne parentes vagitu tangerentur. Inde factum est vt infernus gehenna vocetur quod damnati igne in ea sempiterno ardeant. His tribus iudicio, concilio, gehenna, ignis diuersæ mansiones in inferno pro modo peccati significantur ex Lyran.

23. *Si ergo offers munus tuum ad altare.*] Coniunctio ergo sic cum superioribus cohæret. Cum charitatis fraternæ tanta sit habenda ratio, vt cauendum sit ne vel fatue vel racha vel tacita voce indignantis eam violes, & cum violatorem fraternæ charitatis sic detestetur Deus vt igne æterno puniat, ergo si vt fit aliquem contingat fratrem læsisse aliqua in re, danda opera vt concordia resarciatur, & huic rei sacrificium postponatur. Ita Ianſ.

24. *Et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare.*] Sunt qui putant Christum perfectionem præscribere, & velle non solum cum alios læsimus, sed etiam cum ab illis læsi sumus relicto sacrificio priores reconciliationem quæramus. Alij interpretantur, fratrem habere aliquid aduersum nos, esse habere iustam contra nos querelam, quod à nobis iniuriam aliquam acceperit. ita Aug. & Hier. quod non ita intelligendum est, quasi semper ad fratrem relicto sacrificio ire debeamus, ex Aug. consilium sanctum est, & cum caritas postulat etiam præceptum, affectu & effectu potius, quam pedibus ire debemus. affectu iniuriam si quã nos ab illo accepimus cõdonantes, effectu iniuriæ si quam ille à nobis accepit,

accepit, satis facientes. Ex Mald. Hoc est præceptum, illud consilium.

25. & 26. *Esto consentiens aduersario tuo.*] Beneuolus seu benignus. Ex Hier. Aduersarius est Angelus malus ex Orig. Hom. in Luc. 35. Caro quæ spiritui repugnat ex Athan. q. 62. Conscientia quæ nos apud Deum accusat ex Athan. ibid. Vel Deus, aut eius lex ex Aug. l. 1. de serm. Dom. Vel is qui aliquid vult auferre, ex Hier. Vel is quem læsimus, quem raca, aut stultum diximus. Via est huius vitæ tempus. Iudex Christus, minister dæmon malus, carcer infernus, quadrans vltima culpa. Quod autem dicit nos non exituros inde donec vltimum quadrantem persoluamus, non significat exituros postea sed numquam exituros ex inferno ex Aug.

27. & 28. *Audistis quia dictum est antiquis Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem.*] Vxorem alterius impudico oculo iam adulterium commisit. sic Hier. & Chrys. non enim omnem mulieris concupiscentiam damnat ex Aug.

29. & 30. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum.*] Sunt qui oculo dextro mentem, sinistro corporis sensus, manu dextra voluntatem, sinistra carnis appetitum significari putant: Nec solum corporis sensum & appetitum refrænandum, sed superiores quoque animæ partes, mentem & voluntatem: sic Auctor Imp. hom. 2. Alij oculum dextrum dilectum amicum, manum dexteram coadiutorem, sic Aug. l. 1. de serm. Dom. Alij mulierem amicam, quia dixerat, *qui viderit mulierem*, sic Chrys. Hom 17. in dextro oculo & dextra manu, & fratrum

fratrum & vxoris & liberorum atque affinium & propinquorum innuitur affectus, quem si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento cernimus, debemus truncare huiusmodi portiones: Ita Hier. In oculo contemplatio, in manu actio ex Aug l. 1 de ser. dom. c. 24. Melius Mald. verus oculus & vera manus intelligitur quam per exaggerationem si fieri posset aut liceret, amputaremus, vt quoduis damnum potius subire deberemus quam culpam. Nec solum peccata vitare sed & occasiones ex Glos.

31. *Dictum est quicumque dimiserit vxorem suam det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis quicumque dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.*] Non concedit Christus etiam fornicationis causa libellum repudij dare, vt verba ipsa & perpetuus vsus Ecclesiæ declarat; quæ libellum repudij non nouit. Sex tamen sunt causæ ob quas potest coniugum quoad torum fieri separatio. 1. Est alterius coniugum fornicatio. 2. Sæuitia ex qua periculum alteri imminet. 3. Furor vehemens. 4. Hæresis maxime cum is alterum in suam hæresim inducere conatur. 5. Crimen Sodomiæ siue cum viro siue cum fœmina commissum. 6. Si ex cohabitatione alteri coniugum graue periculum peccandi mortaliter immineat, vt si alter alterum ad peccandum mortaliter impellere conetur. Ex Nauar. Christus veterem abrogans legem non iussit adulteram comburi aut lapidari: sed dimitti permisit. Addidit quod cum in lege multæ essent causæ, solam fornicationem excepit. Et quod cum vir dimissam reuocare nõ possit,

in

in Euangelio reuocari non iubet, sed optat. 1. Cor. 7. Et cum vxori virum dimittere non liceret, in Euangelio parem viri & vxoris causam esse vult; Et quamuis non expresserit hoc loco, tamen D. Paulus vt Mald. notat expressit 1. Cor. 7.

33. *Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.*] Leuit. 19. vel Exod. 20. habetur in vanum, sed latine idem est quod non necessarium, & quod falsum est, & hoc est peierare.

Reddes autem Domino iuramenta tua.] Velut Deo debita: & est explicatio eius, non periurabis. Quidam putat esse Pharisęorum additione, volentium iuramenta non esse præstanda quæ per nomen Domini non essent facta sed per creaturas. Sic Iansſ. ex Matt. 23.

34. *Ego autem dico vobis non iurare omnino neque per cœlum.*] Iustitiam Pharisæorum Christus hic in duobus perficit, primum quia non solum periurium, sed etiam omne iuramentum prohibet. Deinde quia docet illicitum esse per creaturas temere iurare & peierare æquè ac per Deum. Ex Iansſ. Omnino non genus sed formam significat, seu non adhibitis comitibus. Glos. quæ sunt veritas, iustitia, & iudicium. Nam Paulus iurauit Rom. 1. 2. Cor. 1 Philip. 1. 2. Thes. 1. Et Angeli Apo. 10. Prohibet autem omnino sine necessitate iurare, ne verum quidem sine causa.

35. *Neque per Ieroſolymam, quia ciuitas est magni Regis.*] Dei qui est Rex Regum, seu quia ciuitas sancta est

36. *Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum.*] Quia

Quia in cœli, terræ & Ierosolymæ iuramentis aliquid Dei est; ne veniret nobis in mentem iurare per caput nostrum, quia nostrum est, prohibet quia nostrum non est, quoniam à Deo quasi vtendum accepimus, & ne vnum quidem eius capillum album aut nigrum facere possumus. Alio etiam sensu vt notat Mald. per caput iuramus cum per cœlum & terram vetat iurare; quia cum per cœlum & terram iuramus tanquam per res aliquas sanctitatem habentes iuramus; cum per caput nostrum iuramus non propriè iuramus, sed tanquam rem nostram deuouemus. & hoc prohibet, quia cum nostrum non sit, iniquum est tanquam rem nostram deuouere.

37. *Sit autem sermo vester est, est, non non.*] Hęc iuramento non mendacio aut leuitati opponuntur, & sensus est, cum dicendum erit, est, id est affirmandum, non affirmetis iuramento, sed simplici affirmatione dicentes, ita est. Cum aliquid negandum, ne iuretis, non ita esse; sed simpliciter dicite, non, id est non ita esse. Sic Chry. & Hier. in epist. ad Celsum. & Hil. can. 4.

Quod amplius est, à malo est.] Ideſt ab infirmitate eorum quibus lex iurare permisit. Ita enim Christus non monstrat veterem legem diaboli esse: sed à veteri imperfectione ducit ad abundantem nouitatem. Hæc Chrys. hom. 17. Vel ab eo qui simpliciter affirmanti non credit ex Aug. l. 1. de ser. Dom. Vel à diabolo qui iurandi consuetudinem induxit ex Theoph.

38. *Audistis quia dictum est, oculum pro oculo.*] Exod. 21. lex erat talionis, quam Christus perficiens sustulit. Ex Chry. hom. 18. & Theoph. Voluit enim non metum tanquam seruis sed

amorem tanquam filiis proponere ad Rom. 8. & Ioan. 1. Et addidit, docens non solum non expetere vindictam, sed etiam patienter iniuriam tolerare, & optare & gloriari: & percutienti nos in vna maxilla, aliam præbere. Ro. 5. ex Hil. & Hier.

39. *Ego autem dico vobis non resistere malo.*] i. Diabolo. Ex Chry. & Theop. At Iacobus c. 4. docet ei resistendum: ita quidem, sed non hoc modo, non vltionem quærendo. Alij malum vocant iniuriam quæ nobis infertur, cui iubet non resistere. Alij malo interpretantur iniuriam facienti.

Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.] Partim hæc præcepta, partim consilia sunt; præcepta vt vindictam non quæramus, vt parati simus ad remittendum de iure nostro id quod caritas & Dei gloria postulat: consilium vt quamuis caritas & Dei gloria id non exigat; tamen mortificationis causa ad verbum hæc omnia faciamus. Dices hanc legem Christi impunitatem peccandi dare malis hominibus: at iudici manus non ligat quominus sceleratos puniat etiam lege talionis, sed priuatis hominibus. Ex August. epist. 4.

41. *Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.*] Non solum tua sine altercatione sed teipsum præbe, ait Glos. Publici nuntij & cursores apud Persas angari quibus licebat quosuis homines ad ferenda onera cogere; equos & naues vsurpare; vi aut soluta mercede: id Christus inter beneficia quæ aliis præstamus si sponte facimus; aut inter iniurias quas ab illis accipimus si coacte, numerat.

42. *Qui*

42. *Qui petit à te, da ei.*] Quisquis ille sit, seruato tamen caritatis ordine, vt parentibus potius quam alienis, vt amicis quam ignotis subueniamus; prohibet tantum personarum acceptionem quæ caritatē destruit, vt Luc. 14.

43. *Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.*] Proximū id est amicum. Amicus autem in lege vocabatur non solum qui erat sed qui debebat esse. Esse vero debebat is qui Iudæus erat ex Mald.

44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*] In hoc quod Christus legi adiecit quiddam præcepti & quidda m consilij est. Præcepti, ne odio habentes nos odio habeamus, ne malum pro malo reddamus; ne quid illis optemus mali, vt eos generali caritate complectamur, vt communibus orationibus, eleemosynis, beneficiis quæ in omnes fiunt non excludamus. Consilij vt eis etiam ad extremam non redactis necessitatem subueniamus, vt eos nominatim salutemus, vt familiariter alloquamur.

45. *Vt sitis filij Patris vestri.*] Hebraismus idest ei similes; vel vt vos declaretis esse filios gratia adoptionis. 1. Ioan. 1. Quia magnum erat præceptum, præclarum præmium subdit, scilicet fieri similes Deo, ait Chry.

46. *Si enim diligitis vos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ?*] Amare amantem naturæ est, inimicum charitatis Glos. Merces filiorum est adoptio. Qui inimicos non diligit: satis indicat & amicos non propter Deum sed propter se diligere. Publicanis similes qui publica vectigalia colligebāt populo odiosi, quia auaritiæ & quæstus sui causa omnia faciebant.

47. 48. *Estote ergo perfecti sicut Pater vester.*] Imitatione non æqualitate. Interl. tota Trinitas per Patrem intelligitur.

CAPVT VI.

Quomodo facienda eleemosyna, oratio, & ieiunium Christus docet.

1 *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.*] Græci codices eleemosynam legunt vt Chry. & Theoph. & Psal. 111. & 2. Cor. 9. Hæc concio alia est à superiore quæ ad solos Apostolos in monte dirigebatur, hæc ad omnes in campo.

2. *Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere.*] Quomodo hæc sententia intelligatur cum illa, *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona*, vide suprà c. 5. v. 16. Lyr. putat Pharisæos cum eleemosynas daturi erant solitos pauperes tuba conuocare, vel potius alludit ad consuetudinem tuba populum conuocandi. Ioel. 2. aut ad comœdiarum morem, quia hypocrita aliam personam agit vt notat August. & loca frequentia quærit vt synagogas vt à pluribus videatur.

3. *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*] Dextra est intentio seruandi præcepta diuina: sinistra est delectatio humanæ laudis. Ex August. lib. 2. de ser. Dom. Vel dextra est superior voluntas, sinistra inferior appetitus. vel populus Christianus

Christianus & Gētilis. vel dextra tu ipse, sinistra vxor tua vel amicus & familiaris. Ex Euty. Vel est hyperbolica locutio, qualis illa, si oculus tuus scandalizat te &c. & sensus est nos debere iustitiæ nostræ testes effugere, vt si sinistra oculos haberet videre tamen non posset.

4. *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*] In aperto vt addunt Græci codices, & Luc. 14. c. In resurrectione ait, ideſt, in vltimo iudicio coram omnibus hominibus, sicque maiorem gloriam etiam apud homines habituros, qui clam eleemosynam faciunt quam qui palam, & non nisi coram paucis: sic se & alios consolatur D. Paulus ad Philip. 1. & 2. ad Tim. 1. & 4. c.

5. *Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis & angulis platearum stantes orare.*] Ideſt fixi, immobiles quasi animo in cœlum rapti. Vel non humiliati vt Glos. ait. Nam mos erat Iudæis non stantes sed flexis genibus orare vt Petrus Act. 9. & Paulus Act. 10. & 20. & Christus Luc. 22.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.] Laudem hominum quam petierunt Interl. vel suam, non Dei.

6. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum.*] Non extra quærendo Deum. Int. in locis abditis vt sciamus Deum vbique præsentem ait Cyp. de orat. Dom. Verum cubiculum intelligit Chryſost. & Theoph. At non iubet nos reuera ingredi cubiculum & ostium claudere sed tantum inanem gloriam fugere. & sic orat etiam in plateis qui non vult ab alio quam à Deo audiri & videri. Act. 1.

Et laus ab omnibus facta in publico maiores vires habet ait Tertul. in Apolog. & Orig. Hom. 3. in Iosue & Chrysost. hom. 3. de incompr. Dei nat.

7. *Orantes autem nolite multum loqui.*] Supernacaneis repetitionibus, affectata copia verborum, vt notat Greg. Nis. l. de orat. Non enim prohibet Christus longas orationes qui perpetuas imperauit Luc. 18. & Paulus 1. ad Thes. 2. Col. 4. Sed eo animo multum loqui vt bene orare ab hominibus videamur. Euchitæ damnati non quia multum orarent, sed quia existimabant neminem posse saluari nisi semper & continenter oraret non intelligentes illud Luc. 18. ex Epiph. hæres. 80. & Aug. in l. ad Quod vult.

8. 9. *Sic ergo vos orabitis.*] Hac aut simili sententia, non his necessariò verbis ex Aug. 1. de Magistro c. 1. & Epist. 121. ad Probam c. 11. & Beda. Nam nec Apostoli his ipsis verbis orasse dicuntur Act. 1. Nec Christus Matth. 26. & tamen paucis verbis quæ docuerat dicit. Nec voluit vt quoties oramus, ista omnia peteremus, sed vt omnia, vt aliqua, aut nihil certe his contrarium. Ecclesia tamen non solum sententia sed ipsis etiam Christi verbis vtitur. Agnoscit enim Pater filij sui verba ait Cypr. l. de orat. Septem petitiones continet ex Aug. l. 2. de serm. Dom. Tres primæ ad honorem Dei, reliquæ ad vtilitatem nostram spectant. Sunt qui putant Christum bis eandem docuisse orationem. Apud Lucam c. 11. solos Apostolos, hic omnem turbam ex Rupert.

Pater.] appellatione Patris voluit Christus vt captaremus benevolentiam, ex Augusti. & fiduciam

fiduciam Deum alloquendi ex Cyp. & Chryſ. hom. 20. vt Luc. 15. Et quia filij ſumus ex Tert. l. de orat. & Aug. l. 2. de ſerm. Dom. Non ſerui qui Dominum vocant in veteri teſtamẽto.

Noſter.] Quia publica totius Eccleſiæ, cuius membrum ſumus, oratio eſt non priuata: ideo non dixit Pater mi, ex ſ. d. Cyp. Aug. & Theop. ad differẽtiam, quæ eſt inter nos & Chriſtum, quia eo modo quo Pater noſter eſt, omnium communiter Pater eſt; omnes enim creauit, conſeruauit, & quantum in ipſo eſt redemit: eo autem modo quo Chriſti Pater eſt, non alterius eſt Pater; quia illum genuit, nos creauit ait Amb. l. 5. de ſacram. c. 4. Vel quia illi regenerati per Chriſtum ſumus, ſícque & à Chriſto, & ab infidelibus hoc verbo diſtinguimur. Ex Tert. & Cypr. & Ioan. 1.

Qui es in cœlis.] Admonemur poſtpoſitis rebus terrenis eo intendere animum, vbi Patrem noſtrum habitare dicimus, ac cœleſtia tantum quærere & cœleſtem hæreditatem filiali iure expectare, vel ad diſtinctionem Patris terreni, ex Ianſen.

Sanctificetur nomen tuum.] Celebretur, vt ſanctum colatur, & honorificetur. Ex Hier. & Aug. vt ſanctum habeatur. Et cum nõ dicimus a quibus, ſignificamus ab omnibus velle ſanctificari ex Tert. l. de orat.

10. *Adueniat regnum tuum.*] Sunt qui intelligant de regno quo in cordibus regnat Rom. 6. vt Amb. & Hier. Alij quo in beatis: quaſi peramus diſſolui & eſſe cum Chriſto. Philip 1. 2. ad Tim. 4. Alij regnum tuum, id eſt gloria tua manifeſtetur hominibus vt Aug. Alij illud quo Deus poſitis omnibus inimicis ſuis in ſcabellũ

pedum suorum vbique regnaturus est, & erit omnia in omnibus 1.Cor.15.ex Theop. & Rup. Nam etsi nunc vbique regnet, non tamen pacifice & sine hoste. Ex Maldonat. quia non nostrum sed Dei regnum postulamus, vt filij Patri Regi pacificum regnum & victoriam in hostes.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.] Id est vt ita illi homines obediãt sicut Angeli. Ex Hiero. & Chry. Vel ita pacificetur terra sicut olim cœlum, & petimus vt victus diabolus à terra, in abyssum deiiciatur. Vt Ioa.12. Sic Amb. l.5.de sacram.c.4. Vel paratum animum ad omnia siue bona siue mala significat vt Iob 3. Sic Tertul. Vel vt omnibus in rebus Dei voluntas fiat à nobis & in nobis, sicut in cœlo, vbi Deo nihil resistit. Ps.102.

11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*] Panis vitæ Christus est, & panis hic, omnium, non est, sed noster est. Hunc autem panem dari nobis quotidie petimus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie accipimus, intercedente grauiori delicto à cœlesti pane prohibeamur & à Christi corpore separemur. Hæc Cyprian. de orat. Dom. Vel quotidie accipimus per Ecclesię ministros qui & pro se & aliis accipiunt & quotidie offerunt. Glos. Sic Amb. lib.5. de sacram. cap.2. & Hiero. Vel est Dei voluntas. Ex Aug. lib.2. de serm. Domin. & Ioann.4. & 6. Vel omnis necessarius cibus supersubstantialis; ideſt non superuacaneus. Et in hoc non tam corporis quam animæ curam habet. Nostrum, ideſt hominum non pecudum, vel qui nobis à te dari solet & petunt diuites vt non

non amittant, & pauperes vt habeant. Ex Aug. Vel noſter qui nobis eſt neceſſarius, vel ſi Chriſti corpus intelligamus, noſter id eſt fidelium ἡ ἐπιούσιον, id eſt ſuperſubſtantialem. Ex Hier. vel conſubſtantialem, id eſt, eiuſdem nobiſcũ ſubſtantiæ ſeu ſubſtantiæ noſtræ alendæ accõmodatum, cibarium, non delicatũ, non ſuperuacaneum. nobis in hodiernũ diem neceſſarium, diarium, qui ad ſubſtantiã præſentis diei pertinet; ſeu portionem panis noſtri quæ præſenti diei ſufficiat & indigentiæ noſtræ. Syr.

12. *Et dimitte nobis debita noſtra.*] Peccata pro quibus debetur ſatisfactio per pœnitentiam, & bona opera. Hoc telo confodiuntur Pelagiani, qui dicunt iuſtum in hac vita nullum habere peccatũ quàndo omnes iubentur dicere, *dimitte nobis debita noſtra.* Ex Hier. Et Aug. l. 3. c 5. contr. Pelag. Et Nouatiani qui negant poſt baptiſmũ peccata dimitti. Ex Chryſ.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.] Conditio eſt non regula, quia Deus nobis & multo plura, & multo maiora, & liberalius, & minus merentibus remittit, quam aut remittimus aut remittere poſſimus. Ille quidem nobis regula eſt, quam nos imitemur, non nos ipſi. Nos illi conditio ſumus; quia ſi nos debitoribus noſtris non remittimus, neque nobis ille remittit. Quod non de omnibus debitis, ſed de priuatis iniuriis eſt intelligendum: Nam ſi centum aureos mihi debes, etſi non condonauero, non ſequitur quod Deus peccata non condonabit: iubet iniuriam non damnum remittere. Videat quid dicat, qui non dimittit, & qua ſpe orat, qui inimicitiam ſeruat ait Chryſ.

13. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Ne nos patiaris induci tuo auxilio deserendo, seu permittendo superari: q. d. da gratiam tentationes vincendi: Et si inciderimus ne à tentatione absorbeamur. Alij melius nostræ infirmitatis memores, non solum vt vincamus petimus, sed etiam ne in certamen descendamus ne fortè vincamur. sic Cypr. de orat Dom. & Chrys. ho. 20.

Sed libera nos à malo.] A diabolo, à peccato, à quouis detrimento, à quouis incentiuo, & occasione peccati. Ex Cypr.

Amen.] Ita fit: Et est verbum optatiuum respectu præcedentium.

Quia tuum est regnum & potestas & gloria in secula, amen.] Non detraximus hæc verba, vt clamant hæretici quæ Græci solemni precationi addiderũt, vt salutationi Angelicæ: Quia tu peperisti Seruatorem nostrum. Et Psalmis, *gloria Patri*, vt legitur apud Chrys.

14. 15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum.*] Iubet facere quod minus, vt obtineamus, quod maius est, & centum denarios conseruis remittere, vt centum talenta à Domino remittantur; hanc enim vim habet, *hominibus.*

16. *Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.*] Vultu tristitiam præferentes, affectato pallore, tetrica seueritate simulatæ sanctitatis.

Exterminant enim facies suas vt appareãt hominibus ieiunantes.] Græ. demoliuntur, corrumpunt, obscurant natiuum colorem. Syr. deturpant speciem naturalem medicamenti artificio vel fucata tristitia.

Amen

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.] Vanam gloriam quam quæsierunt.

17.18. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua ne videaris hominibus ieiunans.*] Sic vni dicit quasi omnibus: nec reuera iubet caput vngere, sed lætum se ostendere, vt fugiamus ieiunij ostentationem. Palæstini his vti in lætitia diebus festiuis, in tristitia vero abstinere solebant. Ruth 3. & 2. Reg. 12 & 14.

Sed patri tuo qui est in abscondito.] In absconso, quia verè Deus est absconditus, vel qui est in absconso, id est in conscientia, in corde humili latere optanti.

19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*] Opes terrenas, laudem humanam.

20. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo vbi erugo nec tinea demolitur.*] Concludit excellentissimum modum thesaurizandi, quando scilicet bona temporalia consumuntur in pios vsus, & sic commutantur in bona spiritualia & æterna.

21. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*] Forsan est prouerbialis locutio. q. d. si cor habebitis in cœlestibus, ad ea semper aspirabitis.

22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*] Totus locus metaphoricus. q. d. Cor est in animo quod oculus in corpore: Et sicut oculus corporis dirigit opera corporalia; pedem ad ambulandum, manus ad operandum, ita oculus mentis dirigit per rectam intentionem opera humana, in quantum in eis est ratio boni moralis.

Si oculus tuus fuerit simplex.] Purus, mundus, simplex oculus & purus simplicia intuetur

& pura, lippientibus, vnum multa esse videntur, ait Hier.

Totum corpus tuum lucidum erit.] Id est illuminatum & veluti oculatum. Id est actio tota vel congeries virtutum. Ex Aug.

23. *Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.*] Id est si intentio mala fuerit, peruersum erit & opus

Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt.] Id est oculus qui pro lumine datus, scilicet mens vel intentio. lumen autem vocat; non quia est, sed quia esse debuit.

Ipsæ tenebræ quantæ erunt.] Reliqua corporis membra quæ natura sua sunt tenebræ; quia omne lumen suum mutuantur ab oculis, id est mala quæ fiunt intentione peruersa. Inter.

24. *Nemo potest duobus dominis seruire.*] Quia dixerat: Nolite thesaurizare; hoc probat non esse faciendum vsitato hoc prouerbio *non potestis duobus dominis seruire*, contraria scilicet præcipientibus vel diuersa; quia natura prohibet vt amor seruí in diuersos distrahatur dominos, quales sunt Deus & Mammona. Non dixit autem nemo potest duos habere dominos: Dominum autem vocat rem omnem cui nimis dediti sumus, cui seruimus. Ex Chrys. Hom. 22.

Aut enim vnum odio habebit & alterum diliget.] Id est primum, Deum odio habebit, & alterum id est secundum mundum diliget; sicque opponit non personã personæ sed odium personæ eiusdem amori. Estque Hebraismus, vt Gen. 4. & Luc. 16. Non dicit aut vnum diliget & alterum contemnet, quia interdum non diligit eum cui deseruit, & tamen sustinet

eum

eum quasi durum dominum, vt patet in iis qui dæmoni seruiunt, quem non diligunt. Item non dicit, & alterum odio habebit, sed cõtemnet, videlicet Deum, quia etiam illi qui non seruiunt Deo non odiunt eum, sed spernunt, dũ quasi de eius bonitate securi sunt ait Aug.

Non potestis Deo seruire & Mammonæ] Diuitiis seu dæmoni de auaritia tentanti.

25. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.*] Non omnem solicitudinem prohibet, sed eam quæ est ex diffidentia erga Deũ, & eam quę à Dei seruitute hominem distrahit. Porro solicitudo ordinata & rationalis vocatur ea quæ homo secundum conditionem sui status quærit necessaria vitæ præsentis in ordine ad spiritualia: Et talis solicitudo est pars prudentiæ, & hanc non habere esset Deum tentare, vel ignauiter se gerere. Labor exercendus, solicitudo autem quæ mentem perturbat tollenda ait Hier.

Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?] Q. d. quis vobis corpus & animam dedit, nisi Deus? qui ergo quod maius est dedit, & quod minus est dabit, omnem ergo in eum solicitudinem vestram proiicite.

26 *Respicite volatilia cœli quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea.*] Exempla diuinæ prouidentiæ in toto mundo proponit. Incipiens à cœlo & descendens in terram ad lilia agri. Aues autem potius quam alia animalia nominat, quia cum sint in aëre, longius absunt à cibo. Et quia terrestria animalia plus in quærendo & recondendo cibo habent

bent industriæ, vt patet de formica: Lucas coruos nominatim dixit, quod pulli simul vt excluſi ſunt à patre & matre deſeruntur, ita vt ex ſola Dei prouidentia pendeant.

Et Pater veſter paſcit illa.] Non dixit Pater illorum, quaſi dicat multo magis vos qui homines & filij eius; quibus promittitur æternitas. Ex Hier. niſi voluiſſet conſeruari, non creaſſet ait Chryſ.

Nonne vos magis pluris eſtis illis?] Maioris dignitatis, præſtantiores.

27. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam.*] Quantumuis ſolicitus acuat ingenium, & ſeſe cogitando diſcruciet.

Cubitum vnum.] Q. d. ſi non poteſtis quantumuis edatis & bibatis ad ſtaturam corporis veſtri vel vnum cubitum adiicere niſi Deus augeat, quid de cibo, & potu ſoliciti eſtis. quia neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. ſic Chryſ. Alij ex Luca colligunt voluiſſe Chriſtũ ab eo quod minus eſt ad id quod maius eſt, argumentari. ſic: Anima plus eſt quam eſca: Et corpus quam veſtimentũ: ſed animam & corpus non vos ſed Deus fecit; ergo non vos debetis quærere eſcã & veſtimentum. Quod autem animam vos facere non poſſitis nunc probat: Non poteſtis vnum cubitum facere: ergo multo minus totum: ideo autem meminit cubiti potius quam manus, quia menſura ſtaturæ hominis eſt: habet enim quiſque quatuor cubitos ſuos longitudinis & totidem latitudinis, ſcilicet extenſis brachiis, ait Eutym.

28. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt.*] Chriſtus hoc exemplo docet voluiſſe Deum

non

non solum necessitatis, sed etiam pulchritudinis nostræ curam habere, vt ne eius causa solicitos nos esse oporteat: Non sunt hæc allegorica, sed vt de minoribus persuadeantur maiora, ait Aug.

Non laborant neque nent.] Vt indumenta sibi conficiant.

29. *Dico vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.*] In splendidis indumentis suis, vel toto tempore regni sui; quæ enim purpura regum, quæ tinctura æquari poterit pulchritudini florum. Ars imitatur naturam sed non adæquat ait Hier.

30. *Si enim fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?*] Vestiet, qui ad imaginem Dei estis ad æterna vocati. Interl.

31. *Nolite ergo soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*] Id est talium cura nolite impediri quo minus cœlestibus insudetis. Glos.

32. *Hæc omnia gentes inquirunt.*] Qui de futuris curam non habent nec Dei prouidentiam credunt.

33. *Quærite ergo primum regnum Dei.*] Regnum quærere, est iustitiam operibus implere, vt Deus glorificetur, & nos ei per omnia placeamus. De hoc soliciti estote. Dicit primum, quia cætera non vetat quærere: sed ita quærere vt eorum solicitudo à Dei regno quærendo nos non auertat: Quærere autem secundo loco id est propter regnum Dei non vetuit, sed docuit in oratione dominica; & primum dignitate non tempore ait Aug. Regnum Dei vitam

beatam

beatam, gratiam Dei, & iustitiam eius & mandatorum obseruantiam vocat Eutym. & Autor Imperf.

Et hæc omnia adiicientur vobis.] Etiam non quærentibus ; quia intentionem æternorum hæc comitantur.

34. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum*] Q. d. volatilia cœli & lilia agri solicita non sunt, & tamen Deus pascit & vestit ea, non ergo vos, qui filij eius estis debetis esse soliciti.

Crastinus enim dies, solicitus erit sibi ipsi.] De iis quæ ad ipsum pertinent. q.d. satis vobis solicitudinis secum afferet, ait Hier.

Sufficit diei malitia sua.] Solicitudo vexatio afflictio quam affert. Vel necessitatem vocat malitiam ; quia pœnalis est nobis ; pertinet enim ad mortalitatem quam peccando meruimus ex Aug.

CAPVT VII.

Non temere iudicandum, nec margaritas mittendas ante porcos.

1. *Nolite iudicare.*] Quia superiore capite prohibuerat temporalium rerum solicitudinem, nunc eos qui de eis soliciti non sunt admonet ne male iudicent de iis qui eas quærunt cum bene & male quæri possint. Ex Aug. Vel hæc iungenda sunt cum verbis capitis 5. Estote perfecti, quia in Euangelistis non est quærenda connexio rerum, & res non eo ordine scribere voluerunt quo factæ vel dictæ sunt à Christo, vt notat Mald.

Iudi

Iudicare.] De iudicijs & promissis Dei ex Hilar. can. 5. Vel seueri esse in proximos, & iniurias acceptas animo retinere, sic Autor Imperf. vel alios temere seu malignè condemnare. vel curiosè in alienos mores inquirere. Non prohibet autem qui publicam habent de alijs potestatem iudicandi, neque de apertis iudicare: neque de dubijs, modo non vltra quam ducunt iudicia iudicemus. De alijs quæ bene & male interpretari possunt prohibet male iudicare. Ex Basil. & Aug. & Beda.

Vt non iudicemini.] Ab hominibus vel potius à Deo ex Chry. hom. 14. & Aug. de serm. Dom. l. 2.

Nolite condemnare, & non condemnabimini.] In Græco hæc verba non leguntur sed Lucas habet, plus enim est quam iudicare, quia iudicium antecedit condemnationem.

Dices persona sum priuata, quomodo possum alium condemnare? Damnas quantum in te est, ideſt æterna aut temporali pœna dignum iudicas quod Christus vetat. Luc. 7. Mat. 9. 1. Cor. 4.

2. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.*] Qua curiositate, seueritate & temeritate iudicaueris: eadem de te Deus iudicabit, seu causa erit vt de te iudicet ex Chrys.

In qua enim mensura mensi fueritis remetietur vobis.] Iuxta mensuram culpæ erit mensura pœnæ etsi æternæ. Ideſt secundum proportionem operis vestri ad alios erit proportio vestræ mercedis. Lucas videtur dicere non eadem sed maiore mensura remetiendum; quod etiam verum est si rem datam spectes, gloriam scilicet vel pœnam æternam. dicendum etiam hanc &

pleraſ

pleraſque alias eſſe parabolicas ſententias ex Aug. Epiſt. 48. & l. 21. de ciuit. c. 11.

3. 4. 5. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*] Hic oſtendit proximum non eſſe temere arguendum. hoc autem contingit, quando ille qui arguit eſt in conſimilibus culpis, vel maioribus: quia talis correctio non procedit à charitate ſed ex præſumptione, quia ordo charitatis incipit à ſeipſo. Si crimina arguentis ſunt publica peccat peccato præſumptionis & ſcandali: ſi occulta peccat primo modo tantũ. Si tamen ille qui arguit primo pœniteat & poſtea fratrem humiliter arguat, non peccat.

6. *Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.*] Quidam hæc connectunt cum verbis c. 5. *diligite inimicos*: alij verbis præcedentibus: *eijce prius trabem*, admonens nunc ne proijciant margaritas, ideſt, ne vbi nulla eſt ſpes emendationis, correctionem adhibeant. Alij ſimplicitatem docuiſſe, nunc prudentiam: Alij dicunt partem eſſe ſermonis ad Apoſtolos habiti, quia ad eos referuntur qui alios docturi ſunt. Ita Aug. Vel res à Matth. recitari non quo ordine dictæ ſunt à Chriſto, ſed quo in mentem ſibi veniebant. Eadem autem res dicitur Sanctum & Margarita, nempe Sacramenta & Euangelium. Sanctum quia non debet corrumpi: Margarita quia non debet contemni. Canes ſunt qui ad vomitum reuerſi: porci, infideles nondum conuerſi vel carnales Chriſtiani. duo genera hominum ſiue fidelium, ſiue infidelium notat, quibus non ſunt tradenda myſteria, eos qui tantum contemnunt vt canes, nihil inter ſanctum

&

& profanum discernentes, & eos qui non solum contemnunt, sed insuper irritantur & magis nocent vt porci. denique non vult animalibus hominibus mysteria proijci qui non percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei.

Ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi disrumpant vos.] Porci conculcant quæ dicuntur: canes autem conuersi lacerant vos quod fecerunt Philosophi cum audirent Christum Crucifixum, dilacerant ratiocinando impossibile esse cauillantes.

7. 8. *Petite, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit.*] Hoc cum oratione Dominica coniungit sanctus Lucas c. 11. S. Aug. l. 2. de serm. Dom. hunc sensum esse ait. Si feceritis quæ huc vsque dixi: petite & accipietis vt 1. Ioan. 1. Vel ostendit quomodo quæ difficilia dixerat, teneri possint, ex Chry. Non omnis tamē qui petit accipit, sed qui ita petit vt debet. 1. non accipimus cum mala, aut cum non mala, sed in malum finem petimus. 2. cum malis aut indigni sumus, aut cum nulla, aut vacillante fide petimus. 3. quando maius impeditur bonum. 4. quia vult Deus vt sæpius petamus. Luc 11. 5. vt meliora quam petimus accipiamus. ex Aug. l. 2. de serm. Dom.

9. 10. *Quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem nūquid lapidem porrigit ei, aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei.*] Ostendit nō solum Deum opem laturum esse, sed etiam bona daturum, panem non lapidem, piscem non serpentem: & docet frequenter & vtilia petere, spiritualia non carnalia ex Chrysost. Hom. 24.

11 *Si ergo vos cum sitis mali.*] Non natura, sed cum Deo comparati, vel malis, i. peccatores, ex Hier. & Chrys.

Nostis bona data dare filijs vestris.] Ideſt consueuistis dona dare.

Quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.] Confert Patrem cœlestem terreno, Deum homini, bonitatem malitiæ.

12. *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*] Breuem ad virtutem viam ostendit: si vis beneficia accipere, bene fac; si diligi ab inimicis, inimicos dilige. horum connexio est cum verbis c. 5. qui petit à te, da ei.

Hæc est lex & Prophetæ.] Id docent: & ferme lex naturalis præcipit.

13. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem.*] Hæc coniungenda cum ijs quæ de beatitudinibus dicta sunt c. 5. Hæc enim angusta porta præceptorum Luc. 13 Hoc Christi iugum durum carnalibus, leue spiritualibus.

14. *Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.*] In Græco est ὅτι quoniam angusta: estque Hebraismus, vt Ps. 8 quam admirabile. Porta præceptorum ingressus in regnum cœlorum, per angustam portam pœnitentiæ, ieiunium, abstinentiam, vigilias, actus virtutum, humilitatem, obedientiam, inimicorum dilectionem. An non angusta via est nec ad dexteram, nec ad sinistram diuertere, concupiscentias frænare, passiones superare, aduersanti benefacere. Denique angusta porta Christus qui dicit: *ego*

sum

sum ostium, per hanc intrare est Christi vestigia imitari: Vel lex Euangelica quæ tanto angustior, quanto perfectior est

15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.*] Veniunt sponte sua non missi à Deo vt Ierem. 23. Vestimenta vocat quicquid extrinsecus apparet verba, opera, eleemosynas, & omnia officia simulatæ charitatis & sanctitatis. *Ouium* dixit, quia solent pastores ouinis vestiri pellibus non lupinis. Falsi Prophetæ sunt hypocritæ, falsi doctores, hæretici.

16. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficos?*] Cum necesse sit eos cognoscere, & certum signum dari non potest: dat probabile indicium ex operibus.

17. 18. *Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest autem arbor bona malos fructus facere.*] Arbor est fides vel voluntas, vel homo bonam aut malam habens fidem, fides autem, natura sua, neque mala bonos, neque bona malos fructus facit, quamuis ex hominum malitia plerumque contrarium accidat.

Dices quomodo arborem ex fructibus cognoscam? Respondetur Christum non certum indicium sed probabile signum tradere, & docere non posse falsos Prophetas qui simulatione sanctitatis falsam doctrinam docent diu ferre personam fictam: & sub ouina pelle latere quin appareat lupus qui sub ea latitat.

19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur.*] In morte, vel à numero fidelium

sepa

separabitur & in ignem mitretur gehennæ, & sic apparebit & cognoscetur à fructibus.

21. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum.*] Quasi dicat non itur in cœlum dictis sed factis, ex Hiero. & Theoph. fides enim sine operibus nihil profutura, nec falsis Prophetis qui de Christo ita loquuntur ac si in illum crederent, dicentes more Iudæorum *Domine Domine*, vt c. 25.

Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.] Hinc colligitur eandem esse Patris & filij voluntatem: & quod se quasi Patris legatum gerat propterea sæpe dicit voluntatem Patris non meam, ex Chry.

22. *In illa die multi dicent mihi Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus & virtutes multas fecimus.*] Ex his ostendit se esse iudicem ex Chry. & probationem sanctitatis non esse signa facere sed proximum vt se diligere: de Deo vera, de proximo meliora quam de se sentire, ex Greg. Nota tamen raro fieri miracula per malos, nunquam vero ad probandam fidem eorum qui faciunt, sed eorum qui veram fidem habent, ex Num. 14. patet de Balaam, qui non suam sed populi Dei fidem confirmauit.

23. *Et tunc confitebor illis quia non noui vos.*] In illa die iudicij iurabo Amen Amen, nescio vos. In nullo approbaui vos: omnes enim cognoscit sed non omnes approbat. Orig. in c. 8. ad Rom.

24. *Vsque ad* 28. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, &c.*]

Hæc

Hæc verba intelliguntur de ijs quæ dicta sunt tribus capitibus superioribus, vel generaliter de omnibus Christi verbis. Ædificare autem est in Christum credere: huius ædificij duplex fundamentum: arena, fides sola sine operibus, petra bona opera.

28. *Et factum est cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina.*] Forte intelligitur turba discipulorum ex quibus duodecim elegerat, ex Aug. l. de cons. Euang. c. 19.

CAPVT VIII.

Leprosum sanat, puerum Centurionis & socrum Petri.

1. *CVM autem descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.*] Aliæ à prædictis, ex Glos. Omnia quæ tribus superioribus capitibus dicta sunt in monte à Christo tradita esse putat Hier. & Chry. Hom. 26 non ita esse diximus cap 6. 1. ex aliorum sententia.

2. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine si vis potes me mundare.*] Videtur hoc miraculum quo doctrinam confirmat, factum esse statim vt Christus descendit de monte: hãc vim habet *Ecce*. & miracula quæ Marcus c. 1. & Luc. c. 5. an prius an post facta fuerint incertũ est. Ægroti autem non illi sunt oblati in mõte, ne eius concio impediretur, ex Chry. Ho 27. & Leont. Leprosus reuerẽtiam exhibebat se inclinans, genua flectens, cadens in faciem Luc. 5. adorabat vt Deũ, actu religionis nõ vrbanitatis, quia dixit *Domine si vis, potes me mundare*, nõ autem

autem dixit, si Patrem oraueris vt Chry. Hom. 26. & Theoph.

3. *Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens: volo, mundare; & confestim mūdata est lepra eius.*] Extendit manum vnitæ deitatis organum, vt ostenderet carnem suam propter hanc coniunctionem cum diuinitate vim salutiferam, & viuificam habere, ex Cyril. vel diuinæ naturæ quam habebat veritatem, ex Amb. l. 5. in Luc. Vel se veteri legi non esse adstrictum quæ prohibebat lepram tangere; vel periculum contaminandi se non timere qui curandi causa tangebat, ex Tertul l cont. Marcion. c. 4. Eodem modo non prohibemur agere cum hæreticis ne eos conuertamus sed ne ipsi peruertamur. *volo* dicit propter Photinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum. ex Amb. l. 5. in Luc. & diuinitatem probat ex Tertul. 64. cont. Marc. & Athan. l. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus Sancti.

4. *Et ait illi Iesus: vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.*] Prohibet dicere quia non erat necesse vt sermone iactaret quod sermone præferebat. Interl. Vel ne gloriam suam quærere videretur, ex Amb. Vel vt salus hæc nō offerretur sed quæreretur ab alijs. Vel omnino non vetuit, sed ne diceret antequam se ostenderet sacerdotibus, ne si sacerdotes cognouissent, vulgata fama, calumniarentur non esse mundatum cuius mundities non esset comprobata ipsorum iudicio: aut ne, si se sacerdoti non ostendisset, extra ciuitatem manere cogeretur. Vel vt humilitatem suam doceret: aut vt inexcusabiles essent sacerdotes si in ipsum

non

non crederent cuius miracula comprobassent. Ex Hier. & Beda. Nec enim dicere poterunt, non vere fuisse curatum, pro cuius cognita & approbata curatione munus acceperint: vt illi qui mihi aduersantur primi meorum miraculorum testes sint. Ideo dixit *in testimonium illis*, curationem scilicet non ex Sacerdotibus, sed ex Deo profectam esse. Ex Hil. Tert. Chrys. & Amb. locis s. d.

5. 6. 7. *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur: Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.*] Hoc miraculum factũ est continuo sanato leproso: nec diuersum est ab eo quod scribit Luc. c. 7. Quod autem Matthæus Centurionem accessisse: Lucas seniores Iudæorum misisse dicat; respondetur vtrumque factum esse, & principio seniores Iudæorum, & postea amicos suos, cum audisset Christum aduẽtare, misisse ad eum: Quod Lucas, & ad extremum ingraueſcẽte morbo ipsum etiam accessisse, quod Matthæus exprimit. Ex Chrys. Hom. 27. Alij per alios non per se accessisse, vt Aug. Ad id autem quod seniores rogant vt veniat, apud Lucam, hic ne veniat, dicendum id apud Lucam seniores Iudæorum de suo addidisse: nam patet Centurionẽ non dixisse illis vt rogarent Christũ ad se venire, ex verbis, Domine noli vexari. Vnus ergo Euangelista quod Centurio mandasset, alter quod Iudæi dixisset exposuit. Verba autem *non sum dignus* à Iudæis non dicta fuisse, sed ab aulicis Centurionis, qui vt erant fideliores, iisdem vt acceperant verbis recitauerunt. Ita credit Chrys.

8. *Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.*] Non quia Gentilis, & domum meam ingredi Iudæo non liceat, sed quia peccator sum, sic Beda. Impera vnico verbo, credibile est Centurionem audiuisse quo modo Christus leprosum vnico verbo curauisset: Volo, mundare; indeque tantam fidem accepisse. Ex Leont.

9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade & vadit.*] Q.d. si ego homo cum sim sub potestate Imperatoris constitutus, tamen quia sub me milites habeo, dico huic vade & vadit, quanto magis tu qui sub nullius es potestate, poteris solo tuo imperio curare seruum meum? Idest per alios, vt per Angelos facere quod per te facere potes. Vidit latentem diuinitatem vt notat Hier.

10 *Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel.*] Miratur non propter nouam cognitionem, sed propter nouã experientiam: nam non reuera miratus est cum admiratio ex ignoratione procedat, sed quia ad modum mirantis loquutus est: vel composito vultu in modum mirantis. Ex Aug. l. 1 cont. aduers. legis & proph. cap. 7. Sicut iratsci Deus dicitur, non quod reuera iratscatur sed quod puniat, quod homines irati facere solẽt. Miratur ergo nobis mirandum esse significans. Attende quantũ sit aut quale quod miratur Deus ait Orig dicens: *Non inueni tantam fidem in Israel*, ex quo cœpi prædicare & facere miracula: De præsentibus loquitur non de Patriarchis & Prophetis. Cerè

in

in beata Virgine fuisse maiorem, in Apostolis, cum sæpe incredulitatem illorum reprehēdat, quia Apostoli Iudæi erant, Centurio vero Gentilis. Vel fit comparatio non cum Apostolorū, sed cum populi fide.

11. *Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & ab Occidente venient & recumbēt cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.*] Per duas præcipuas partes terræ, remotiores aliæ significantur scilicet Gentiles ex omnibus finibus mundi veniēt. Non dicit omnes vt notat Aug. de verb. Dom. Electi per singulas generationes pauci, simul vero congregati multi vt notat Orig. Ante vocationem Gentium ad fidem non licebat cū Iudæo mēsæ accumbere. Tres autem præcipuos quibuscum recūbent nominat; quia illorū Deus vocabatur: Et quia promissio terræ illis facta erat per quā cœlestis hæreditas significabatur. Et quia fides in illis eluxit. Ex Hier.

12. *Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium*] Iudæos intelligit in quibus Deus antea regnabat, vel quibus regnum cœlorū promissum erat, qui in eius aliquando erant possessione Ex Chrys. Vel est Hebraismus, filij Regni, id est ad regnū nati, vt filius mortis ad mortē destinatus. Dicūtur eo modo sicut qui sine veste nuptiali inuentus est eiici in tenebras exteriores, in infernū, quia à Deo vero lumine dānati discedunt: vel quod locus ille luce careat, quia etsi verus sit ibi ignis calidus, non lucidus est Aug. Exteriores tenebras ait esse extremam cæcitatem, & quæ vltra sanari non possit, in quam omnes damnati mittūtur, quia nullam in inferno possunt agere pœnitentiam: Exteriores autem appel-

lat, non omnes quæ in inferno sunt, sed eas in quas dicuntur eiiciendi esse ludæi, id est omnium grauissimas pœnas. Vel exteriores dixit, id est quæ extra regnum vel quæ à luce longè sunt. Solebant conuiuia in nocte fieri, multis accensis tædis & lampadibus. Itaque qui in cœnaculo erant, in magno erant lumine, qui extra, in magnis versabantur tenebris. Ideo qui de regno cœlorum tanquam ex conuiuio excluduntur, in tenebras exteriores eiici dicuntur, quia quicquid tunc extra regnum cœlorum erit, si cum eo comparetur erit tenebræ. sic per metaphoram fletus & stridoris describit pœnas intolerabiles caloris & frigoris, vel per vnam & eandem rem significauit maximam vim tormentorum, quia vtrumque faciunt qui multum torquentur & flent & dentibus stridunt. Et probabilius est verum ibi futurum fletum & stridorem quam metaphoricum. Ex Hier.

13. *Et dixit Iesus Centurioni: vade & sicut credidisti fiat tibi: Et sanatus est puer in illa hora.*] Imo eodem momento quo Christus hæc verba protulit, vel quo Centurio ea audiuit. *Vade*, Hebraismus est hominis concedentis quod rogatur; q. d. ab hac tua solicitudine & timore recede, & securus esto. Indicat per fidem meruisse, & fidem vnius alteri prodesse: nam seruus Centurionis aut fidem non habebat, aut si habebat, non propter suam sed propter fidem Centurionis sanatus est. Ita Cyr. Catech. 5. Chrysost. Hom. 28. Ambr. l. 5. in Luc.

14. *Et cum veniisset Iesus in domum Petri, vidit socrum iacentem & febricitantem.*] Hoc accidit

accidit simul atque Christus in synagoga Capharnaum cõcionem illam habuisset propter quam miratæ sunt turbæ, Marc. 1. Et postquam dæmonium illud eiecisset, de quo Mar. 2. & Luc. 5. Ex Chrys. Solebat autem Christus diuertere ad domos familiarium & amicorum ad quiescendum atque viuendum. Hæc vero domus Petri erat in Bethsaida, non in Capharnaum quæ vicinissima erat, ita vt Christus exiens ex synagoga Capharnaum Bethsaidam pransum ire potuerit. At quomodo Petrus domum habebat, quia omnia reliquerat? Respondetur domum Petri vocari non quia tunc erat, sed quia aliquando Petri fuerat; quam credibile est vxori & socrui suæ reliquisse quia pauperes erant. Et nisi fortasse ipsorum erat, Petri tamen vocabatur quia Petrus in ea habitabat, antequam esset Apostolus: sed quia Mar. 1. dicitur domus Simonis & Andreæ, forte neutrius erat sed patris ipsorum. Quæ eorum domus dicitur; sicut domus parentum dicitur domus filiorum: sicque hæreticum sapit dicere quod ad sua rediret post Euangelij prædicationem. Ex Mald.

15. *Et tetigit manum eius & dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis.*] Non semper solo verbo curat vt lateat: hanc tetigit vt apprehenderet manum eius & leuaret. Ex Marco. Quod diuina virtute factum est: nam licet à febribus virtute naturæ possit homo curari, non tamen ita subito vt possit consueta opera facere.

16. *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat spiritus verbo, &*

omnes male habentes curauit.] Sibi oblatos qui in eadem villa detinebantur variis languoribus.

17. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem : ipse infirmitates nostras accepit & ægrotationes nostras portauit.*] Non vt sibi haberet sed vt à nobis auferret : infirmitates quidem accepit quantum ad illos defectus quos assumpsit in propria persona: Ægrotationes vero quantum ad illos defectus humanæ naturæ quos patienter supportauit & potenter curauit, non tamen in propria persona assumpsit.

18. *Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum.*] Idest mare Galilææ quod iuxta Capharnaum decurrebat, nimirum quia tota ciuitas erat ad ianuam, ne se sequeretur fugit, ostendens nihil faciendum ad ostentationem. Ex Chrysost. non sequenti die quo socrus Petri sanata est, quo die Lucas & Marcus eum in desertum exiisse affirmant, alio ergo die eum iussisse ire trans fretum, notat Lyr.

19. 20. *Et accedens vnus Scriba ait illi : Magister sequar te quocumque ieris. Et dicit ei Iesus : vulpes foueas habent & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.*] Hunc Scribam volētem eius esse discipulus aspere reiicit, quia cognoscebat eum ficte accedere, nec tam perfectionis quam causa lucri aut gloriæ. Ideoque proposita paupertate terret vt filios Zebedæi proposita crucis ignominia. Se filium hominis, id est hominem vocat, vt ostenderet se eum esse quem Prophetæ prædixerant Adami filium. Ex Greg. Nazian.

Nazian. orat. 4. Alij vt incarnationis beneficium patefaceret. Ex Aug. alij non honoris, sed abiectionis causa, vt Psal. 21.

21. *Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine permitte me primum ire & sepelire patrem meum.*] Huic prius dixerat sequere me. Ex Luca. ideo petit veniam prius repetendi patrem: non quod iam defunctus esset, quia hoc ei negatum forte non esset, cum sit opus pietatis, sed quod discipulus iste tenebatur carnali amore parentum, cum quibus voluit vsque ad mortem permanere, eisque sepultis Christo adhærere. Mortuum fuisse putat Chry. vt doceat cum à Deo vocamur ne vnius quidem diei aut horæ moram etiam pietatis causa ad sepeliendum Patrem esse interponendam quo minus statim vocantem sequamur, nullam esse maiorem pietatem quam ipsum sequi.

22. *Iesus autem ait illi: sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*] Mortuos, idest infideles; vel omnes peccatores qui non de Christo sed de rebus mundi cogitant, mortuos corpore sepelire. Ex Aug. Vel suos, id est suum quemque patrem suum filium. Inter fidelem filium & patrem infidelem ius paterni nominis relinqui admonuit vt notat Hilar.

23. *Et ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius.*] In diuersa loca cum miranda fecisset in terra, similia facturus transit ad mare, vt se terræ & maris dominum ostenderet ex Orig.

24. *Et ecce motus magnus factus est in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus, ipse vero*

dormiebat.] Mare vocat ſtagnum ſeu lacum Genezareth. Hic tria non inconſulto facta. 1. quod Chriſtus ſolus cum diſcipulis nauem conſcendit Luc.8. vt liberius argueret eorum diffidentiam 2. quod tempeſtas exorta ſit non ex ſe, ſed Chriſti imperio vt ſuos probaret. 3. quod dormiens etſi naturali ſomno, tamen vt eo dormiente tempeſtas oriretur vt Apoſtolos ſuſcitare faceret, & rogare.

25.26. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: quid timidi eſtis modicæ fidei. Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*] Sic Deus oſtenditur, ſentiunt omnes creaturæ creatorem; & quæ apud nos inſenſibilia, illi ſunt ſenſibilia. Ex Hier. Sic tempeſtati & ventis loquitur ac ſi ſpiritibus malis loqueretur: nam eos increpauit, quia morbi & tempeſtates ſæpe per malos ſpiritus immittuntur Pſalm 77. Iob. 1. Dormit vt homo, imperat vt Deus.

27. *Porro homines mirati ſunt dicentes: qualis eſt hic quia venti & mare obediunt ei.*] Nautæ qui erant in aliis nauibus, vel diſcipuli qui cum eo erant mirantur.

28. *Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum occurrerunt ei duo habentes damonia, de monumentis exeuntes ſæui nimis.*] Marcus & Lucas vnum referunt, eum ſcilicet qui clarior & famoſior, & pro cuius ſalute regio illa erat magis ſolicita. Ex Aug. lib. 2. de conſen. Euang. cap.24. Vel quod alter ſæuior eſſet, quippe qui ab integra legione

gione dæmonum vexaretur, ex Chry. In monumentis habitabant, quia volebant imponere falsum dogma, animas scilicet morientium dæmones fieri ex Chry. Vt & dæmoniaci clamant, vt decipiant audientes, anima illius ego sum. Alij dæmones eos quos torquebant putant in sepulchris, ideo habitare coëgisse vt magis horrore loci & fœtore vexarent. Alij vt odio generis humani mortuorum corporibus illudant: ideo Ecclesia prouidit cruces & aquã benedictam apponi sepulchris. Vel quod nemo hunc dæmoniacum propter sæuitiam in domo recipere vellet, ideo in sepulchris morabatur quæ quasi cauernæ erant.

29. *Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei?*] Nihil commune dæmonum malitiæ & gratiæ Christi, alios prætereuntes lædimus, te non attingimus, sed veneramur, sed adoramus, Dominum confitemur. Ex hoc colligitur dæmones non certa scientia, sed probabili coniectura Dominum cognouisse: si enim certo cognouissent conati fuissent mortem eius impedire. Ad hoc tamen dicendum, antequam prædicare inciperet non fuisse à dæmonibus cognitum an filius Dei & verus Messias esset, quia si cognouissent non eum tentassent. Post tentationem verò certò cognouisse Mar. 1. Luc. 4. Mysterium tamen mortis credibile est non cognouisse, quia si cognouissent nunquam Iudam ad proditionem incitassent. Credibile est dæmonem impeditum fuisse quo minus multa de Christo cognosceret, quæ non impeditus, natura sua facile cognouisset, ex D. Th.

Veniſti huc ante tempus torquere nos.] In hunc

mundum, vel in hanc regionem: venisti ante tempus iudicij: non quia ante diem iudicij non torqueantur, cum suum vbique portent supplicium, sed quia post diem iudicij magis punientur. Sed quæstio an iudicij diem nouerint. S. Augustin. putat dæmones existimasse cum Christum viderent, iudicij diem quem nondum expectabant instare, sed dubium non est ignorasse; nec mirum cum boni Angeli ignorent. At quo modo torquebantur: nimirum quia inuiti ex obsessis corporibus expellebantur: Nec incredibile est Christum aliquem eis cruciatum vt exirent addidisse.

31. *Dæmones autem rogabant eum dicentes, si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.*] Hoc rogant vt homines huius ciuitatis affecti damno Christum non reciperent. Hoc autem concessit Christus vt ea vexatione eius ciuitatis incolas ad salutem adduceret. Ex Theoph. Vel vt Iudæos illos qui contra legem porcis vtebantur, porcorum iactura puniret. Vel vt qui liberati fuerant, melius agnoscerent magnitudinem beneficij, videntes quanta dæmonum multitudine liberati essent ex Chrys. Vel vt agnosceremus dæmones nullam habere potestatem, ne quidem in porcos nisi Domino permittēte. Vel vt liberati intelligerent quanta passi fuissent, nisi à Deo seruati fuissent videntes porcos, mox vt obsessi fuerant in mare præcipitatos. Vel vt appareret quanta ex vno homine dæmonum multitudo ejecta fuisset ait Chry.

32. *Et ait illis: ite. Et illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu magno abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.*

Rasores

Pastores autem fugerunt: & venientes in ciuitatem nuntiauerunt hæc omnia, & de his qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu: & viso eo rogabant eum vt transiret à finibus eorũ.]Ex humilitate hoc faciũt indignos se iudicantes Christi præsentia vt Petrus. Exi à me Domine. Ex Hier. Vel ex timore ne alios etiam dæmones ab hominibus electos in ipsorum greges immitteret. Quanta autem Christi mansuetudo qui non restitit sed recessit dans eis doctores liberatos & porcorum pastores ait Chry.

CAPVT IX.

Curat ægros, docet insçios.

1 ET *ascendens Iesus in nauiculam transfretauit & venit in ciuitatẽ suam.*]Marcus c. 2. & Lucas c. 5. qui hæc narrant prius quam quę superiore capite dicta sunt. ordinem temporis non seruauerunt, vt alibi sæpe. Per ciuitatem suam Bethleem in qua natus est, vel Nazareth in qua educatus, vel melius Capharnaum in qua frequẽter commoratus, aut quia Galilææ erat metropolis cui subiecta erat Nazareth intelligit ex Lyr.

2. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, & videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.*] Quia ingredi non valebant & præ multitudine eorum qui confluxerant in domum vbi Christus erat, ij qui eum gestabant, cum etiam ingredi non possent ex tecto demiserũt Mar. 2.

Et Luc.5. Quorum fidem videns ex Chry. Hier. & Chry. vel forte paralytici. Spera inquit te adepturum plus etiam quam optas corporis scilicet & animæ sanitatem, in quo se Deum esse innuit. Et prius fortasse dimittit peccata vt ablatis causis morbi, sanitas restituatur. Ex Eutym. vel vt doceret quid prius paralyticus petere debuerat. fidem autem potius quam caritatem in iustificatione paralytici nominat, non quia dignitate aut efficacitate maior, sed quia ordine naturali prior est. Quare ex hoc loco male contendunt hæretici hominem iustificari sola fide.

3. *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: hic blasphemat.*] Non inter se, sed intra se murmurantes cogitabant Christum blasphemare vsurpando quod soli Deo conuenit scilicet peccata remittere. Isa. 43. Mat. 2. & Luc. 5.

4. *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?*] Deum se esse & occultorum cognitione & operum virtute indicat. Ex Lyr.

5. *Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula.*] Quanquam eiusdem virtutis sit corporis & animæ vitia dimittere, inter dicere tamen & facere multa est differentia, ex Hier. Vnde ex re quæ effectu probari potest, in re quæ probari non potest, sibi fidem facit: id enim intendebat, scilicet sibi esse credendum. Quod bene probat ab eo cuius probatio erat difficilior: reuera tamen iustificatio est facta difficilior, quam totius mundi creatio aut morbi sanatio. Ex Aug. tract. in Ioan. 72.

6. 7. *Vt*

6. 7. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam.*] Hęc verba nō sunt Matthæi sed Christi, quibus probat se Deum esse & hominem, qui peccata remittit vt homo non qualiscumque sed vt homo Deus. Non enim dixit vt sciatis quod filius Dei, sed quod filius hominis habet potestatem, & super terram. Hinc male contendunt hæretici sacerdotes non posse remittere peccata. Nam vt potestas remittendi peccata cum natura etiam humana Christi à Diuinitate communicata est; ita fuit à Christo tanquam à capite cum quibus voluit membris, id est cum sacerdotibus communicata ex Amb l. de pœnit. iubet autem lectum tollere vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis.

8. *Videntes autem turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.*] Admiratæ sunt. Et hæc admiratio non ex gaudio, sed ex vero timore nata, non ex odio, sed ex reuerentia & magna opinione de Christo, & iam quodammodo credentes. Interl. Ideo stuporem appellat. Luc. 5.

9. *Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonæo Matthæum nomine, & ait illi: sequere me: & surgens secutus est eum.*] Per telonæum mensam publicanorum intelligit, vbi vectigalia Cæsaris reponebantur in loco publico iuxta mare. Quod negotium vix aut numquam exerceri potest sine peccato, ex Gregor. Huic vacabat Matthæus, quem cæteri Euangelistæ propter verecundiam non appellant

lant eum hoc vulgato nomine sed leui, Binomius enim fuit. Ipse autem publicanum se nominat, ne quis de sua salute desperaret.

10. *Et factum est discumbente eo in domo: ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius.*] Hæc domus erat Matthæi, in quam ex telonæo se Christus contulerat, vbi & magnum ei conuiuium apparauit.

11. 12. *Et videntes Pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens ait: non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.*] Dupliciter errabant, quia & se iustos putabant cum sint superbi, & illos reos cum iam pœniteant. Valentes vocat qui gratiam non quærunt: quales Pharisæi male habentes; qui pœnitendo dant locum gratiæ, quales Publicani.

13. *Euntes autem discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos sed peccatores.*] Ite à vituperationis temeritate q.d. Misericordiam sequimini sicut ego. Non negat autem se sacrificium velle, cum ipse instituerit, sibique iusserit offerri, sed se malle misericordiam. Ex Euty. ideſt sacrificium internum quam externum. Per sacrificium autem omnis cultus externus, & per misericordiã omnia caritatis opera intelligit. Per iustos intelligit falsò se iustificantes non quod ille vocare nollet ait Hil. & Chry. Sed quod illi etiãsi vocati, venire nollent: quales erant Pharisæi. Christus cum venit aliquos iustos inuenit, vt Zachariam, Elizabeth, B. Mariam; neminem tamen iustum inuenit, qui per se, ideſt sine ipso Christo iustus esset. An autem etiam propter

illos

illos venerit? Respondet Christus se ita peccatores quærere vt si aliqui fuissent iusti, non propter eos, sed propter peccatores venturus esset. Vnde probabilius est si homines non peccassent, Christum non fuisse venturum.

14. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?*] Lucas Pharisæos accessisse ait, Matthæus solos discipulos Ioannis. Dicendum vtrosque accessisse, discipulos quidem instigantibus Pharisæis ex Chrysost. qui discipulos & ipsummet Christum arguunt intemperantiæ, in quo peccant primo quod sese suo iactant ieiunio, 2. Quod se Pharisæis coniunxerunt. 3 quod discipulos & Christum arguere præsumunt, quem à Ioanne laudatum nouerant.

15. *Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus.*] Per filios ipsi intelligit Apostolos, quos in Ecclesia genuit Christus spiritualiter: qui ideo lugere, ideſt ieiunare non possunt, quia celebrationi nuptiarum repugnat ieiunium, & vt filij regni dicuntur qui sunt ex regno; ita filij nuptiarum amici & familiares qui thalamo nuptiali intersunt Amb. l. 5. in Luc. & Hier. At Ioann. Baptista ieiunauit? Verum hoc fecit vt homines alliceret ad salutē omnibus modis: singulari qualis fuit Ioannis, & cōmuni qualis fuit Christi vt c. 11. significat, venit Ioannes nec manducans, &c. Adde quod Ioannes propriè non erat filius, ideſt discipulus sponsi, parabat enim viam qua alij ad nuptias venirent, ipse non venit.

Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt.] Tēpore passionis erunt enim

enim tunc in mœrore & in luctu, donec per Spiritum sanctum consolati ieiunium lætitiæ celebrabunt; non solum à cibis sed à terrenis omnibus abstinentes Act. 13. Alludit ad veterem morem lugendi mortuos adhibito ieiunio: solent enim qui lugent cibo abstinere.

16. 17. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento & peior scissura fit, Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt.*] Duobus probat exemplis se prudenter facere quod non cogat suos discipulos ieiunare, ex Hieron. & Chrys. primo panni rudis & vestimenti veteris. Secundo: vini noui & vtris veteris: quorum neutrum cum altero bene conuenit. Quasi dicat nondum mei discipuli effecti sunt fortes, non sunt grauandi præceptis, ne si initio cogantur ieiunare, institutum derelinquant. Itaque discipulos suos vestimento & vtribus veteribus, genus autem viuendi austerum panno adhuc rudi, vinoque adhuc nouo comparat, quasi dicat si pannus rudis vesti veteri assuatur, aut vinum nouum in vtres veteres mittatur, id quod vestem conseruare debuit perdet, & vinum quod vt seruaretur in vtres missum est, effluet vtres rumpendo vt seruari non possit; sic nimis rigidum vitæ genus, si discipulis vt meliores fiant, adhuc infirmis & veteribus assuetis moribus, præscribatur, idipsum quod meliores eos facere debuit; deterrendo, auertendo, fugando, peiores faciet: sic Iudas tanquam minus idoneus ad Apostoli officium,

tanquam

tanquam vter nimium inflatus crepuit medius cum quadam ignominia Apostolatus.

18. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Domine filia mea modò defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & viuet.*] Dum cum discipulis Ioannis loqueretur Archisynagogus nomine Iairus qui synagogæ præsidebat, venit & adorabat, non cultu latriæ, quia non credebat esse Deum, qui penè mortuam filiam reliquerat: nam Marcus c. 5. ait in extremis est & Luc. c. 8. & hæc moriebatur. defunctam dixit quia forte per familiares ita esse cognouerat. Vel vtrumque dixit & in extremis esse & mortuam esse, ex Chrys. & Beda. Tantam vero virtutem credidit inesse animæ Christi, vt corporali tactu suæ manus filia eius suscitaretur, vtique virtute precæ ac merito animæ Christi, ex Ians.

19. 20. *Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius: & ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti eius.*] Pudore, humilitate, vel quia immundus habebatur apud legem hic fluxus seminis, ideo non libere accessit sed occulte, ex Chrys.

21. 22. *Dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam dixit: confide filia, fides tua te saluam fecit, & salua facta est mulier ex illa hora.*] Conuersus quasi ignoraret, quod ideo fecit vt videns mulier se latere non posse, proderet se se, & miraculum ex eius ore cognosceretur, eam in spem erigit; ex quo apparet eam timuisse valde cum videret quæri à Christo quis se tetigisset, quasi sacrilegium commisisset ait

Chrys.

Chryſ. quod clam ſanitatem furata eſſet, quod Caluinus indiſcreto zelo factum eſſe ait, vt reliquiarum vſum improbet, cum tamen Chriſtus eius fidem commendet. Noluit autem hoc miraculum latere ad Dei gloriam, & vt fides principis ſynagogæ qui Chriſtum ſequebatur confirmaretur, ex Chryſ.

23. 24. *Et cum veniſſet Ieſus in domum principis & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite: Non eſt enim mortua puella ſed dormit, & deridebant eum.*] Tibicines ad funus de more adhibitos lugubre carmen canentes, ex Amb. in Luc. l. 8. Iubet turbam recedere, quia indigna erat quæ miraculum videret ex Chry. Vel quia Chriſtum deridebat dicentem non eſſe mortuam ſed dormientem; vel quia tumultuabatur; vel melius quia volebat miraculum celari, turba autem tenere ſecretum neſcit, propterea dixit: non eſt mortua puella ſed dormit, vt cum poſtea videret eam ambulantem, non à morte ſed à ſomno excitatam putaret, ad vitandam Phariſæorum inuidiam celat, qui ſi minora miracula ferre non poterant, multo minus, ſi mortuum ſuſcitatum audiuiſſent ex Ianſ. Dicit autem non eſſe mortuam, non quod vere mortua non eſſet ſed non eo modo quo turba putabat, itaut ad vitam reuocari non poſſet: vel dicendum mortuam vobis non Deo, cui omnia viuunt, vel vt ſignificaret paulo poſt eſſe ſuſcitandam, vel quia mortui dormientes dicuntur in ſcripturis, ex Hier. & Chryſ.

25. *Et cum eiecta eſſet turba intrauit & tenuit manum eius, & dixit: Puella ſurge, & ſurrexit puella.*] Rogatus enim fuerat à patre vt manũ

illi

illi imponeret, & vt ostenderet tam facile ei esse eam suscitare à morte, quam à somno quod manu fit, ex Chryſ. Imperat animæ vt redeat: corpori vt resurgat. iam enim non erat puella sed cadauer, & corpus exanime, iussit ei dari cibum, vt probaretur vera resurrectio ex Chryſ.

26. *Exijt fama hac in vniuersam terram illam.*] Vt probaretur miraculum.

27. 28. 29. *Et transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: miserere nostri fili Dauid: cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dixit eis Iesus: creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei, vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem vestram fiat vobis.* Non curauit in via, vt secretius domi curaret, & doceret se gloriam suam non quærere, & vt eorum fidem exploraret, ex Chryſ.

30. *Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus dicens: videte ne quis sciat.*] Ideſt viderunt, nam ante aperti erant, sed clausi dicebantur quoad effectum videndi. Grauiter præcipit celari ad exemplum fugiendæ iactantiæ, ex Hier. & quiá Apostolorum erat officium Christi miracula diuulgare, ex Hilar.

31. *Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.*] Factum miraculum & famam Christi. Excusantur quia non tam vt non obedirent quam vt grati essent fecerunt, ex Chryſ. & credibile etiam est Christum non serio sed modestiæ causa id vetuisse, ex Hier. & Greg.

32. *Egressis autem illis ecce obtulerunt ei hominem mutum & dæmonium habentem.*] Qui idem est quem Lucas describit c. 11. Vox Græca

Græca κωφὸς, etiam surdum significat. Non quod natura muti sint dæmones, sed quod delectentur mutos vel surdos homines reddere: vel quod obseruent lunæ mutationes vt homines vexent & Dei creaturam infament ex Hier.

33. 34. *Et eiecto dæmonio locutus est mutus, & mirata sunt turbæ dicentes, nunquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: in principe dæmoniorum eijcit dæmones.*] Opponit Pharisæos non credentes & blasphemantes turbis credentibus & admirantibus. ex Chrysost. quos sic inuidia excœcauit vt dicerent Christum eijcere dæmones in virtute Belzebuth, cum dæmon dæmoni consentiat, ex Chrys.

35. 36. *Et circuibat Iesus omnes ciuitates & castella docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.*] Indifferenter prædicabat non personas discernens sed salutem credentium quærens.

37. *Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci.*] Hæc sunt capitis decimi apud multos. Messem vocat auditorum multitudinem.

38. *Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam.*] Patrem intelligit quem agricolam & Dominum vocat c. 20. Quamuis ipsemet Christus sit Dominus messis, se tamen filium familias vocat qui pro patre sementem iacit, & metit, ex Chrys.

CAPVT

CAPVT X.

Verbi administrationem docet.

1. *ET conuocatis duodecim discipulis suis dedit eis potestatem spirituum immundorum vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.*] Huc vsque Apostolos tantum discipulos nominauit, quos nunc Apostolos, ideſt missos à mittendo facit, misit alios 72. sed hos solos duodecim Apostolos nominauit quia generaliter in mundum vniuersum missi sunt, quibus dedit virtutem contra spiritus qui rebus immundis delectantur & ad eas homines incitant.

2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc.*] Horum nomina ponit ne alij pseudo-Apostoli reciperentur, ex Hier. & decebat vt Christiani agnoscerent pastores à quibus geniti sunt.

Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.] Dignitatis rationem Euangelista seruauit, non quia primo loco vocatus, sed quia princeps Apostolorum, Iudas vero vltimo loco vocatus, quia indigniſſimus omnium, erat ex Hier. qui notat binos nominari.

3. 4. *Iacobus Zebedæi.*] Filius, qui maior propter ætatem dictus est, vt distinguatur à Iacobo Alphæi filio qui minor dictus, & frater Domini & iustus propter sanctitatem Hic ordine alios recenser Apostolos.

5. *Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis dicens: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum*

ritanorum ne intraueritis.] Binos mittit, & ad Gentes ire prohibet, quia Iudæi filij erãt regni quibus oportebat primũ prædicari regnũ Dei. Distinguit Samaritanos à Iudæis & à Gẽtibus, quia proprie neque Iudæi neque Gentiles erãt.

6. *Sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.*] Perditas oues vocat, quia erant populus Dei peculiaris, & grex quem ipse & per se & per Reges & Prophetas pascebat.

7. 8. *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: Gratis accepistis, gratis date.*] Vt fidem verbis daret virtus ostensa, & noua facerent qui noua prædicabant ex Hier. Largiter autem dono miraculorum & gratis iubet vti, quia gratis, ideſt sine pretio ac illorum merito ipsis collata sunt sacramenta Ecclesiæ, beneficia sanitatum, sapientia & scientia, pro quibus nihil sumendum per modum pretij. his etiam verbis illis iactantiæ occasionem aufert. ex Chrys.

9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.*] Hæc Christi prohibitio vniuersalis est, nec ad hanc solum primam missionem, sed ad omnes & omnino ad totum Apostolorum officiũ pertinet: hoc enim prohibet ne auri & cæterarum rerũ solicitudo Apostolorum officium impediat, quia non est bonum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, quanto minus de victu quærendo solicitum esse. ex Hil & Chrys. Amb. l. 9. in Luc. & Hier. Notandum quod olim itinerantes & mendici pecuniam in zonis gestabant, seu in crumenis ex zonis pendentibus.

10. *Non peram in via, neque duas tunicas,*

neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo] Per-m ponit pro escis in ea contentis. Duas habere simul tunicas quando necessitas & frigus postulat non prohibet ex Hier. nam & Christus ipse duabus simul indutus est Ioan. 19. sed ne duabus vterentur diuersis temporibus. Prohibet etiam plura habere calceamenta quam in præsentem vsum sint necessaria. Et calceamenta integra habere. Nam Marcus dicit calceatos sandalijs vel soleis quibus scilicet pes nec tectus desuper, neque nudus ad terram. ex Hier. & Aug. l. 2. de cons. Euang. c. 30. & virgam vltionis & defensionis causa: nam ad innitendum conceditur Mar. 6. & Iudæorum consuetudo erat vt doctores & prædicatores eorum ferrent virgam in signum doctrinæ, & in signum quod ij quibus prædicabant, tenebantur eis de victu prouidere.

11. *In quamcumque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis.*] Per dignum intelligit qui sit bonis moribus, hospitalis, vel idoneus cui Euangelium prædicetur. vel apud quem hospitium habeatur; quasi Apostoli, nõ acciperent beneficium sed darent: ex Hier. Vult vt non mutetur hospitium, ne suscipiens contristetur, & qui excipitur opinionem leuitatis accipiat, & delicatus habeatur, ex Chrys.

12. *Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes: pax huic domui.*] ἀσπάζεσθε. Aue Hebræorũ salutatio, pax tecum, quasi dicat bona precamini, discordiæ bella sedate ex Hier.

13. *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra*

vestra reuertetur ad vos.] Vobis euenier quod illi precati eratis, quasi dicat sermo pacis vobis erit meritorius Luc. 10. si ibi fuerit filius pacis, ideſt hoſpes pacis amator, vel pace dignus, vt filius mortis dignus morte.

14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.*] In ſignum anathematis, vt oſtendat illum ipſum puluerem quem ex itinere collegiſtis, in die iudicij teſtem contra eos futurum, qui vos noluerit recipere. Ex Hilar. & Orig. Vel quod vos nihil temporale ab illis exegiſtis, vel quod vos fruſtra pro illis laboraſtis.

15. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicy quam illi ciuitati.*] Quia cui plus commiſſum eſt, ab eo plus exigitur ex Hier. ergo diuerſitas eſt inter ſupplicia, ergo aliqui in altera vita puniendi: nam Sodomitæ iam incendio puniti erant ex Anaſtaſio.

16. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: Estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut colúbæ.*] Prædicit futura mala primo vt diſcant eius præſciẽtiam. Secundo vt ne putentur ex infirmitate magiſtri contingere. Tertio vt ne inopinantes opprimantur nec turbentur tempore crucis ex Chry. Et præmunit dicens: *Ecce ego* qui & liberare ex omnibus periculis poſſum etiam vt oues inermes. Lupos vocat qui Euangelio reluctarentur ex Hier. Vult vt Apoſtoli ſint circũſpecti & cauti vt eorum inſidias fugiant, & ſicut columbæ, ſine felle amaritudinis, ſine ſimulatione, ſine duplicitate, ne iniurias vlciſcantur, ex Chryſ.

17. *Cauete*

17. *Cauete autem ab hominibus ; tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos.*] *Autem* pro *ergo*. ab hominibus quos lupos nominauit. per concilia intelligit tribunalia Gentium ; & per synagogas conuentus Iudæorum.

18. *Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis & Gentibus.*] Damnationis, vos condemnantium Iudæorum, & Gentium, adeo vt vestra adductio, vestra confessio, productio, iniusta passio, testimonium perhibeat illos esse damnabiles qui credere noluerunt : Vel in testimonium illis, ideſt vt vos testimonium perhibeatis de me coram ipsis, vel vt ipsi testimonium ferant aduersum vos. Ex Hil. & Beda.

19. *Cum autem tradent vos ; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*] Quasi dicat nolite turbari de modo ornate vel inornate loquendi, de modo inueniendi : Meditationem præcedentem non vetat, sed eam quæ oritur ex diffidentia diuinæ prouidentiæ & opis, & quæ cum nimia solicitudine coniuncta est ; offerte voluntatem pro Christo, ipse pro se loquetur Lucæ 21. ait Hier.

20. *Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*] Vos acceditis ad certamen, ego prælior : ad prophetarum dignitatem reduxit qui Dei Spiritu sunt loquuti. Ex Hier.

21. 22. *Tradet autem frater fratrem in mortem : Et pater filium ; Et insurgent filij in parentes & morte eos afficient : & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.*] Infidelis

fratrem fidelem: adeo crescit persecutorum rabies vt nullus sit inter eos affectus quorum diuersa est fides.

23. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*] Hæc non ad solam primam sed ad omnem Apostolorum missionem, & omne officium pertinent. Nam in prima missione nihil tale sunt experti, sed lætti redierunt quod ipsa sibi dæmonia subiicerentur. An autem præceptum vel consilium dederit fugiendi. Certe præceptum fuit Apostolis quoad primam missionem, quia qui fugit postmodum pugnare potest: fuit & præceptum tum Apostolis quoad alias missiones: tum etiam aliis qui futuri erant quando Euangelium ipsum propter quod fugiendum non est, postulat vt fugiamus si maior gloria Dei & Ecclesiæ vtilitas exigit, non fugere peccatum est. Ipse Christus fugit in Ægyptum. Primo fugere potest Sacerdos quando priuatim quæritur, & sunt aliqui qui populo Sacramenta administrent. Secundo quando omnes eius oues, fuga sunt dispersæ. Tertio quandocumque plus fugiendo quam manendo iuuare potest. Ex August. Epist. 18.

Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel.] Perambulabitis, vel non facietis prædicandi finem: vel non adducetis ad fidei, & Euangelicæ virtutis perfectionem, vt significet non defuturas in Israel ciuitates quæ nondum Euangelium audiuissent, in quas possint Apostoli in aliis ciuitatibus non recepti confugere, & in illis manere, & cum fructu prædicare. Ex Hilar.

Donec

Donec filius hominis veniat.] Per gratiam & consummationem. Ex Chrysost. Quasi dicat, ego vobis adero antequam Euangelium in omnibus ciuitatibus Iudææ prædicetis: Alij aduentum vt Beda vocant resurrectionem: q. d. antequam filius hominis resurgat. Alij iudicium, alij Iudæorum incredulitatem notari volunt, & significari potius Gentiles quam Iudæos ad fidem venturos vt Hilar.

24. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum.*] Intellige secundum ea quæ accidunt in pluribus: vel donec fuerit discipulus, & seruus fuerit seruus, vel de solis discipulis Christi dictum est qui nunquam magistrum æquare poterunt; homines Deum: intendit autem vt non putent se melioris quam illum conditionis esse debere. Ita Chrys. & Leont.

25. *Sufficit discipulo si sit sicut Magister eius, & seruo sicut Dominus eius. si Patremfamilias Beelzebuth vocauerunt, quanto magis vos domesticos eius.*] Me qui Ecclesiæ Dominus sum appellauerunt Beelzebuth, Dominum muscarum, Deum Acaron, qui propter victimarum sanguinem quo erat aspersus, muscis plenus erat, vel quia aduersus muscarum pestem inuocabatur.

26. *Ne ergo timueritis eos: Nihil est opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.*] In die iudicij. Ex Hier. vel progressu temporis etiam in hac vita; quasi dicat quamuis vos seductores & Beelzebuth appellent, vestra tandem virtus cognoscetur, & qui prius vos iniuriis affecerunt, vos honorabunt. Ex Chrys.

27. *Quod dico vobis in tenebris.*] Id est priuatim, vel in parabolis, mysteriis, figuris.

Dicite in lumine.] In publico, in luce omnium hominum : cum libertate fidei ait Hilar.

Et quod in aure auditis.] Secreto, de fidei arcanis, de retributione.

Prædicate super tecta.] Clara voce, stando in locis patentibus, & eleuatis vt omnes audiant. Iuxta morem Palæstinæ.

28. 29. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt. Et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?*] Nolite timere mortem corporis, qua mori non potestis sine nutu Dei, quod in minoribus liquet : non enim moritur passerculus sine prouidentia Dei, quanto magis vos.

30. *Vestri autem capilli capitis vestri omnes numerati sunt.*] Vt taceam de corporis massa, etiam minimę particulę Dei prouidentia conseruantur.

31. *Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.*] Quia rationales & æterni.

32. 33. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis.*] Qui fidem corde & ore habuerit palam in me gloriando confitebitur me.

34. 35. *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem*

aduer

aduersus patrem suum.] Non quod dissidium & discordiam inter parentes excitaturus sit, sed quod ex eius aduentu hoc consecuturum sit: gladium autem alij vocant verbum Dei, alij amorem Dei, cuius causa filij à parentibus separantur.

36. *Et inimici hominis domestici eius.*] Quia non possunt esse inter eos iura pacis inter quos est bellum fidei. Ex Hier.

37. 38. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus &c. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*] Indignus est qui sit meus discipulus. tollere autem crucem suam est paratum esse non quoquo modo mori sed etiam crucifigi. ex Chrys. Hom. 36.

39. *Qui inuenit animam suam, perdet illam. Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.*] Ex vulgi opinione loquitur qui se animam inuenisse putant, cum ex certo & præsenti mortis periculo eripuerunt quasi iam perditam recuperauerint. In priore accipit animam pro vita, in posteriore pro anima: quasi dicat nec aduersa timenda sunt, quia qui inuenire temporaliter vitam vult æternaliter perdit eam.

40. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*] Quia dixerat *nolite possidere aurum* ne cogitarent quo modo inter Gentes viuere possent, aperit illis omnium domos dicens nos non minus libenter ab omnibus recipiendos quam si ipsemet iret. Ex Hieronym. sic eos consolatur; Vel hoc dixit vt significaret quantam curam habiturus esset cum ipsius personam gererent. Et quia non

aliud recipiunt in Apostolis quam quod est in Christo.

41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*] Qualem decet accipere Prophetam aut iustum, vel hos suscipientem; ideſt quæ recipientibus iustos constituta est à Deo, vel quam ipse Propheta accepturus est; quia Propheta est, & Doctor Euangelicus missus à Christo, non quia cognatus, non quia Iudæus. Ex Chrysost. & Hieronym. perinde apud Deum est atque si Prophetæ officio fungeretur: sicut datur æqua pars descendenti in prælium & remanenti ad sarcinas 1. Reg. 30. Ex Clem. l. 4. Strom.

42. *Et quicumque dederit potum vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli; Amen dico vobis non perdet mercedem suam.*] Non solum post opera sed etiam propter opera, maiori maiorem, minori, minorem: propter poculum minimum quoduis beneficium etiam aquæ frigidæ ne dicas deesse vnde calefieret. Ex Hier.

CAPVT

CAPVT XI.

Præconium fert de Ioanne.

1. ET *factum est cum consummasset Iesus.*] Sermones, vel cum præcipiendi finem fecisset: quidam referunt hæc ad finem capitis præcedentis.

Præcipiens duodecim discipulis suis transiit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.] Subtraxit se dans locum Apostolis versandi in sua missione: ipso enim præsente, nemo ad discipulos accederet, vel claritatem miraculorum obscuraret, & auctoritatem minueret: Per ciuitates eorum intelligit discipulorum vel potius Iudæorum, vt sit relatiuum sine antecedente, vel vt referatur ad *ite potius ad oues.* Ex Eutym.

2. 3. *Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis: ait illi: Tu es qui venturus es an alium expectamus.*] ἐρχόμενος ille venturus scilicet à prophetis prædictus.

Quæres quomodo videtur ambigere cum esse quem in vtero cognouit & agnum Dei esse confessus est, super quem viderat colũbam, cui dixerat: *Ego à te debeo baptizari?* Male Tertul. ait spiritum prophetiæ ab eo in Christum recessisse: Alij non dubitasse vere an esset Messias, sed an moriturus esset; & ad inferos descensurus vt Amb. Luc. 7. Alij melius Ioannem nullo modo, eius vero discipulos aliquo modo de Christo dubitasse, vt qui sibi

non crediderant dicenti se indignum vt corrigiam calceamenti eius solueret, Christi miraculis crederent. Misit autem quasi ipse dubitaret vt videntes miracula desinant dubitare. sic Hil. Chrys. & Cyril.

4. *Et respondens Iesus ait illis, euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis.*] Non respondit Ioanni, quia non dubitabat, sed illis. At cur non diserte ait se esse Christum? quia homines incredulos non verbis sed factis & miraculis conuincere voluit vt Ioan. 5. 10. & 15. Ex Chrysost.

5. *Cæci vident.*] Vsum recipiunt à me miraculose illuminati.

Pauperes euangelizantur.] Euangelium audiunt, recipiunt, docētur. q.d. pauperibus prædicatur, Euangelium autem pauperibus prædicari valde mirum, hoc enim ipso regnum cœlorum illis promittitur c. 3. 4. & 9. Quid autem mirabilius quam pauperem, regem fieri, filium & hæredem Dei, cohæredem Christi: vel pauperes prædicant.

6. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.*] Qui occasionem ruinæ non acceperit vnde salutem capere debuit, vt infideles qui post tot miracula morientem Christum viderunt, scandalizati sunt, & Scribæ & Pharisæi qui ad credendum moueri miraculis debuerunt, moti sunt ad accusandum, quibus Christus est petra scandali & lapis offensionis Isa. 8. & positus in ruinam Luc. 2. sed non credentibus.

7. 8. *Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre: Arundinem vento agitatam? sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum?*

Ecce

Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.] Non antequam abirent, ne videretur Ioanni adulari ex Chry. vel ne turbæ Ioannem liuore motum suspicentur. Et vt sciant eum quæsisse non sibi sed discipulis: quasi dicat maior est Ioannes quam, cum ad eum iretis, putabatis, nihilo mutatus est.

9. 10. *Sed quid existis videre: Prophetam? etiam dico vobis & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*] Angelum vocat non natura sed officio ex quo probat illum esse plusquam Prophetam: Alij ad homines, Ioannes ad Christum missus est: & quidem ante faciem, ideſt vt proxime præcederet, quod amicorum honoratissimorum est ex Chry. apud Malac. 3. legitur meam, sed sensus idem, nam illic Christus de se loquitur: hic Pater de filio.

11. *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*] Quod non de officio sed de sanctitate Ioannis dictum est ex Eutym. Mulier autem hoc loco accipitur pro fœmina à viro cognita: sicque Christus natus de virgine, & virgo mater quæ fuit inter natas non inter natos excipiuntur: Quamuis ergo nullus prophetarum vel patriarcharum vel sanctorum naturali ordine genitorũ preferatur Ioanni; non tamen Ioannes cunctis illis præfertur, sed potest esse illis æqualis: sicque Ioannes non cum omnibus sed cum solis sanctis veteris Testamenti confertur: at Christus & eius mater omnésque Apostoli ad nouum pertinent Testamentum.

Qui autem minor est in regno cœlorum, maior

est illo.] Non quod qui vel minimum habet officium in Ecclesia, maior sit officio Ioanne Baptista, sed sanctitate, quia quicquid ille, & alij sancti veteris Testamenti sanctitatis habuerunt, non ex lege sed ex Euangelio habuerunt, cuius futura virtus ad eos vsque, quamuis adhuc longe remotos extendebatur. Ideo qui minimus est in Euangelio, eo qui maximus fuit in lege, maior fuisse dicitur, quia hic veluti hæreditaria, ille aliena & quasi mutuo accepta virtute factus est magnus: vel dicitur maior non quod continuo reuera maior sit, sed quod ex Euangelij natura maior esse possit. Sunt qui per cœlorum regnum cœlum intelligunt, eos autem qui in regno cœlorum sunt Angelos vel homines iam beatos, inter quos qui minimus est, maior est Ioanne Baptista ratione status. Quia aliud est coronam gloriæ possidere victoriæ, aliud adhuc in acie pugnare ex Hieron. Alij Christum, qui minor est in regno cœlorum, idest in Ecclesia q.d. Ego qui omnium humillimus sum maior sum illo, vel ego qui & ætate minor sum, & hominum opinione minor habeor, maior dignitate illo sum. Sic Hilar. & Chrysostom. Alij, qui minor est, idest, humilior Ioanne Baptista, maior est illo, quia qui se humiliat exaltabitur.

12. *A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.*] Regnum cœlorum est vita æterna, cœlum, fides, Ecclesia, Christus ipse, & Euangelium vt supra diximus. Vim patitur, id est mortificatione, pœnitentia, ignominia, paupertate obtinetur, & ad illud ea via itur quam

Ioannes

Ioannes verbis & factis demonstrauit. Ita Basil. Chrysostom. Hieronym. Vel dicitur vim pati & rapi, quia non intra vnum populum vt in veteri lege conclusum est; sed omnibus apertum, omnibus expositum, vt quicumque velit in illud irruat; & quia non iam hæreditati vt Iudæis sed virtuti datur. Sic multi ab Oriente venientes rapuerunt de manibus Iudæorum vt mulier Chananæa.

13. *Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt.*] Vim habuerunt, officio suo functi sunt, lex & Prophetæ durauerunt. At non videtur lex abrogata statim vt Ioannes venit sed longo post tempore; recte quidem: nam non intelligitur vsque ad Ioannis natiuitatem, sed vsque ad Ioannis prædicationem viguisse. Deinde non statim temporis momento extinctam sed nascente Euangelio mori cœpisse: insuper post Ioannem non excludit prophetas.

14. *Et si vultis recipere ipse est Elias.*] Si vultis vtriusque officia considerare est Elias officio & effectu non re. Et si vultis recipere erit vobis Elias, quia vos ad Deum conuertet: non erit si non vultis. Ex quo innuit ad fidem neminem cogi ex Chry.

15. *Qui habet aures audiendi audiat.*] Obediat, quod dixi mystice intelligat: vtitur in re magni momenti his verbis vt capit. 13. Mar. 4. Luc. 8. quasi dicat multum interest intelligere legem & prophetas tantum vsque ad Ioannem viguisse, postea regnum cœlorum vim pati; idest nullum remedium salutis superesse si in lege confidant, si se quem

Ioannes prædicabat Christum non recipiant. Sic Chry.

16. 17. *Cui autem similem æstimabo generationem istam, similes pueris saltantibus in foro quæ clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis.*] Quasi dicat, perinde sese habet Scribæ & Pharisæi, generatio hæc seu genus hoc hominum atque si pueri ludentes in foro dicant: *Cecinimus vobis*, ideſt carmen. Lætitiæ cantauimus, & non saltastis, ideſt nobis non congratulati estis. *Lamentauimus*, ideſt carmen lugubre vobis cecinimus, & non planxistis, ideſt ad compassionem moti non estis. Quasi dicat Ioannes vobis lamentatus est cilicio indutus & non planxistis. Filius hominis cecinit communem vitam agendo, & non saltastis; sicque non personam personis, non partes partibus; sed totum negotium, toti negotio comparatur quod vsitatissimum est in parabolis vt cap. 13.

18. *Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet.*] Quia nemo eum manducantem viderat: vel quia parcè manducabat, aut quia more ferarum viuebat non hominum: sic nunc etiam à Catholicis pro stultis habentur qui pietatis & arctioris vitæ studia sectantur.

19. *Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt de eo: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.*] Ideſt socialiter viuens cum hominibus, & licentiam filiis suis manducandi concedens. & vocant magnorum peccatorum amicum, quia manducabat cum eis, amans naturam non vitia.

Et

Et iustificata est sapientia à filijs suis.] Liberata ab omni calumnia, laudata & vera cognita Christi doctrina vel diuina prouidentia, vel ipse Christus qui est sapientia Patris, ab amaroribus & studiosis auditoribus suis puta Apostolis & aliis Iudæis fidelibus, qui auditis Christi sermonibus supradictis iustificauerunt Deum & Christi eloquia approbauerunt: vel Scribis & Pharisæis qui filij sapientiæ, id est sapientes appellantur ex Chrysostomo, non quod sint, sed quod sibi esse videantur; aut quod non doleant; vel quod sint quasi pueri diuinæ prouidentiæ quæ Iudæos peculiariter tanquam proprios filios gubernabat. Iustificatam autem ab vtrisque & bonis & malis, ideſt iustam declaratam, dum canente Christo & lamentante Ioanne alij saltauerunt, ideſt Christum: alij planxerunt, ideſt Ioannem secuti sunt: alij neque plangere, neque saltare voluerunt, & per se non per diuinam sapientiam stare quo minus conuerterentur.

20. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus facta sunt plurima virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam.*] Tunc scilicet cum ad prædicandum discipulos mitteret qui hactenus Iudæos communiter increpuit: nunc nominatim ciuitates exprimit quæ frequenter audita doctrina & visis tot signis credere noluerunt, quibus non optat mala sed prædicit ventura.

21. *Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*] Sic olim fiebat pœnitentiæ

tia; quasi dicat dudum pœnituissent.

22. *Verumtamen dico vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicy quam vobis.*] Sicut minor fuit culpa eius quæ nuncios veritatis non habuit, quam eius quæ repulit, ita minor pœna.

23. *Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hunc diem.*] Vltimo loco nominat, quia ibi frequentior fuerit, adeo vt propter assiduam commorationem, Christi ciuitas vocaretur: & quia pluribus vitiis abundabat, quia maior & maritima & vsque ad cœlum exaltata Luc. 10. vt legit Chrysostomus, detrudetur in infernum. quod non de vrbis sed de ciuium excidio intelligendum est, non de omnibus sed de pluribus, Scribis scilicet & Phariſæis.

24. *Verumtamen dico vobis: quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicy quam tibi.*] Minor damnatio quia minor culpa, vt de non recipientibus Apostolis diximus supra cap. 10.

25. *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*] Cum exprobrasset Iudæis, respondens, ideſt exorsus est loqui, vel tacitæ obiectioni respondit cur Christum quem Gentilitas recepit, Iudæi reiicerent: vel Apostolis gloriantibus. Confiteor, in te exulto, te laudo, gratias ago, quia abscondisti hæc à sapientibus Scribis & Phariſeis, non quod essent

sed

sed quod esse deberēt: vel quod secundum carnem essent sapientes: non abscondit vero illis Euangelium, sed recipere nolentibus retraxit: reuelauit paruulis, malitia non sensu ex Hilar. Apostolis & iis qui illis & Christo prædicantibus crediderunt, humilibus spiritu.

26 *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*] Approbantis & confirmantis vox est, quasi dicat, Perge pater ita facere, vt cum sapientes recipere noluerint, paruulis non dedigneris reuelare.

27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*] Vt rationem reddat sequentium venite ad me, vel præcedentiū ne vt minor gratias Patri egisse videretur ex Hil. & Chr. & Ath. Omnia scilicet regna cœlestia, terrestria, & inferna, vel omnes homines ex Hier. vel omnia quæ sola nota sunt Patri, quæque ad naturam diuinam pertinent. Ex Hil. vel potius omnem potestatem gubernandi & seruandi homines, & miracula faciendi ex Chry. loquens vt hominum caput quatenus homo est ex Auth. Imp.

Et nemo nouit filium nisi pater, neque Patrem quis nouit nisi filius.] Perfecte & comprehensiue: eandem in mutua cognitione docet esse substantiam: vel Patris consilia solum filium; & filij officium cuius causa in mundum venit solum Patrem cognoscere.

28. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*] Qui lassi & fatigati estis peccatorum pondere ex Chrys. vel graui iugo legis oppressi ex Hil.

29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*] Meis præceptis vos subiacete, meo Euangelio, quod Iudæos

Iudæos & Gentes coniungit ex Hil. inuitat vt ad se veniant quod non tyrannus sed benignus & mansuetus sit Dominus.

30. *Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.*] Euangelium, præceptorum obseruatio χρηστὸς, commodum, placidum, blandum, facile, suaue, bonum, probum: quod non tam ad res quam ad personas & mores pertinet; quasi dicat, iugum meum non est hominis crudelis sed suauis & benigni, ex Hil.

CAPVT XII.

Excusat discipulos, sanat ægrotos.

1 *IN illo tempore abiit Iesus per sata sabbato, discipuli autem eius cœperunt vellere spicas & manducare.*] Lucas cap. 6. vocat sabbatum secundo primum, ideſt Pentecosten seu festum Primitiuorum, quod secundo primum vocatur, quia cum tria essent præter sabbatum prima, ideſt præcipua festa Azymorum, Primitiuorum & Tabernaculorum, inter illa festum Primitiuorum & loco & celebritate secundum erat à primo.

2. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.*] Non erat prohibitum in sabbato & festis spicas vellere sed metere Deu. 23. insuper, necessitas eos excusabat vt Dauidem: & Domini præsentia; qui templo maior erat vt sacerdotes excusaret.

3. *At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant.*] Arguit legis

legis ignorantiæ Phariſæos & Scribas: quaſi diceret, ſi illum fames excuſauit cur non hoſtait Hier. 1. Reg. 21. ſolus fuiſſe Dauid dicitur. Verum quidem cum panes accepit ſed aliquos alio loco ſocios habuit quibus ex panibus dedit ex Lyr.

4. *Quando intrauit in domum Dei & panes propoſitionis comedit quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant niſi ſolis Sacerdotibus.*] Tabernaculum in Nobe vbi panes facierum reponebantur cum nondum eſſet templum, nec ibi arca, ſed in Silo. Melius iudicauit Achimelech homines de famis periculo liberare, quam Deo ſacrificium offerre. hoſtia enim Deo grata hominum ſalus. Plus erat ſacram illam menſam tangere quam Sabbatum tranſgredi. ex Hier.

5. *Aut non legiſtis in lege quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt.*] Non quod non vere violant, ſed quod ea faciunt quæ niſi cultus Dei excuſaret, facere non licuiſſet, nempe victimas mactabant, pelles detrahebant, inteſtina lauabant, ignem accendebant.

6. *Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic.*] Ipſe Ieſus Dominus templi, quia vbi erat, templum erat, vel hic ego Chriſtus maior ſum, dignior ſum templo.

7. *Si autem ſcireris quid eſt: Miſericordiam volo & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes.*] Quaſi dicat melius eſt vt Apoſtoli animas hominum quam Sabbatum ſeruent.

8. *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati.*] Cum templi & Sabbati ſit Dominus, oſtendit ſe in obſeruatione Sabbati diſpenſare poſſe,

posse; & hominum salutem obseruationi Sabbati esse anteponendam.

9. *Et cum transisset inde, venit in synagogam eorum.*] Cum ex hoc campo in quo prædicta gesta sunt transisset alio die Sabbati. Luc. 6. in quo synagoga congregabatur eorum scilicet qui die præcedente discipulos accusauerant quod spicas vellerent vt notat Aug. de cons. c. 31.

10. *Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum dicentes: si licet Sabbatis curare vt accusarent eum.*] Marc. 3. & Luc. 6. dicunt Christum Pharisæos interrogasse, sed dicendum est Pharisæos prius Christum: deinde Christum Pharisæos interrogasse: Vel Christum non interrogasse, vtrum liceret in Sabbato curare, sed an liceret benefacere an male, vt eos pungeret: itaque non videtur eadem esse quæstio.

11. 12. *Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam: & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit & leuabit eam. Quanto magis melior est homo oue; itaque licet Sabbatis benefacere.*] Quasi dicat, quanto homo per naturam & gratiam dignior est oue, tanto conuenientius est hominem Sabbato curare quam ouem de lacu leuare. & concludit quod ipse interrogauerat non quod Pharisæi.

13. 14. 15. *Tunc ait homini: extende manum tuam: & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum quomodo perderent eum: Iesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi & curauit eos omnes.*]

Sciens

Sciens eorum insidias vt homo fugit odientes, accessit vbi inuenit sequentes ad mare. Mar. 3.

16. 17. *Et præcepit eis ne manifestum eum facerent, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicentem.*] In persona Patris de filio: affert vero hoc testimonium ad demonstrandam Christi mansuetudinem, & euulgandum esse Euangelium in Gentes repellentibus id Iudæis vt Marcus indicat.

18. *Ecce puer meus quem elegi: dilectus meus in quo bene complacuit anima mea. Ponam super eum spiritum meum, & iudicium Gentibus nunciabit.*] Christus fuit puer in forma serui: quasi glorietur Pater quod inter homines talem habet seruum per excellentiam; quem elegit ad opus quod nullus alius poterat facere: ad Ecclesiam gubernandam & redimendum genus humanum, & recuperandum regnum perditum ad hoc Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ; & legislator erit; vel proferet legem Euangelicam; diuinum præceptum quod Deus iudicat esse iustum, vel iudicium discretionis, ideſt discrimen inter bonum & malum, vel iudicium futurum remunerationis.

19. *Non contendet.*] Contra aduersarios ex passione, rixando, sed quiete iudicabit: & sicut ouis ad occisionem ducetur.

Non clamabit neque audiet in plateis vocem eius.] Ex affectu laudis humanæ, vel vindictæ, non personam accipiet.

20. *Arundinem quassatam non confringet & linum fumigans non extinguet.*] Ideſt adeo quietè & attentè ambulabit, ita vt si super arun

arundinem quassatam, qua nihil fragilius esse potest, pedem ponat, eam non confringat, & si super stuppam non omnino ardentem sed tantum fumigantem, non extinguat. Prouerbium erat quo summa leuitas incedentis significabatur, quo indicat Christum omnibus in rebus summa lenitate & mansuetudine vsurum.

Donec eijciat ad victoriam iudicium.] Idest ad veritatem proferat iudicium, cum omnibus completis vltionem inducet, cum claram fecerit suam victoriam: tamdiu eius prædicatio lucet mundo, donec ponat in terra iudicium & impleatur: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.*

21. *Et in nomine eius Gentes sperabunt.*] In lege eius sperabunt insulæ, idest remotissimæ Gentes.

22. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus & mutus, & curauit eum itaut loqueretur & videret.*] Tunc cum exijsset è synagoga vel aliquanto post, vel non significat certum tempus. Lucas mutum tantum dicit; sed de alio videtur loqui, non natura sed maleficio dæmonis, qui sic ligabat auditum & visum vt nec audire & videre posset, ex Chrys.

23. *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid?*] Mirabantur minus eruditi & ob misericordiam & beneficium filium Dauid prædicabant, idest Messiam in lege promissum ex genere Dauid.

24. *Pharisæi autem audientes dixerunt: hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.*] Qui sapientes videbantur vel negabant, vel detrectabant quasi non sint opera Christi

sed

sed immundi spiritus.

25. 26. 27. *Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum contra se diuisum desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa, contra se non stabit. Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus se diuisus est: Quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij vestri in quo eyciunt?*]-Quasi dicat cur me potius quam exorcistas Iudæos filios vestros dicitis in Beelzebub eijcere dæmonia, cum vtrique eijciamus, cur de me male, de illis bene iudicatis? vel filij vestri, idest Apostoli qui ex populo vestro sunt, in quo eijciunt, nonne in nomine meo? quomodo dicitis me in Beelzebub eijcere. ex Hil. Chrys. & Hier.

Ideo iudices vestri erunt.] Non potestate sed comparatione, quia Deo tribuunt quod illi Beelzebub. vel quia Apostoli sedebunt in 12. solijs iudicantes 12. tribus Israel ex Hier. vel quia apparebit Apostolos in nomine Christi dæmonia eiecisse: quod cum vidissent & credidissent Pharisæi, tamen Christum ipsum quem credere debuerant propria virtute eijcere, in Beelzebub eijcere dixerunt. sic viri Niniuitæ surgent in iudicio.

28. *Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei.*] Seipsum & aduentum suum regnum Dei vocat: quasi dicat incipit destrui potestas diaboli vt regnet Deus in vobis ex Hier. & Chrys.

29. *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis & vasa eius diripere? nisi prius alligauerit fortem & tunc domum eius diripiet.*] Quasi dicat quomodo possum ego diabolum de possessione deturbare, idest ex hominibus eijcere,

nisi

nisi fortior sim illo? fortis est diabolus, domus, mundus: in quo ante Christi aduentum dominabatur, vasa, spolia supellectilis: sunt miserae animae quas eripuit de potestate diaboli.

30. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.*] Quasi dicat tantum abest vt amicus mihi sit eiusque nomine eijciam dæmones, vt maxime mihi sit aduersarius ex Chrys. Vel de Pharisæis loquitur, & ostendit illos contra se esse, qui spargant oues quas ipse congregat ex Theoph.

31. 32. *Ideo dico vobis omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.*] Hæc dictio causalis non ad verba proxime præcedentia refertur, sed ad ea *in Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia.* Blasphemia facti & dicti remittitur pœnitentiam agenti. Blasphemia autem contra Spiritum sanctum induratio: veritatem cognitam ex malitia impugnare; præsumptio: fraternæ charitatis inuidia, obstinatio in malo, desperatio, & finalis impœnitentia sex sunt peccata in Spiritum sanctum. Hic autem ait Christus manifesta esse opera Spiritus sancti attribuere virtuti Beelzebub. Hoc autem peccatum in Spiritum sanctum dicitur nunquam remitti, non quod reuera remitti non possit: nam credibile est aliquos ex ijs qui dicebant Christum in virtute Beelzebub eijcere dæmonia, postea resipuisse: sed quod qui in Spiritum sanctum peccãt, nullam peccati excusationem habeant: ideoque natura sua veniam non mereantur: in alijs enim aut ignorantia aut infirmitas aliqua saltem ex parte culpam excusat: at in peccato in Spiritum sanctum, nihil tale reperitur quod

quod culpam leuare possit ex Athan. Basil. & Hier. Sic Christus dixit impossibile esse diuitem intrare in regnum cœlorum, non quod Deo sed quod natura sua impossibile, quia plus habet impedimenti qui diuitijs onustus est, quam qui alijs peccatis: vel ideo dicitur numquam remitti, quia difficilius remittitur. Ex hoc loco S. August. l. 21. de ciuit. c. 24. & Greg. 4. Dial. colligunt dari purgatorium, & aliqua peccata in futuro seculo remitti, non quoad culpam sed quoad pœnam.

33. *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum, siquidem ex fructu arbor cognoscitur.*] Quasi dicat, aut me simul cum operibus laudate, aut condemnate, at cum opera non possitis merito condemnare, fateamini me spiritu bono agi; quasi dicat dicitis me in Beelzebub eijcere dæmonia, quomodo potest diabolus arbor mala, fructum bonum facere, qualis est expulsio dæmonum: vel ego qui sum arbor bona, facere fructus malos, idest opera diaboli ex Hilar. & Chrysostom. Vel arbor bona & mala sunt Pharisæi quorum hypocrisim reprehendit, quod cum arbor bona videri vellent, malos tamen fructus facerent: aut quod cum mala arbor essent, bonos videri vellent fructus facere, & vult vt aperte boni sint aut mali ex Amb. l. 2. de pœnit. & August. l. de ser. Dom.

34. *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.*] Non negat absolute & omni

omnino posse bona loqui, multi enim mali bona loquuntur, sed dicit quod naturale & quod vsitatum & frequens, natura enim & vsus fert vt boni bona, mali mala loquantur.

35. 36. *Bonus homo de bono thesauro profert bona: malus autem mala. Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*] Otiosū est quod sine vtilitate loquentis & audientis dicitur: vt de friuolis & fabulis ex Hier. & Chrys. At scurrilia non sunt otiosa sed criminosa, quasi dicat, si de minimo verbo otioso, quanto magis de blasphemo, quale illud quod me dicitis in Beelzebub eijcere dæmonia, ratio in die Iudicij reddenda est. Ita Theoph.

37. *Ex verbis enim tuis iustificaberis & ex verbis tuis condemnaberis.*] Non quod sola verba, aut condemnatura, aut iustificatura sint, sed quod ad iustificandos aut condemnandos multos, sola verba sufficiant: qualia fuerunt Pharisæorum dicentium Christum habere spiritum immundum.

38. 39. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.*] Tunc scilicet cum admirari & flecti oportebat, responderunt seu alloqui cœperunt Scribæ & Pharisæi quos adulteros vocat, quia malos fructus facerent, degenerantes à maioribus suis. Signum quærētes negat de cœlo quale postulāt se daturum, vel quia tentandi causa quærebāt:

vel

vel quia ipsi petebant; nam aliis rogantibus sæpe dedit. Ex Chrysost. Nisi signum Ionæ non quale petunt vt credant, sed quale non petunt vt condemnentur. Signum enim seu argumentum quo condemnabuntur est, quod cum Ninitiuæ homines Gentiles ignari legis ad vnum verbum Ionæ hominis peregrini & ignoti crediderint, & pœnitentiam egerint, illi tot auditis Christi exhortationibus, tot visis miraculis non modo non crediderunt sed dæmonium eũ habere dixerunt: Vel signum ad faciendum fidem diuinitatis suæ, nõ aliud daturum quam quod sit sicut Ionas post tres dies resurrecturus. Ex Hilar.

40. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus.*] Naturalibus, vt ab vsualibus distinguat, & per Synecdochen. Ex Hier. quia per aliquam partem fuit, partem scilicet feriæ sextæ, totum Sabbatum, & partem primæ feriæ.

Sic erit filius hominis in corde terræ.] In medio terræ; id est in inferno in quod descendit, non tantum in sepulchro quod contendit Caluinus, vt probet ad inferos non descendisse vt ad Eph. 4. & 1. Pet. 3.

41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic.*] Explicatio est hæc signi Ionæ Prophetæ. Surgent autem Niniuitæ non ad iudicandum sed ad accusandum: nec verbis sed exemplo, quia cum Ionæ ipsi crediderint, Iudæi Christo non crediderunt. Itaque non surgent sed vt cæteri stabunt: Et loquitur Christus accommodate ad consuetudinem fori, in

quo surgunt accusatores,& stant rei.

42. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.*] Notanda antithesis. Regina fœmina barbara potentissima quæ in Æthiopia Regiam habebat,ab iis terræ finibus venit vt audiret sapientiam Salomonis, hominis mortalis, non vt miracula videret, quia nulla feciſſe legitur. Iudæi Pharisæi viri & docti & legis doctores venientem ad se dominum filium Dei, diuinæ sapientiæ thesauros largientem & miracula inaudita facientem coram illis,contemnunt.

43. *Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.*] Hoc dixit vt doceret peiores esse Iudæos quam si nusquam legem Dei & cognitionem accepissent: cum enim per legem diabolus quodammodo ab illis ejectus esset,quia per legem edocti vni Deo,non idolis seruire: contempta Dei gratia digni facti sunt vt septem spiritus immundi pro vno ingrederentur: id est vt in reprobum sensum ob contemptam Dei gratiam traderentur. Ex Hil. & Hier. Sunt qui per loca arida Gentiles intelligunt, & eos omnes qui Dei cognitione culti non sunt, in quibus non contentus diabolus habitare quod eos iam sibi habeat, eos quærit qui Dei scientiam habent, magis ratus vnum ex iis peruertere quam in aliis multis dominari. Vel de diabolo loquitur tanquam de homine, qui domo sua pulsus, huc illuc per deserta vagatur, & sedem, & requiem non inueniens reuertitur in domum propriam, & eam

eam ornatam reperiens commodius in ea quam extra habitat. Ex Chrysostom.

45. *Tunc vadit & assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi; & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.*] Vult significare eum qui bonus est si contempta gratia malus fiat, pessimum fieri, quasi pro vno spiritu immundo qui prius quam bonus fieret in illo erat, septem in illo ingrediantur, numero certo pro incerto, quasi dicat diabolus in iis qui boni aliquando fuerunt & mali fiunt commodius habitat, quia domus ornamenta, id est mysteriorum cognitio, scientia rerum sacrarum, & quæ Deo parata erant illi seruiunt: Et sic fiunt posteriora eorum peiora prioribus. Nulli peiores hæretici quam relapsi: nulli peiores Catholici quam qui religiosissimi Dei donum gustauerunt & non seruauerunt. Ex Aug. Epist. 137.

46. *Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius & fratres stabant foris quærentes loqui ei.*] Cognati, consobrini Christi Iacobus minor, Iose, Iudas & Simon non filij Ioseph de alia coniuge, nec ex beata Maria post Christum natum: sed filij sororis beatæ Mariæ virginis quæ & ipsa Maria Cleophæ vocabatur: Nam & consobrini & cognati fratres vocabantur. Stabant autem foris quia præ turba ingredi non poterant.

47. *Dixit autem ei quidam: ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.*] Hic summissus ab Apostolis putandus est, qui Christo matrem & fratres eius adesse renuntiaret cum ipsi ingredi non possent, & quidem vnus prius,

deinde plures ex Mar. 3. & Luc. 8.

48. 49. *At ipse respondens dicenti sibi, ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei.*] Non aspernando vel negando matrem & cognatos sed vt spirituales præferat vt Luc. 11. Non negat beatum ventrem, sed multo beatiorem affirmat quæ audit verbum Dei & custodit illud. Ex Chrys. & Hier.

50. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater & soror & mater est.*] Hi sunt mater mea qui me in credentium cordibus generant. Hi sunt fratres qui faciunt opera Patris mei: frater & soror credendo, mater prædicando.

CAPVT XIII.

Parabolas varias edisserit.

1. *IN illa die exiens Iesus de domo sedebat secus mare.*] Die quo in domo concionante fratres præ turba foris stabant: Vel dies pro tempore quo dicta & facta sunt, præcedenti capite recitata. Marcus eundem tenet ordinem: Lucas in aliud transit, sed nec repugnat huic: non solum facta & dicta Domini, sed itinera & loca plena sunt Sacramentis, sedebat autem secus mare Galileæ, vt in locum latiorem, concionem educeret.

2. *Et congregata sunt ad eum turba multa ita vt nauiculam ascendens sederet: Et omnis turba stabat in littore.*] Sedebat vt melius audiretur

diretur ab omnibus in littore ſtantibus, & ne à multitudine opprimeretur ex Chryſoſtom.

3. *Et locutus eſt eis multa in parabolis dicens: Ecce exiit qui ſeminat ſeminare.*] Loquitur ſimilitudinibus inuolutis, vt veritas indignis abſcondatur: & ſtudioſis detur occaſio exercitationis, & vt ex corporalibus ſpiritualia intelligamus.

4. *Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.*] Chriſtus ſeminans in mundo verbum Euangelicæ legis exiit de cœlo in terram ratione humanitatis aſſumptæ. reliqua quæ ſequuntur poſtea declarabuntur.

5. *Vſque ad* 11. *qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.*] Ideo Apoſtolis datum quia prædeſtinati erant: aliis non datum quia reprobi erant. Ex Auguſt. lib. de præd. cap. 8. & 16. vel melius quod Apoſtoli digni erant: alij indigni. Ex Hil. & Chryſoſt. & Hier. quia credere & intelligere nolebant. ideo videntes non videbant & audientes non audiebant.

12. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.*] Eſt prouerbialis locutio, Ei qui plus habet plus datur: ſic pecunia datur negotiandi cauſa mercatori diuiti, & plus diuiti plus datur; Negligenti autem non ſolum non datur, ſed ſi quid datum eſt aufertur, vt patet de talentis cap. 25. Lucas cap. 8. non ait id quod habet, ſed quod videtur habere, quia ſcilicet dixerat non habenti auferetur, ideo

dixit, non quod habet sed quod videtur habere: vel quia sic habet ac si non haberet, cum eo non vtatur: non dicitur habere sed habere videri. Iudæis ergo in pœnam vere ablatum est talentum quod habebant absconditum, quia oblata gratia Euangelij vti noluerunt: Vel ablata est illis aliquo modo ipsa natura. Ex Hier. & Chrysost. Ideſt naturalis cognitio, quia excœcati sunt, itaut ne illa quidem intelligerẽt quæ natura duce intelliguntur. Quis enim Philosophus tot visis miraculis non credidisset aliquam Christo ineſſe diuinitatem? Apostolis autem gratia ad intelligendum mysteria iam habentibus, eaque bene vtentibus maior insuper gratia ad maiora mysteria comprehendenda data est; illis neque habentibus, neque oblatam recipere volentibus natura quodammodo ipsa erepta est. Ex Hieronymo.

13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.*] Causam reddit Apostolis quare turbæ loquitur in parabolis, quia visis & auditis aduersantur. Ideo eis audire & videre auferetur, in pœnam incredulitatis: quia dum quæ illis perspicuè dicebantur, miracula certissima viderent, nec intelligere, nec credere voluerunt, illud meruerunt vt ita illis loqueretur, vt etiamsi vellent intelligere, non possent. Marc. cap 4. addit ne quando dimittantur illis peccata: sic noluit Christus Iudæos conuerti & peccata illis remitti: sicut intelligere noluerunt, quæ dicebat, non in perpetuum sed ad tempus clausit illis ianuam

salu

salutis vt pulsarent, quia cum aperta esset, ingredi noluerunt.

14. *Et adimpleretur in eis Prophetia Isaiæ dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis.*] Hæc veteri populo dicta per increpandi modum Isa. 6. audiendo audite, & ne intelligatis, imperare enim videtur quod non imperat, sed declarat eos esse facturos.

15. *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.*] Isa. 6. Incrassa, impingua: Sed Euangelista meliorem versionem septuaginta sequutus, quia Deus ipse loquitur non Propheta: Deus autem non dixisset incrassa, impingua cor. Cui enim dixisset cum nemo præter ipsum aut excœcare aut illuminare possit: deinde quia iam cor populi impinguatum erat. Ideo enim dixerat audiendo audite, & nolite intelligere, quia sciebat eos adeò excœcatos esse vt etiamsi audirent, intellecturi non essent. Non ergo nunc iubet Deus, aut Propheta orat vt excœcentur qui cœci iam erant, sed reddit rationem cur intellecturi non essent quia cœci erant.

16. *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ quia audiunt.*] Quasi dicat ô discipuli mei Prophetis beatiores estis, quia cum vos & illi credideritis, tamen quæ credebant videre optabant; vos vidistis, illi non viderunt. Cum autem dixit Ioan. 20. beati qui non viderunt, & crediderunt: illos qui non videntes credunt; illis præfert

qui oculis fidem metientes, non credunt, nisi quod vident. Nec potest hic locus de solis oculis mentis intelligi: nam Apostolos præfert prophetis, quod quæ prophetæ, longe, obscure, spiritu: illi prope, clare, oculis etiam vidissent & manibus tenuissent 1. Ioh. 1. Quod vidimus oculis nostris. & Petrus Ep. 2.

17. *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.*] Multi, id est omnes, vt Apostolis qui pauci erant opponat multos, & gratiam illis concessam commendaret. Ex Hieronym.

18. *Vos ergo audite parabolam seminantis.*] Vos qui vidistis & audiuistis quæ Prophetæ voluerunt videre & audire, vos quibus datum est nosse mysteria, intelligite interpretationem parabolæ. Mar. 4. reprehendit Apostolos quod non intellexerint cum primum audierunt, nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas cognoscetis? quasi dicat, si hanc quæ omnium facillima est quo modo quæ obscuriores sunt intelligetis?

19. *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est.*] Verbum regni, sermonem de regno cœlesti per quem promittitur regnum. Euangelium & sensum cordi non imprimit, non pensat, non ad actum perducit, nulla fide, nulla vtilitatis occasione accipit: venit malus, ideſt diabolus. Dicitur homo seminatus, ideſt, tali semine perfusus: sicut seminari dicitur & semen quod iacitur,

iacitur,& ager in quem iacitur. Seminator est Christus, semen verbum Euangelicum. Ager mundus, diuersa in eodem agro terra, alia secus viam,alia petrosa,alia spinis cooperta, alia bona: homines diuersi: voluctes dæmones qui id quærunt ne aliquod bonum semen in nostris animis foueatur.

20. 21. *Qui autem super petram seminatus est,hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum continuo scandalizatur.*] Deficit à fide. Tria terræ genera distinguit, 1. quæ nullo modo arata est vt via, & nullam vt sic dicam terram habet. 2. quæ paucam habet. 3. quæ multam & forte bonam sed spinis refertam, quàs si non haberet multum fructum afferret.

22. 23. *Qui autem seminatus est in spinis,hic est qui verbum Dei audit: & sollicitudo istius seculi,& fallacia diuitiarum suffocat verbum,& sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam seminatus est: hic est qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum,aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum.*] Tria contradistinguit genera eorum qui fructum ferunt, quibus vnius atque alterius generis homines comprehendit: bonam autem terram appellat,non solùm quæ natura sua bona est,sed quæ bene culta, quæ subacta, quæ purgata est ex Hier. Ex fructuum distinctione colligitur meritorum & præmiorum differentia: cum Christus distinguat hæc tria genera,vt virgines, viduas, coniuges, vel martyres. Virgines viduas significant ex Hier.

24. *Aliam parabolam proposuit ille dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo.*] Perinde se habet Euangelium atque si quis in agro suo bonum semen seminauerit, & aliquis eius inimicus superseminet malum.

25. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici; & abijt.*] Per homines, totum mundum intelligit. Ex hac parabola colligitur in Ecclesia non solum bonum semen, ideſt homines bonos, sed etiam malum, ideſt malos homines esse. 2. se non esse auctorem mali seminis, sed boni. 3. malũ semen quod à diabolo seminatum est, se vsque ad messem laturum esse.

26. *Vsque ad* 31. *Cum autem creuisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.*]. Per fructum intelligit spicas & grana. Hanc parabolam Christus ipse explicat. Ipse est qui seminat: ager eius est mundus; bonum semen, filij regni: zizania filij nequam. Qui sint homines quibus dormientibus zizania diabolus seminauit, qui serui, Christus non explicat, quia sunt emblemata quæ ad parabolæ significationem nihil faciunt. Per dormientes homines possunt Episcopi intelligi, & qui Ecclesiæ curam gerunt: per seruos boni & ardentes. Ecclesiæ ministri, qui hæreticos & malos Catholicos bono quodam & pio religionis studio de medio tolli vellent.

31. *Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo.*] Granum sinapis est Euangelium seu fides, doctrina Euangelica, verbum Dei, vel Christus ipse, vel Ecclesia.

Quod

Quod cum initio paruum sit in ingentem arborem crescit: vel quia quanto plus teritur tanto plus reddit.

32. *Quod minimũ quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor itaut volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.*] Non quod omnium omnino minimum, sed quod ex omnium minimis vnum sit. Prædicatio Christi humillima est omnium disciplinarum propter scandalum crucis. Ex Hier. Volucres cœli sunt Reges & Principes, & omnes qui in sublimitate constituti sunt qui in Euangelio & Ecclesia sustentantur, vel omnium credentium animæ ex Hier.

33. *Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.*] Hæc quarta parabola eundem finem habet quem præcedens, quia sicut fermentum cum modicum sit in magnam massam immissum totam peruadit, & multo maiorem reddit; ita verbum Dei vno loco seminatum totum peruasit terrarum orbem: ita Ecclesia initio minima, breui tempore in omnes terræ partes diffusa est. Psal 79. Mulier si pars est parabolę Euangelicam do strinam significat, quæ verbum Dei in animos auditorum quasi fermentum in massam infundit. Vel mater Ecclesia ex Hier. vel fermentum Christus; mulier synagoga quæ eum per iudicium mortis abscondit ex Hilar. tria posuit sata, tres modios pro omnibus, quasi dicat. quantumcumque voluerit farinæ fermentare non nisi parum fermenti miscet. Ex Chry.

34. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis*

ad turbas. Et sine parabolis non loquebatur eis.] In ea, & de qua agitur concione Mar. 4. Prout poterant audire, quasi dicat qui posset capere caperet; vel prout digni erant; non enim digni erant vt illis aperte loqueretur.

35. *Vt adimpleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum. Eructabo abscondita à constitutione mundi.*] Continet hic Psal. 77. historiam Israëlis sed quæ sit parabolicè intelligenda, quam Euangelista non ad eundem, sed ad similem sensum accommodat. Vt, non causam sed consecutionem significat.

36. *Tunc dimissis turbis venit in domum Iesus. Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: edissere nobis parabolam zizaniorum agri.*] Secreto interrogant quæ populus nec merebatur audire nec poterat ex Hier.

37. *Vsque ad 44. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen est filius hominis: ager autem est mundus: bonum autem semen hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminat ea diabolus: messis vero, consummatio seculi est: messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitates, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*] Tunc scilicet cum sublata fuerint scandala, ideſt ij per quos scandala venerunt, & separata zizania quæ triticum tegebat quo minus effulgeret.

44. *Iterum simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*

abscondito in agro: quem qui inuenit homo abscondit, & pra gaudio illius vadit & vendit vniuersa qua habet, & emit agrum illum.] Quatuor prædictis parabolis ostendit quo modo regnum cœlorum habeat in diuersis hominibus effectum; & quo modo ex paruo initio magnum sortitur incrementum. Nunc pretium exponit vt doceat quãti homines illud facere debeant, & quanta quærere diligentia Euangelium, fidem, verbum Dei, Christum ex Amb. serm. 1. in Psal. 118. & Hilar. Absconditum, in carne vel in mysterio Isa. 64. 1. Cor. 2. Qui autem inuenit, abscondit, ideſt eniti debet ne elabatur, & diligentiam adhibet vt illud obtineat, hoc est abscondere. Non, ne alius fidem aut Euangelium inueniat, sed ne ipse perdat. & hæc non pars parabolæ, sed potius emblema. Dicit, vendit vniuersa, non quod ematur Euangelium, sed quia propter illud omnibus terrenis renuntiandum est, & per contemptum terrenorum acquiritur studium æternorum.

47. *Vsque ad* 51. *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare: & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum completa esset educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt, sic erit in consummatione seculi: Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis vbi erit fletus & stridor dentium.*] Huius parabolæ significatio eadem cum præcedentibus.

51. *Intellexistis hæc omnia? dicunt ei, etiam.*] Hæc ad Apostolos qui sunt futuri Magistri, quos non vult audire tantum vt populum.

52. *Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum*

cælorũ simile est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.] Intelligentibus dignum testimonium reddet dicens similes eos esse sibi. Doctos vocat ad regnum cœlorum scilicet prædicandum. Apostoli dicuntur scribæ, quasi Notarij Saluatoris verba illius & præcepta in tabulis cordis signantes ex Hier. Proferunt quasi de penu, omnia ciborum genera vt inuitatos alant Cant. 7. Poma noua & vetera; quasi dicat Euangelicos Doctores omni scientia diuina instructos, exempla, similitudines omnibus iuxta cuiusque captum proferre ex Hil. Chrys. Hier.

53.54. *Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde: & veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum; ita vt mirarentur, & dicerent: vnde huic sapientia hæc & virtutes?* Patriam suam vocat Nazareth in qua conceptus, vel Capharnaũ in qua educatus ex Hier. In synagogis dixit, pro in concione seu in conuentu populi: Nam non amplius quam vna synagoga erat in vna ciuitate.

55.56. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus & Ioseph, Simon & Iudas & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista?*] Mar. 6. Ipsemet Christus dicitur faber filius Mariæ, & fabrilem artem exercuisse antequam prædicaret; quod satis probabile. Quid enim totos triginta annos egisset in Nazareth. Ex Lyr. seu lignarius faber fuerit, vt Ioseph, seu aurifex. Ex Chry. seu ferrarius ex Hil. vocant fratres consobrinos Christi filios Mariæ Cleophæ sororis Virginis Mariæ, & sorores, cognatas. Mirantur virtutes & miracula & sapientiam; nouerant enim

enim non eam studio acquisiuisse. vnde huic tam excelsa: huic tam humilia?

57. *Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.*] Impingebant in eum tanquam in lapidem, & corruebant ex consideratione humilis genealogiæ & cognationis, existimantes quod sapientiam & virtutes haberet à diabolo potius quam à Deo. Vnde ait communiter id accidere vt Propheta magis à suis contemnatur: non enim semper alibi honoratur, nec à suis omnibus contribulibus spernitur ex Hier.

58. *Et non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum.*] Ex quo insinuat aliqua miracula fecisse: non tot quot alibi. & Mar. 6. dicitur, non poterat, quia nolebat: nolebat autem propter incredulitatem eorum; & quia indigni erant qui male ea quæ viderant interpretabantur, dicentes: vnde huic virtutes? fecit autem pauca quædam, ne dicerent, si facta essent signa, credidissemus.

CAPVT XIV.

Ioanne interempto it in desertum, sequitur eum turba.

1 *In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu.*] Tempore quo Apostoli ad prædicandum missi Mar. 6. & Luc. 9. Verius post reditum, quia cum hæc facta sunt Apostoli erant cum Iesu. Audiuit Herodes Antipas filius magni Herodis famam: non prius, quia sero res sanctæ ad aures principum veniunt ex Chris-

Vel

Vel quia mors Ioannis non multo post quam Christus prædicare cœpit, accidit. Dicitur Tetrarcha Galilææ, ideſt princeps quintæ partis regni: nam patre eius mortuo, diuiſum eſt regnum in quatuor partes, quarum duæ datæ ſunt Archelao: tertia Philippo: quarta huic Herodi data eſt ab Imperatore Romano. Marcus Regem vocat, quod eſſet eius poteſtas velut Regia; & quidem Tetrarchias antiqui regna vocabant ex Cic. & Plin.

2. *Et ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo.*] Primum dubitauit, vt ait Lucas c. 3. poſtea credidit, & quaſi aliis aſſentiendo dixit: *Hic eſt Ioãnes Baptiſtã, ipſe ſurrexit à mortuis, & virtutes operantur ἐνεργοῦσι*, ideſt efficaces ſunt, vigent, apparent: quaſi dicat per eum miracula fiunt: vel virtutes, ideſt præcedentia merita ſeu bona opera ſunt cauſa quod tam mirabilia agit. Ex Ianſ.

3. *Herodes enim tenuit Ioannẽ, & alligauit eum, & poſuit in carcere propter Herodiadem vxorem fratris ſui.*] Philippi: filiã Ariſtobuli filij maioris Herodis ſecundũ Ioſephũ non Aretę regis: vxorẽ Philippi, qui cognomẽto Herodes dicebatur apud Ioſephum, aut certe lapſus eſt cum Herodẽ appellat, quia magis fides adhibẽda eſt Euangeliſtæ qui Philippum nominat ex Mald.

4. *Dicebat enim illi Ioannes: non licet tibi habere eam.*] Fratre adhuc viuente, mortuo enim non prohibebat lex. Ioſephus lib. 18. cap. 10. aliam reddit cauſam cur Ioannem occiderit, quod nimirum timuerit, vt in magna erat apud populares ſuos gratia, ne ad ſeditionem populum excitaret.

5. *Et volens eum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebat.*] Marcus c.6. habet quod Herodes metuebat Ioannem sciens eum virum sanctum, & custodiebat eum. Hinc colligitur Herodem non ideo Ioannem detinuisse in carcere vt eum occideret, sed potius vt ab insidijs Herodiadis indemnem custodiret: & sic cluderet iram inquirentis mulieris. Et certe liquet Herodiadem Ioanni insidias tetendisse, vt siue per maritum siue alio dolo eum interimeret: Herodem autem obstitisse, vt Marcus ait, postea autem Herodiadis victum precibus occidere voluisse, sed timuisse populum vt ait Matthæus.

6. *Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.*] Solus Herodes & Pharao obseruauerunt diem natalis sui, vt quorum erat par impietas, vna esset solemnitas, ex Hier. & Orig. hoc laudat Caluinus, quia in comessationibus celebrabatur; arguit vero quod cum laude Christi, natalem Beatæ Mariæ & mortuorum qui Deo seruierunt Ecclesia celebret.

7. 8. *Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo: At illa præmonita à matre sua, da mihi inquit hic in disco caput Ioannis Baptistæ.*] Inducta, impulsa, instigata à matre timente ne Herodes aliquando conueniret cum fratre suo: Volo inquit vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ, ex Mar. 6.

9. *Et contristatus est Rex; propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant iussit dari.*] Tristatur quod tam inconsulte iurasset & promisisset, & quod illa tam crudeliter postulasset

lasset: alij non vere sed simulate putant contristatum. Tanta vero erat apud Iudæos religio iusiurandi, vt etiam quæ contra fas iurata essent, non seruare nefas putabant vt patet ex Iosue 9. 18. & Iephte. Iud 11. quæ tamen seruanda non erant; quia impia promissio quæ, scelere adimpletur & quæ in peiorem vertitur exitum. consilio salubriori mutanda est, ex Chrys. & Hier.

10. 11. *Misitque & decollauit Ioannem in carcere, & allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.*] Vt habeat in potestate linguam quæ illicitas nuptias arguit.

12. *Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Iesu.*] In castello Macheronte truncatus secundum Iosephum. Sepultus autem in Sebaste quæ olim Samaria dicta est Iuliani tempore. Cremauerunt pagani ossa Ioannis & dispersserunt sed à monachis Hierosolymitanis collecta maxima pars & Hierosolymam delata, missa deinde Anathanasio, & Alexandriæ seruata vsque ad Theophilum Episcopum, ex Lyr.

13. *Quod cum audisset Iesus, secessit inde in naviculâ in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbæ secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus.*] Cum audisset mortem Ioannis, vel quod Herodes dixit Luc. 9. Hic est Ioannes: ipse surrexit à mortuis; voluit Christum videre, ex Chrys. secedit, non metu mortis, sed parcens inimicis, ne homicidium homicidio iungeret, ex Hier. & Chry. Vel differens mortem in Pascha, vel dans exemplum vitandæ temeritatis,

vltro

vltro se morti offerentium: vel vt credentium probaret fidem. ex Hier. Non fecessit antequam ei nuntiaretur vel demonstraret incarnationis veritatem, alioqui sciebat ante per se quod factum fuerat, ex Chrys. Secessit ergo ne Deum se esse declararet, ex Chrys. non pedibus sed in naulcula, vt nullus sequeretur abeuntem trans mare Galileæ quod est Tyberiadis. Alij quia lacus in vltteriorem partem traijciendus erat: traijcit autem Christus partem aliquam lacus circa promontorium; & sic factum est cum turbæ terra sequerentur vt prius ad locũ quo appulit quam ille peruenirent, vt ait Mar. 6. quia Christus promontorium circuibat, turbæ recta via tendebant.

14. *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis & curauit languidos eorum.*] Exiens scilicet de naui vel de aliquo loco in quo se receperat, ex Hier. vidit turbam quæ eum præuenerat.

15. *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: desertus est locus & hora iam præterijt, dimitte turbas vt euntes in castellum emant sibi escas.*] Fides turbarum ostenditur quæ tam diu famem patientes expectarunt. Ioannis 6. videtur factum aliter narrari, sed discipuli, Christi scilicet non Ioannis. primum dixerunt ei vt turbas dimitteret, vt Matthæus ait, deinde Christus tentandi causa interrogauit vnde ememus panes? Ioan. 6. Interrogans ad modum ignorantis, vel vt discipulus suam incredulitatem ostenderet, vel vt miraculum quod facturus erat, illustrius redderet, ex Cyril.

16. *Iesus autem dixit eis: non habent necesse ire, date*

date illis vos manducare.] Ioannis 6. c. respondit Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt, non quod vt Caluinus voluit haberent hos ducentos nummos aureos, sed quia nec habere possent; quia si habuissent iussisset expendi in panes, nec miraculo opus fuisset: Non dixit ego illis cibum dabo, sed, vos date illis manducare, ne miraculum iactare videretur: ex hoc probant voluntariam Christi paupertatem Theod. Heracl. & Leont.

17. *Responderunt ei, Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces.*] Andreas vnus respondet pro omnibus: vel hi panes erant Apostolorum: vel pueri vt venderet toti multitudini, ex Cyr. & Chrys.

18. *Qui ait eis: afferte mihi illes huc.*] Panes & pisces, hinc probauit fructum eleemosynæ ex multiplicatione consequuta. ex Cyr. & Leont.

19. *Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis.*] Marci 6. c. præcepit illis vt accumbere facerent Ioan. 6. Luc. 9. per conuiuia quinquagenos. vt appareret quantus esset numerus, ex Theoph. & quam magnum miraculum, & vt sine confusione Apostoli ministrarent eis ex Cyr.

Aspiciens in cœlum.] Quia omne donum desursum est, & quia à Patre & diuinitatem & vim faciendi miracula accepit ex Hil. & Chrys. & vt idem nos facere doceret, & vnde petendum auxilium, ex Hieronym. Non hic εὐλογῶν pro εὐχαριστῶν gratias agere, sed è contra εὐχαριστῶν pro εὐλογῶν benedicere accipitur, quia gratiarum actio hoc loco nihil ad rem pertinebat,

bene

benedictio autem multum: volebat enim Christus panem multiplicare, nondum multiplicarat, non ergo Patri gratias agebat quod multiplicasset, sed benedicebat vt multiplicaret, ex Mald. non prius tangendam mensam quam Deo gratias agamus docent hinc Chrys. Dedit panes discipulis, discipuli autem turbis, vt honoraret eos, & ne increduli essent aut obliuiscerentur, ex Chrys. vt significaret populum Christianum per Apostolos pascendum. ex Hier. vt miraculi gloriam quodammodo in Apostolos transferret. Miraculum autem primum factum est in manibus Christi, qui frangendo multiplicauit, & duodecim cophinos impleuit; deinde in Apostolorum manibus ad cophinis creuerunt: itaut quantum ex corbibus, vt discumbentibus darent, detraherent; tantum diuinitus accresceret sicut in lecytho viduæ factum est. 4. Reg. 4.

20. *Et comederunt omnes, & saturati sunt & tulerunt reliquias, duodecim fragmentorum plenos*] Omnes comederunt, saturati sunt, & duodecim cophini impleti ad euidentiam miraculi ex Hier. tulerunt reliquias vt absentes discerent miraculum; vt ex reliquijs appareret veros fuisse panes; vt boni dispensatores Dei beneficiorum tantum redderent quantum accepissent Ex piscibus autem non constat an nihil superfuerit, & credibile multum superfuisse: esto nihil superfuisse dixerit, satis tamen est ad probandum miraculum vt panes vel pisces supercssent. voluit autem panes potius quam pisces supercsse quia vsitatissimus cibus est.

21. *Manducantium autem fuit numerus quinque*

que millia hominum, exceptis mulieribus & paruulis.] Quasi quinque millia Mar. 6. non numeratis mulieribus & pueris ad magnitudinem miraculi commendandam, ex more Iudæorum solos viros numerat vt notat Cyril. & Ammon. in catena.

22. *Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.*] Indicat inuitos recessisse discipulos, nolebant enim à Domino separari: & præcessisse in Capharnaum non iussu Christi qui sese ab eorum oculis subtraxerat, sed proprio vt videtur consilio Ioan. 6. Cum enim eodem in loco expectassent vidissentque non redire, conscendisse nauim vt ibi eum quærerent: sed vtrumque fa[illegible] est; & Christus antequam se subduceret præcepit eis vt nauigarent in Capharnaum, & ipsi vsque ad noctem expectarunt sperantes rediturum: vel prius compulit discipulos nauim conscendere seque præcedere, prætextu dimittendæ turbæ, quibus profectis ipse in montem fugit vt oraret: sed Ioannes hoc secundum narrauit, primum prætermisit. Compulit autem vt se relicto prænauigarent, quia solus volebat orare. Et quia sciebat fore, vt turbæ venirent vt se raperent & Regem facerent Ioan. 6. Et cum periculum immineret momento temporis, vt postea fecisse credendum est, per aëra permeans discipulos consequeretur. & vt sequenti miraculo occasionem daret, nisi enim Apostolos præmisisset, neque super mare ipse ambulasset, neque Petrum iussisset ambulare. Alij vt fragmenta panum secum portarent, & soli miraculum inter se cognoscerent,

ex

ex Chry. Compulit autem eos, quia credibile est eos ab eo noluisse discedere præ amore ; & ne solus inter ignotos remaneret ex Hier. tamen statim obtemperauerunt, quia sciebant eum omnia posse : præcesserunt ergo trans fretum, idest trans mare Galilææ, sicque non partem lacus Generareth, sed totum traiecerunt, voluit enim è Galilæa fugere & in oppositam regionem Gerasenorum venire, vt Herodis insidias vitaret, & eorum declinaret studium qui se regem facere volebant. Constat ex Ioanne & discipulos & Christum prius venisse Capharnaum, ibique præclaram illam de corpore & sanguine suo disputationem habuisse : Constat miraculum hoc in mari factum tunc accidisse, cum discipuli ex eo loco vbi Christus panes multiplicauerat, in Capharnaum noctu nauigarent. Deinde ex Capharnaum in Gerasenorum regionem vltra lacum nauigasse.

23. *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.*] Bis orauit ex Ioan. 6. ante & post miraculum, prius fugit vt lateret, nunc vt oret.

24. 25. *Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus. quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.*] Quarta vigilia est extrema noctis pars quæ matutina dicebatur, habet enim quatuor vigilias : vigilia autem tres horas. Vigiliæ enim militares in trina horarum spatia diuiduntur. tota itaque nocte sunt periclitati, noluit continuo diuinum adesse auxilium; vt prius patientiam experiretur & in extremis succurreret in medio mari, & cum magnis fluctibus nauis iactaretur, vt occasio

facien

faciendi miraculi declararetur. Ex Cyril. ambulat super mare per dotem agilitatis. Caluinus ait aquas ita solidasse vt graue sustinerent corpus, cum tamen in eo miraculum fuerit vt graue corpus in liquidis & mollibus aquis non mergeretur, ex August. serm. de temp. 59.

26. *Et videntes eum discipuli supra mare ambulantem, turbati sunt dicẽtes, quia phantasma est, & pra timore clamauerunt.*] Caluinus crassi stuporis & ignorantiæ brutæ fuisse ait quod Apostoli turbati; miror quin idem dixerit cum B. Virgo turbata est: At Christus non reprehendit Apostolos quod turbati fuerint, iste reprehendit. Phantasma est apparentia rei non existentis. Spectrum, siue Angelus, siue dæmon, & quia aut nocuisse multis aut nocere posse credebatur Apostoli timuerunt. Et magni timoris indicium est confusus clamor, & incerta vox.

27. 28. *Statimque Iesus locutus est eis dicens: habete fiduciam: Ego sum, nolite timere: Respondens autem Petrus dixit: Domine si tu es iube me ad te venire super aquas.*] Quia ardentissimæ vbique fidei est, non enim dubitat de fide sed de facto. Credebat enim Christum posse efficere vt ipse quoque super aquas ambularet: quod Caluinus non credit: sed dubitabat an esset Christus qui loquebatur, an aliquis spiritus qui se Christum esse fingeret, quia sciebat satanam se aliquando in Angelum lucis transformare, & volebat probare Spiritus an ex Deo essent, quia si de fide dubitasset, non dixisset iube me venire super aquas, volens loquentis verba, factis probare: sciebat enim Angelum bonum

bonum & malum sumpta humani corporis forma posse super aquas ambulare, & Christi vocem imitari, sed non posse aliis vt idem facerent præstare.

29. *At ipse ait; veni: Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum.*] Veni ait, vt se esse doceat quod Petrus experiri volebat. Caluinus stultitiam vocat quod crediderit posse se iubente Christo super aquas ambulare, & hanc Christum arguere experientia ipsa cum in mediis fluctibus mergeretur. Hieronymus probat ex hoc Christum verum habuisse corpus non phantasticum cõtra Manichæos, quia Petrus qui verum habebat corpus super aquas ambulauit.

30. *Videns vero ventum validum, timuit: Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac.*] Quod maius est superans à minori turbatur, talis est natura nostra, sæpe in magnis recte habens in minoribus deficit. Ex Hier. Humanum autem est in præsentibus periculis commoueri. Nec omnino dubitauit qui clamauit *Domine saluum me fac.* Relinquitur tentationi vt augeatur fides. Quod ambulauit super aquas diuinæ fuit potentiæ; quod mergeretur, humanæ infirmitatis ne superbiret.

31. *Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: modicæ fidei quare dubitasti.*] Ardebat fides sed humana infirmitas in profundum trahit, ostendit periculum non ventum, sed modicam fidem fecisse ait Chrysost.

32. *Et cum ascendissent in nauiculam, cessauit ventus.*] Christus & Petrus cum ascendissent.

Ioan. 6. significare videtur Christū non ascendisse vel certe non opus fuisse vt ascenderet. Quinque miracula facta sunt, Christus per aera raptus Apostolos cōsecutus est: super mare ambulauit: effecit vt & Petrus ambularet: tempestatem sedauit: Nauis vt in eam ascendit statim ad terram appulit.

33. *Qui autem in nauicula erant, venerunt vt adorarent eum, dicentes: Vere filius Dei es.*] Nautæ scilicet & vectores, vel Apostoli venerūt & adorauerunt vt filium Dei non adoptiuum sed naturalem, non vt virum iustum; sed vt verum Deum. Et valet hic locus contra Arianos. non enim eos arguit qui se filium Dei vocabant, quin potius eorum opinionem confirmat editis miraculis. Ex Chrys.

34. *Et cum transfretassent venerunt in terram Genezar.*] Quę vltra stagnum est, à qua stagnum nomen accepit.

35. *Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes.*] Nouerant rumore, & ex facie. Ex Hier. quia ibi iam ante duos dæmoniacos curauerat cap. 8. Mirum qui eum è finibus ejecerant, sic eum iam recipiant, quia Christi fama creuerat, & eorum fides. Ex Chrysost.

36. *Et rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.*] Hanc sapientiam docuit mulier illa hæmorrhoissa. Ex Chrys. Caluinus vero vt superstitionem culpat: at Euangelista laudat, non quod ad tactum fimbriæ, Christi gratiam restringerent; sed quia tanta erat eorum fides, vt crederent vel solo eius fimbriæ tactu omnia

morbo

morborum genera curari posse. Ex hoc loco non fimbriam sed totum Christi corpus in Eucharistia esse probat Chrys.

CAPVT XV.

Arguit Pharisæos ; sanat filiam Chananæa.

1. *Tvnc accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi.*] Tunc cum tot fecisset miracula, cum tactu vestimẽtorum sanasset infirmos. Ex Chrys. accesserunt Scribæ & Pharisæi, qui per omnes tribus erant dispersi, sed omnium insolentissimi erant Hierosolymitani. Ex Chrys.

2. *Dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum : non enim lauant manus suas cum panem manducant.*] Occasionem calumniandi notat Marc. cap. 7. quia discipuli non lotis manibus manducarent panes: Seniorum traditionem non suam dixerunt, nec legem ; cum tamen eam constituissent Scribæ vt crebro etiam inter prandendum lauarent quicumque bene vellent legem obseruare: abstinendo ab iis quorum tactu homines inquinabantur. Ex Chrys.

3. *Ipse autem respondens ait illis : Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit.*] Ex zelo iustitiæ innocentes excusat, inuidos accusat, ostendens quod indigni sunt alios de paruis accusare qui magnis subiacent vitiis. Ex Chrys.

4. *Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*] Honora non tam salutando quam dando necessaria. 1. Timot. 5. honora viduas, ideſt ale: Qui debita obſequia parentibus negauerit, verbo, facto, vel aperta rebellione, moriatur. quanti apud Deum hoc præceptum, quando qui eos ſolo verbo lædit, capite punitur, oſtendit, vt notat Chryſ.

5. *Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit.*] Ideſt quod Deo offero tibi etiam prodeſt quemadmodum ſi tibi darem. vel munus eſt, ideſt Deo conſecratum eſt, quicquid ex meis bonis tibi prodeſſe poterat: Alij nihil tibi debeo, ſed quod ex meis rebus emolumenti prouenit, id munus eſt, id eſt non debito ſed tibi dono do. Ex Chryſoſt. Alij munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit? per interrogationem; quaſi dicat: minimè ex S. Thom. Chryſoſtomus putat mentiri ſolitos filios dicentes ſe quod parentes petebant Deo obtuliſſe, ne illis darent. Et ſic duplici impietate, & ſe & parentes fraudaſſe: Alij munus quodcumque eſt ex me tibi proderit? Id eſt, an ſi tibi dem, quod Deo conſecrare decreui prodeſſe tibi poterit? minimè, quin potius obeſſet, quia rebus ſacris abuterere. Alij melius, quodcumque ex me proficiſcitur, id eſt, quodcumque obtulero Deo, tibi proderit perinde ac ſi tibi dediſſem, præſtat ergo Deo offerre, quam tibi: ita Strabus, & Lyr.

6. *Et non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam: Et irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.*] Vacuum & falſe

falsè intellectum, præuaricatum fecistis mandatum de honorandis parentibus: quasi dicat filius ista dicendo parentibus vel bona sua vouendo Deo, non tenetur nec debet honorificare, seu necessaria patri vel matri ministrare: Vel non honorificabit, id est quicumque filius vestram traditionem sequitur, non honorificabit reuera suos parentes, dando eis victum dum indigent sicut lex præcipit, sicque transgreditur diuinum præceptum sequendo vestrum errorem.

7. *Hypocrita, bene prophetauit de vobis Isaias dicens.*] Non sunt vaticinantis sed accusantis verba: non enim de Scribis & Pharisæis, sed de populo Iudæorum qui tunc erat prædicta sunt. Hypocritas vocat qui sub ficto Dei honore terrena lucra cumulabant.

8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*] Hæc quæ ad propositum suum faciebant verba, Christus retulit non omnia nec eo modo quo dicta Isa.29.cap.

9. *Sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.*] Inaniter & solo obsequio exteriori colunt, ideo non habituri mercedem cum veris cultoribus, docentes traditiones seniorum suorum diuino mandato contrarias. Traditiones quædam sunt à Deo; sed nemo scripsit, Ecclesia tamen semper seruauit, vt quod baptizentur infantes: quædam ab Ecclesia institutæ, vt Dominicæ diei obseruatio: ieiunium quadragesimæ, abstinentia à carnibus certis diebus, quæ humanæ dici nequeunt, quia à

Spiritu sancto Ecclesia gubernante sunt institutæ: quædam quæ neque à Deo, neque ab Ecclesia, sed aut à Republica, aut à priuatis hominibus institutæ sunt. Harum aliæ non sunt contrariæ præceptis aut cõsiliis Dei, aliæ autem sunt contrariæ, & de his iam loquitur Christus.

10. 11. *Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.*] De cibis loquitur, qui licite edi possunt, & quidem non cibus ipso etiam prohibitus coinquinat, sed inobedientia & immoderantia, sed intemperantia & ebrietas. Dicet Caluinista, Ecclesia non potest bonos natura cibos prohibere. At nonne sanguis & pullus columbarum suffocatus bonus natura sua cibus est? & tamen Ecclesia prohibuit illis vti, Act. 15. Caro natura sua bonus cibus est, & tamen Paulus carne sibi interdicit in æternum ne fratrem scandalizet, ita vt si vescatur, non cibi natura sed caritatis defectu se inquinari putet 1. Cor. 8. Et si quis ægrotus medico prohibente, vino vtatur, nemo dubitat non vini natura sed inobedienti inquinari voluntate. Potest ergo Ecclesia & medicus hunc vel illum potum & cibum prohibere ægrotis corpore vel animo. Ex Augustin. lib. 3. contra Faustum. Quod procedit ex ore, sunt verba hanc malitiam cordis exprimentia, sicque non discipulos manuum illotarum sordibus, sed ipsos Pharisæos malignis & calumniatoribus verbis inquinari.

12. *Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: scis*

scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt.] Quia videbatur contra ciborum delectum lege præceptum loqui, & ipsam legem abrogare. Scandalum autem est dictum vel factum minus rectũ præbens alteri occasionem ruinæ. Ex Hier.

13. *At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis eradicabitur.*] Falsa doctrina & superstitiosa. homines bonam vel malam habentes voluntatem. Pharisæi vocantur plantæ & Doctores qui non habent fundamentum Christum.

14. *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*] Sic Apostolus vitandos Hæreticos iubet, quia & se & alios in præcipitium trahunt.

15. *Respondens autem Petrus, dixit ei: edissere nobis parabolam istam.*] Proloqui exorsus est Petrus, vt ardentissimus cæteros anteit ex Chrysostom. Mar. 6. scribit discipulos interrogasse scilicet post Petrum, vel solum Petrum nomine omnium; vel plures pro vno posuit vt cap. 26. Effuso vnguento indignatos Apostolos fuisse cum ex Ioh. 12. constet solum Iudam indignatum fuisse. Et cap. 27. latrones qui cum Christo erant blasphemasse, cum ex Luc. 23. vnum tantum blasphemasse constet: Nec obstat quod Christus non de vno sed de pluribus loquens dixit: *adhuc & vos sine intellectu estis.* Nam Mat 26. Marc. 14. cum solus Iudas contra illam mulierem quæ vnguentum effuderat murmurasset, Christus loquens de pluribus dixit: *sinite eam.*

16. 17. *At ille dixit: adhuc & vos sine intellectu*

estis. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.] Non dicit totum sed omne scilicet cibi genus. vide Marcum vbi ait sic purgari escas scilicet remanente puro alimento in corpore. Ex eo autem quod cibus non exit ex corde, nec in eo hæret, sed in vētrem abit & in secessum emittitur, rectè colligit non posse hominem inquinare.

18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeūt, & ea coinquinant hominem.*] Vt verba turpia & nociua, os hic non corporis sed cordis intelligit, sicque non solum verba, sed facta & quicquid in actum exit intelligit, quia omnia opera primum in corde concipiuntur: vnde non videntur nisi per os exire posse.

19. 20. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem; non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*] Inquinatum cogitatione, magis inquinant sordida locutione & externa operatione.

21. *Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis.*] Ideſt loca vicina, vel ad eam regionem; non enim probabile est in terram illam Gentium progressum esse, cum Apostolis dixisset, in viam Gentium ne abieritis, cap. 10. Venit autem ibi vt lateret ex Theoph. Vel vt quiesceret. Ex Eutym. Mar. 7. Vel quia Iudæi suam doctrinam recipere noluerāt. Chrysost. putat ideo venisse, quia paulo ante legis cæremonias & ciborum obseruationes abrogare videbatur, & voluisse ad Gentiles veniēdo non esse iam Iudæum & Græcum, vt Petrus edoctus viso linteo. Act. 10. ita Hier. & Beda.

22. *Et*

22. *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens ei: Miserere mei, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.*] Chananæi à Chanaam descendentes, apud Iudæos omnium gentium impiissimi habebantur. Marcus ca. 7. vocat Syrophœnissá, quia Tyrij & Sydonij Syrophœnicis erant ad oram; sic dictam quia Syrij eam occupassent, vt Gallogræci. Vel quia alia est Phœnicia in Africa. Non dixit miserere filiæ meæ, vt Christum magis moueret: vel quia & suum & filiæ sentiebat dolorem. Ex Chrys. per fidem nouit clamare filium Dauid Messiam, quem vel à vicinis Iudæis, vel à prophetiis inaudiuerat futurum filium Dauidis.

23. *Qui non respondit ei verbum: & accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes quia clamat post nos.*] Non respondet vt probet patientiam & longanimitatem, aut aliis fidem & constantiam patefaciat, aut ne videatur contrarius illi sententiæ: *in viam gentium ne abieritis*, & occasionem calumniandi det. Verosimile est hanc Apostolos rogasse vt pro se rogarent, & sic Christo iniuriam non facit, qui vt hæc sanctos orat. Marcus 7. c. dicit eam in domum vbi Christus erat ingressam ad pedes eius procidisse: hic autem videtur Christum per viam secutam esse, & à tergo clamasse. Credibile est domum ingressam nulloque responso reddito Christum domo exiisse, & post eum clamasse ex Aug. l. 2. de cons. Euang. c. 49.

24. *Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.*] Primo ac principaliter, & ad prædicandum & ad operandum miracula in propria persona, nisi ad oues familiæ Israeliticæ, perditas per peccatum

originale & actuale, quibus Christus primo per seipsum vsque ad diem passionis, deinde diu per Apostolos prædicauit, donec illis penitus obstinatis & inexcusabiliter obduratis, iusta facta est ad gentes transmigratio. Vnde Christus parum gentibus in propria persona prædicauit & signa fecit. Hic notandus Caluinistarum error qui dicunt Christum non ad omnes saluandos venisse, sed propter solos prædestinatos. Non sic Amb. in Psal. 43. Cyril. Hier. Hilar. & Aug. existimant.

25. *At illa venit & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.*] Vbi vidit Apostolos nihil posse & quæ à longe secuta est eum ex Chrysostom.

26. *Qui respondens ait: non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.*] Honestum & decens non est eripere panem, ideſt verbum salutis quod prius deberur Iudæis: gratiam miraculorum, gratiam Euangelicam, & proiicere canibus; quasi dicat, habet canes panem suum minus delicatum quam filij: res naturales, sol luna, pluuia, &c. Canum, ideſt gentium, panis sunt, quæ prouidentia quidem Dei, sed generali dispensantur, & omnibus in commune, sicut porcis glandes proiiciuntur: at gratia & doctrina Euangelica quæ supra naturam est panis filiorum sed maiore consilio distribuendus. Canes filiis opponit, quia quamuis vtrorumque paterfamilias curam gerat, tamen filiorum inprimis & multo maiorem quam canum habet. Consueuerant Iudæi omnes alias Gentes canes appellare.

27. *At illa dixit: etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum*

rum suorum.] Quasi dicat non mereor panem, vel sedere ad mensam, sed contenta sum reliquiis: verum est, sum canis; & vt canis debeo edere saltem de micis. Christus vocauerat canem, illa minus se quam canem sed catellum existimat vt ad hominem argumentetur ex Chrys. Micas vocat minora miracula & minus crebra, quasi dicat non peto à te vt passim hic sicut apud Iudæos habites, & cæcos cures mortuos suscites, sed vnum tantum, & minus sua natura difficile miraculum, vt dæmonem à filia mea eiicias. Sic Theoph. Mensam vocat gratiarum omnium abundantiam, quæ erat in Christo: non petit vt ex professo vt apud Iudæos effundat gratiam miraculorum, sed vt obiter, non quasi proiecerit, sed quasi excidexit, vt solent micæ de mensa diuitum cadere.

28. *Tunc respondens Iesus ait illi: ô mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa hora.*] Magna, ideſt firma & integra bonis operibus cæteriſque virtutibus adornata, quia toties repulsa non cessas patientissime, humillime postulare: non nisi Gentilium miratur fidem vt c. 8.

29. 30. 31. *Et cum transisset inde Iesus venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turba multa habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles & alios multos, & proiecerunt ad pedes eius & curauit eos: itaut turba miraretur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israël.*] Quia fideles ineſtimabili gaudio exultant quando hęc vident.

32. ad 38. *Iesus autem conuocatis discipulis suis dixit: misereor turbæ, quia triduo iam perseue-*

rant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: vnde ergo nobis in deserto panes tantos vt saturemus turbam tantam? & ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: septem, & paucos piscículos. Et praecepit turbae vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens fregit & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo, & comederunt omnes, & saturati sunt: & quod superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt quatuor millia hominum extra paruulos & mulieres.] Discipulos conuocat quibus tanquam amicis secreta sua aperiebat ex Hier. vel vt eorum exploraret fidem, & futuri miraculi occasionem captaret, vt discipulorum confessione constaret non esse panem vnde tanta turba posset pasci: nunquam enim faciebat miracula sine necessitate magna, ideoque triduum expectauit vt cibi consummarentur si quos attulerant ex Chrys. Credibile est totum triduum aut omnes aut plerosque fuisse ieiunos, quod subtilis Caluinus aëris subtilitati tribuit vim illam ieiunandi, cum potius obsit, & facilius ieiunant qui aëre crassiore fruuntur. Cætera vide c 14.

39. *Et dimissa turba ascendit in nauitulam, & venit in fines Magedan.*] Marc. 8. In partes Dalmatiæ. Idem locus sub diuerso nomine, vel vnum regionis, alterum vrbis: aut vtrumque vrbis, sed vtraque vrbs vicina erat: itaut qui ad terminos vnius transiret ad alterius transisse videretur. Ex Hier.

CAPVT

CAPVT XVI.

Negat Phariſæis ſignum cœleſte: Petro claues promittit.

1 ET acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt ſignum de cœlo oſtenderet eis.] Potentiæ eius periculum facere volentes, vt c. 12. non vt crederent ſed vt calumniarentur, ſi non faceret: & in hoc conueniunt, quamuis inter ſe hæ duæ ſectæ eſſent contrariæ, ſic Pilatus & Herodes amici facti ſunt: ſic Lutherani & Caluiniſtæ contra Eccleſiam. Semper enim Chriſtus inter duos latrones crucifigitur ait Tertul.

2. 3. *At ille reſpondens, ait illis: facto veſpere dicitis ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & mane: hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cœlum.*]Hoc Græcè non habetur in pleriſque codicibus: at Græci & Latini interpretes legunt. & Mar. c. 8. Quia ſignum de cœlo petierunt ex cœleſtibus ſignis, probat non debere eos ſignum de cœlo petere ex Hier.

4. *Faciem ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis.*] Luc. 12. vocat hypocritas quia ſapientes videri volebant cum eſſent ſtultiſſimi, quaſi dicat ſi faciem cœli cognoſcitis, ideſt ſigna ſerenitatis & pluuiæ: quod difficilius eſt & incertius; quomodo ſigna aduentus mei quæ tot prophetiis conſignata, tot miraculis à me comprobata ſunt, cognoſcere neſcitis. Ex Theoph.

Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum

signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ, & relictis illis abiit.] Huius loci explicationem vide cap. 12.

5. *Et cum venissent discipuli eius trans fretum obliti sunt panes accipere.*] Ideſt cum discederent è portu, obliti sunt panes quos secum tulerant accipere. Vel vero similius est septem illas sportas; aut sua sponte, aut iussu Christi pauperibus distribuisse. Itaque obliti sunt panes accipere, ideſt emere trans fretum in Bethsaidam vt Mar. 8.

6. *Qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.*] Animum aduertite; prudenter discernite Mar. 8. à fermento, ideſt secta Herodis, à doctrina corrumpente, à vanis traditionibus quibus videntur quod non sunt, ab eorum hypocrisi ex Hil. & Hier.

7. *At illi cogitabant inter se dicentes, quia panes non accepimus.*] Consultabant inter se, disceptabant quo modo Christi verba intelligerent, & quid acturi essent, cum panes non accepissent.

8. 9. 10. 11. 12. *Sciens autem Iesus dixit: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis; nondum intelligitis neque recordamini quinque panum, in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis. Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.*] Sciens cogitationes eorum, obliuionem præcedentium miraculorum panum qui in tot millia hominum expensi sunt.

13. *Venit*

13. *Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi.* [Ob differentiam eius quem Herodes pater in Iudæa ædificauerat, in honorem Cæsaris, in loco qui turris Stratonis dicebatur prius, hæc autem Philippi postea ab Agrippa Rege ornata in honorem Neronis dicta est Neroniana.

Et interrogabat discipulos suos dicens: quem dicunt homines esse filium hominis?] Vt veræ confessionis mercedem reddat, non quasi nesciat: vt ex responsione discamus varias fuisse de Christo Iudæorum opiniones; vt etiam scrutemur opiniones hominum de nobis: vt expositis errantium sententiis probentur discipuli, non opinione vulgi veritatem, sed reuelatione didicisse. Marc. 8. ait hoc factum fuisse in via: Lucas vero cap. 9. cum solus esset orans: verisimile simul iter fecisse & orasse. Probabilius in ipsa via antequam ad locum quo tendebat perueniret, solum in aliquem locum ad orandum à via diuertisse, finita autem oratione cœpisse pergere, atque tunc discipulos interrogasse Ex Eutym. Quem me dicunt, alij vt Chrysostom. Quem me dicunt homines esse? non Scribarum & Pharisæorum sed plebis mentem inuestigat, erat enim hæc à malitia libera. Vbi in veteri testamento legimus hominis, Hebraicè est filius Adam; sic se vocat modestiæ & humilitatis causa: vt se maximè abiiciat, & quasi humi prostratus sententiam excipiat ex Hieronym.

14. *At illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam: alij Heliam: alij Hieremiam, aut unum ex Prophetis.*] Sed turbæ errare potuerunt in Helia & Hieremia

Hieremia, sicut Herodes errauit in Ioanne cap.11. ex Hier.

15. *Dicit illis Iesus : vos autem quem me esse dicitis?*] Qui mecum semper versantes plura me fecisse vidistis, qui meo nomine ampliores virtutes ipsi quoque fecistis, quem me esse dicitis? conuocat ad opinandum aliquid maius de ipso ex Chrys. Quasi dicat qui de filio hominis loquuntur homines sunt: Nam qui diuinitatē intelligunt, dij appellantur ait Hier.

16. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.*] Quia omnium princeps ex Chrys. quia vt caput ardentioris erat fidei ex Hilar. & quia quasi os Apostolorum erat pro omnibus loqui solet ex Chry. & Aug. Tu es Christus filius Dei viui, non qualiscūque sed vnicus ille, natura non adoptione, qualem dicebant omnes qui eum sanctum, & iustum & Prophetam putabant; sicque ex hoc eius diuinitatem probāt Patres, vt Hil. & Ath. ser. 4 cōt. Arian. Viuum dicit, vt ab idolis distinguat.

17. *Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus qui in cœlis est.*] Chaldaice idest filius Ioannis vel filius columbæ, videlicet Spiritus sancti qui per columbam significatur ex Hier. *Caro* idest Iudæi, de quorum sanguine natus es: vel à teipso non inuenisti quod professus es.

18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*] Quasi dicat, tu qui homo es filium Dei me esse professus es; ego vero qui filius Dei sum, dico te esse Petrum, idest vicarium meum quem filium Dei esse confessus es. Nam Ecclesiam meam

meam quæ super me ædificata est, super te etiam ædificabo, tanquam super secundarium fundamentum. Non hic accepit hoc nomen sed vbi Ioannes dictum ait: *Tu vocaberis Cephas*, ideſt Petrus per futurum imposuit vt Abrahamo Gen. 17. Ex Aug. 2. de cons. Euang. c. 53. *Et super hanc Petram*, de qua proxime dixerat, *Tu es Petrus*, Græce enim idem πέτρος & πέτρα, & quidem Cephas seu Cepha, qua voce Christus vsus est, Syriacè lapis seu saxum Hebraice Ceph. Vel super hanc petram, ideſt super hanc fidem, aut super hanc fidei confessionem qua me filium Dei professus es, ex Hil. c. 6. de Trin. Chry. Cyr. Amb. Vel super meipsum quia Petra erat Christus ex Aug. tract. 27. in Ioan. 1. Cor. 10. quia fundamentum nemo potest aliud ponere. 1. Cor. 3. Vel super hanc petram, ideſt super omnes homines eandem fidem habentes ex Orig. Verum pronomen *hanc* denotat Christum non super seipsum aut super aliam rem quam super Petrum fundaturum Ecclesiam; Petrus enim & Petra idem sunt, quasi dicat: tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Deinde his verbis voluit Christus aliquid magnum tanquam fidei Confessionis præmium concedere aut promittere, hanc scilicet eximiam dignitatem, vt eum Ecclesiæ caput constitueret, & suum in terris Vicarium. Præterea sicut dicit, *Tibi dabo claues*, ita dixit *super hanc Petram*, ideſt super te ædificabo Ecclesiam meam: idem enim diuersis verbis & metaphoris illi concedit, vt ipsius in Ecclesia Vicarius sit, cum quasi ciuitatis claues tradidit. Denique super ipsam petram Ecclesiam ædificatam fuisse omnes præter hæreticos

ticos veteres Patres docuerunt. Et cum dixerunt super fidem & confessionem Petri Ecclesiam ædificatam, id est super Petrum, propter fidem & confessionem intelligendum.

Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.] Tentationes diaboli, vitia & peccata, doctrinæ fallaces, tribulationes, aduersariorum persecutiones, omnis denique potestas diaboli. Portas vocat; quia sunt pars ciuitatis munitissima non separabunt eam à fide & charitate, non vincent eam: quasi dicat: futurum est vt Ecclesia super petram à Christo fundata omnem diaboli potentiam expugnet, itaut nulla arte, nullis viribus possit resistere, quia portæ non vincunt sed resistunt; & vis earum non in offendendo sed resistendo sita est. Aduersus eam, idest petram vel Ecclesiam: quasi dicat non solum inferno resistet Ecclesia, sed illum etiam expugnabit. Agit enim de Ecclesia & inferno tanquam de duabus ciuitatibus aut arcibus inter se vicinis atque pugnantibus, quarum quæ melius fundata est atque munita alteram expugnat.

19. *Et tibi dabo claues regni cœlorum.*] Plenam atque supremam potestatem gubernandi Ecclesiam vt Isa 22. Apoc 3. præcipue potestas est Petri circa spiritualia, scilicet ad regnum cœleste pertinentia: quæ non in docendo vt volunt Caluinistæ, sed in ligando & soluendo consistit, dum confessione & pœnitentia, non doctrina peccata remittuntur. Solent domus aut ciuitatis claues penes eum esse, qui in domo vel in vrbe primatum tenet. Et per claues principatus significatur vt Isa. 22. Hoc sensu Petro claues non alijs Apostolis, datæ sunt, idest

ideſt ſuprema ſecundum Chriſtum in Eccleſia poteſtas, vt claudat & nemo aperiat, aperiat & nemo claudat; ideſt quæ vt ſoluerit nemo ligare, & quæ ligauerit nemo ſoluere poſſit: & hæc poteſtas Romani Pontificis in ſeruandis caſibus maxime relucet: & ſoli Petro dictum eſt: tibi dabo: non quod alijs Apoſtolis non ſit data poteſtas ligandi atque ſoluendi, ſed quod hæ claues de quibus agimus, non omnibus ſunt datæ, quibus ſcilicet ita aperiebatur vt nemo clauderet, ita claudebatur vt nemo aperiret, ſicut in domo etiãſi aut omnes aut multi ſuas habeant claues, ſolus tamen Dominus & domi omnes & ſecretas habet, quibus cum vult ita claudit vt nemo aperiat, ita aperit vt nemo claudat. Hæc autem poteſtas Petro non perſonaliter ſed item ſucceſſoribus data eſt contra Caluinum, ex Mald. Quis enim crederet Chriſtum Eccleſiam immortalem ſuper mortalem hominem ædificaſſe, quo mortuo Eccleſiam corruere neceſſe eſſet?

Et quodcumque ligaueris.] Idem hac Metaphora quod duabus ſuperioribus ſignificatur ſuprema poteſtas Petro collata remittendi aut retinendi peccata. Nec eodem ſenſu Petro atque alijs Apoſtolis dictum: *Quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælo*, ſed eo ſenſu quo ſuper ſolum Petrum Eccleſia ædificata eſt, quo ſoli datæ ſunt claues, vt ita liget vt nemo ſoluere: ita ſoluat, vt nemo ligare poſſit. Ex hoc refelluntur. 1 qui dicũt ſacerdotes poſſe quemlibet pro ſuo arbitrio ſoluere aut ligare. 2. qui dicunt ligare aut ſoluere nihil aliud eſſe quam homines aut iam à Deo ligatos, aut iam ſolutos declarare, quia dixiſſet quæcũque ſoluta erunt in

in cœlis, soluetis, &c. 3. qui putant sacerdotes cum absoluunt nihil aliud facere quam aliquid de pœna temporali minuere, errant, quia non à pœna solum sed à culpa vere absoluunt. Ioh. 1. quorum remiseritis peccata.

Super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.] Quasi dicat, quicquid vos super terram habitantes solueritis aut ligaueritis, solutum vel ligatum erit à Deo. Vnde ex hoc loco colligi non potest Ecclesiæ potestatem ad mortuos non extendi, qui super terram non sunt, ideſt de iurisdictione Ecclesiæ: nam mortuos potestatem habet excommunicandi: ideſt ius priuandi suffragijs. Item eos qui in purgatorio sunt suffragijs potest liberare. Ex hoc autem loco Confessionis vsus probatur: Nam non potuit hæc potestas Apostolis data sine peccatorum cognitione exerceri, nec peccata quia plerumque occulta sunt, sine propria eius qui peccauit confessione cognosci. Nec solum potestatem absoluendi tradidit Apostolis his verbis: sed etiam præceptum confitendi omnibus dedit Christianis. Sensus enim est non solum fore vt quicquid Apostoli soluerint in terra, & ipse soluat in cœlo: sed præterea significat nihil se soluturum aut ligaturum in cœlo, nisi quod eius Apostoli aut eorum successores aut soluerint aut ligauerint super terram. dat enim illis suam ipsius potestatem vt pro se Ecclesiam gubernent. Itaque vult vt quicumque peccatorum solutione indigebunt ad Apostolos vel eorum successores tanquam ad seipsum si in terris esset veniant: & ab illis peccata confessi solutionem petant.

20. *Tunc*

20. *Tunc præcepit discipulis vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.*] Ne qui audiuissent si postea morientem eum vt prædixit Mar. 8. Luc 9. in cruce vidissent, infirmitate carnis eius offensi fidem perderent: Nam eo in cruce pendente quidam dixerunt: *Si filius Dei es, descende de cruce:* Noluit ergo vt quod se moriente paucis accidit, omnibus accideret. At si noluit se prædicari esse Christum, cur misit Ioãnem Baptistam eius aduentũ prædicare, & Apostolos prædicare regnũ Dei, quod idem est, & cur ipse dixit se esse filiũ Dei; se esse Christum, aut Deum Patrem suum appellauerit? Quidam respondent prohibuisse ne sua passio impediretur. Noluit autem penitus taceri & occultari, ne Iudæi excusationem haberent. Origenes ait Apostolos non Christum sed regnum Dei prædicasse. Hieronymus contra prædicasse quidem Christum, sed non Iesum, idest docuisse illum esse virum iustum, Prophetam, Messiam à Deo promissum, sed non docuisse esse filium Dei, idest verum & naturalem Deũ, qualem nunc Petrus confessus est, quia id ne ipsi quidem Apostoli tunc forte cognoscebãt: hoc autem in loco prohibuisse ne se Iesum Christum esse dicerent ex Hier. quasi diceret tunc me prædicate eum mortuus fuero: non enim prodesset eius maiestatem prædicare quem essent visuri postea crucifixum. Ipse vero nunquam satis aperte, se esse filium Dei in publico declarauit, quia cum aliqui aliquando offensi essent quod Deum Patrem suum appellasset, eorum opinionem ambiguitate nominis eluſit vt notat Mald. Nonne inquit scriptum est in lege vestra: *Ego dixi dij estis vos* Ioan. 10.

21. *Exinde*

21. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eū ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.*] Ideſt, ſtatim poſt hæc verba in quibus oſtendit ſe eſſe verū Dei filium habentem poteſtatem dandi claues, &c. cœpit aperte loqui de ſua paſſione. At cur ex eo potius tempore quam ante? quia ante nondum ſatis ab Apoſtolis tanquam filius Dei naturalis aut cognitus, aut publica confeſſione pronuntiatus fuerat, & verendum ne ſi ante de ſua ignominioſa morte verba feciſſet; offenderentur, & aut diſcederēr, aut à curſu fidei retardarentur. At cur poſtea? quia tunc erant idonei, vt illis myſterium aperiret. Alij dicunt vt diſcipulos ſuos futuro ſuo exemplo ad patientiam præmuniret. Dixit oporteret, poſito Patris decreto, quo genus humanum conſtituit liberare per mortem filij ſui, pati & mori oportebat.

22. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens, absit à te Domine, non erit tibi hoc.*] Seorſum ſegregans ne coram alijs Magiſtrum arguat, quia non debet ſubditus ſuperiorem publice arguere. Ex Chryſ. Vel ſumpſit eum ſeorſum vt familiarius ei atque audacius ſeu fidētius loqueretur, ex Hier. affectu amātis per modum diſſuadentis, aut conſulentis: ideo Hæretici Petrum calumniantur inepte, nam in hoc erga Chriſtum ſuum amorem oſtendit, ex Chryſ. dicens abſit, Græce propitius ſit tibi Dominus. Hebr. vox abominantis eſt, & ne id eueniat deprecantis.

23. *Qui conuersus dixit Petro: vade post me Satana, Scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.*] Conuerſus à laude

ad

ad vituperium, vel vt Mar. 8. vt aspectu terrifico perterreret dixit: sequere me, sensum tuum relinque, voluntatem tuam: conforma te præordinationi diuinæ; quasi dicat potius deberes sequi & imitari passionem meam. O Satana, idest aduersarie meæ voluntati pro omnibus mori. Hilarius putat id dictum diabolo non Petro. At cur Petrum & Beatum & Satanam vocat? Quia Ecclesia, nondum super eum erat ædificata. Ideo & errare, & Satanas dici potuit; vel Beatus dicitur, cum non caro & sanguis, sed Pater cœlestis illi reuelauit. Satanas vero, cum non sapit quæ Dei sunt, scilicet Dei decretum, ex Aug. & Theoph.

24. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam: & sequatur me.*] Tunc, idest antequam Petrum reprehenderet, ex Luc. 8. dixit ad omnes Mar. 8. conuocata turba cum discipulis suis: quia præsentibus turbis dixit vel solis, vel præcipue discipulis, ex Chrys. abneget, idest, valedicat proprijs affectibus, ex Hier.

25. 26. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.*] Græ. anima vero sua mulctetur; quasi dicat, si quis de possessione & de vita litiget, quid lucrabitur si possessionem obtineat sed vitam perdat: hic enim agitur de iudicio. Commutationem idest compensationem pro vita sua, quasi dicat etsi in iudicio vita humana æstimetur pecunia: at in Dei iudicio non sic: non enim est

est apud Deum acceptio personarum, muneribus non corrumpitur.

27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.*] Ex quo probat nullam pro anima commutationem dari posse, quia non quilibet iudex, sed filius hominis ad iudicandum venturus est, idque cum gloria Patris, itaut bonorum nostrorum non indigeat, etsi ipsius sit gloria, tamen cum natura Pater illi dedit ex Chrys. Ostenditur eadem gloria Patris & Filij, atque adeo vna substantia, ex Chrys.

28. *Amen dico vobis sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem; donec videant filium hominis venientem in regno suo.*] Quia incertum est, dixit Amen: non designat qui sint illi, ne alij velut despecti grauiter ferrent ex Chrys. præsentem timorem præsenti compensat præmio. ait Hier. Amb. de morte animæ putat intelligendum, quasi dicat qui peccaturi non sunt, sed est metaphora ab epotantibus venenum. In regno suo, ideſt in gloria regni sui apparentem: loquitur de transfiguratione quæ coram tribus facta est Orig. Hil. Chrys. & Hier. vel de Resurrectione: vel de Euangelij prædicatione, vel de Ascensione, quod omnes Apostoli viderunt; vel de vltimo iudicio, vel de Ioanne dictum, quod minus probabile.

CAPVT

CAPVT XVII.

Transfiguratur, lunaticum curat, soluit vectigal.

1. *ET post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.*] Lucas cap. 9. post octo fere dies dicit id factum, numerat enim eum diem quo superiora gesta fuerant. Matthæus vero & Marcus non numerant. sic soluunt Hier. & Chrysost. vel non præcise sed confusè tempus notauit, vt sua transfiguratione probaret quod dixerat se in gloriam Patris sui venturum esse, & vt discipulos mœrentes de sua passione solaretur. Tres autem assumpsit, vt testes essent; & vt secretorum capaces haberet Petrum vt primum Apostolorum, Ioannem vt amicissimum, Iacobum vero quia ex primis erat post Petrum ardentissimus filius Zebedæi; non frater Domini. Ex Gregor. & Hieronym. Ducit in montem Thabor, vt oraret, quia solitudo maior, & cœli aspectus liberior. Solebat in omnibus rebus maioris momenti orationem præmittere, antequam gloriam suam ostenderet.

2. *Et transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*] Hæreticus vertit & trãsformatus est: at Christus non corporis sui naturam, sed externam tantum speciem figuramque mutauit. Ex Hier. Græc. ὡς sicut lux;

melius ſicut nix, quia quæ alba ſunt non luci, ſed niui comparamus. non quod diuinitas, ſed quod diuinitatis ſignum ſeu ſpecies oculis conſpiceretur, & corporis gloria.

3. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias & cũ eo loquentes.*] Vt Reſurrectionis fides iis ſuſcitatis confirmaretur, vel ne res ficta Apoſtolis videretur; vel vt futurum Chriſti regnum ad viuum repræſentaretur, vt per Moyſen Lex, per Eliam Prophetæ ſignificarentur. Ex Hilar. & Chryſ. Vel vt diſcipuli Moyſis manſuetudinem & Eliæ zelum imitarẽtur; vel vt ſecundi ſui aduentus imaginem repræſentaret; ante ſecundum autem aduentum Moyſes & Elias venturi ſunt. Sunt qui putant ipſos non vere ſed eorum imagines apparuiſſe vt Strab. Et D. Thom. Eliam quidem vere, quia mortuus non erat, Moyſen vero ſecundum imaginem apparuiſſe, & in aſſumpto corpore. Alij probabilius vtrũque vere apparuiſſe, dedecet enim mendacio veritatem comprobare. At quo modo eos cognouerunt? Ex forma quam expreſſam videtant in libris Hebræorum. Ex Eutym. vel ex colloquiis ex Theoph. vel ex interna Dei inſpiratione.

4. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula; tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.*] Qualia in veteri teſtamento de frondibus, atque tentoriis. Ibi manere volens metu Iudæorum, ne Chriſtus in eorum manus traderetur: Vel bonum iucundum vocat, & quia placebat ei hæc gloria ibi manere vult: At neſciebat quid diceret, non conſiderans illis qui tam glorioſi erant non eſſe opus tabernaculis:

naculis : Et quod ignorabat conditionis fuit, & quod promittebat deuotionis ex Amb. in quo à Caluino longe dissentit qui Petrum arguit quasi collegas Christo faceret, Moysem & Eliam. verius Amb. in Luc. 9.

5. *Adhuc eo loquente ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*] In nube Dei maiestas ostenditur. Exod. 16. 19. 24. 33. 34. 46. quia nubes est res cœlestis, vel vt Apostoli Dei maiestatem loquentis ferre possent interposita nube. Ex Amb. de qua vox emissa postquam Moyses & Elias discesserunt, vt scirent ad Christum non ad alium esse referendam. Hic est filius meus, illi autem serui. Ex Hier. hæc vox non ad docendos discipulos Christū esse filium Dei missa est, sed qualis esset venturus. Et ad confirmādum quod Christus dixerat cap. 16. filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui. Et ad comprobandam Petri confessionem: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Et aliis certior testis esset vt ipse testatur. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam cum essem cum ipso in monte sancto. 2. cap. 1. Ne timeas ergo Petre, diligit eum Pater ait Chrysostom. Ipsi obedite ex Heb. idest non Moysem, neque Eliam, quasi lex & Prophetæ abrogatæ sint, ait Tert.

6. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.*] More Prophetarum auditis sermonibus reuelationis diuinæ; vel visione perterriti : timore non veneratione, quia eos tetigit Christus tanquam examines, vel quia se erasse cognouerunt. Ex Chrysostom. & Hieronym. vel quia nubes

operuit eos, vel quia vocem Patris audierunt.

7. 8. 9. *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: surgite & nolite timere: leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte precepit Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.*] Probabile est non prohibuisse vt dicerent Apostolis aliis, sed populo. vide cap. 16. Probabilius tamen est nec alios Apostolos scire voluisse. Ex Mar. 9. Luc. 9. Silentium imperat vsque dum essent Spiritu sancto repleti. Ex Hilar. Cur autem non ante quam resurgeret diximus cap. 16. ne à fide deficerent, si postea crucifixum viderent: Cur vero post? quia illud incommodum non erat, & omni conatu erat promulgandum Euangelium.

10. *Et interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scriba dicunt quod Heliam oportet primum venire.*] Si transfiguratio ista glorificatio tua est, quo modo dicunt Doctores Iudæorum quod Helias venturus est primum, idest antequam appareas in gloria? Viderant quippe Heliam, sed mirabantur quod tam subito alij quam Scribę testantur manifeste venturum & prædicaturum Iudæis. Interrogatio ergo ex errore procedit, quia putabant instare diem iudicij finemque sæculi: Alij dicunt quod occasionem sumpserunt interrogādi ex verbis, donec à mortuis filius hominis resurgat, quibus se cito moriturum significabat. Ergo non intelligentes Resurrectionis mysterium existimabant Christum antequam moreretur, in gloria illa, de qua locutus erat, venturum

turum esse & redditurum vnicuique secundum opera eius: nam venturum esse post mortem non poterant comprehendere. Quia ergo putabant Christi aduentum instare, & videbant Eliam nondum venisse, eo saltem modo quo venturus erat, vt conuerteret corda patrum ad filios, & omnia restitueret (nam in transfiguratione non tam venisse quam apparuisse videbatur) interrogant quo modo scribæ dicunt ante aduentum eius Eliam esse venturum?

11. 12. *At ille respondens ait illis: Helias quidem venturus est & restituet omnia. Dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*] Dicendo quod Helias quidem veniet, ostendit quod nondum venit: in secundo autem aduentu veniens restituturus sit ad fidem Christi omnes Hebræos quos dispersos inueniet. Quum autem dicit Helias iam venit, præcursorem illum Ioannem dicit, qui in virtute & spiritu Eliæ iam venerat; & non cognouerunt eum: idest non amauerunt, sed spreuerunt & decollauerunt. Ex Theoph. Pharisæi enim consenserunt vt Herodes eum occideret; cúmque possent prohibere, ipsi occiderunt. Caluinistæ ex his refelluntur, qui Heliam non venturum dicunt; & nos simplices qui id cum Christo dicimus.

13. *Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli; quia de Ioanne Baptista dixisset eis.*] Ab eis scilicet Iudæis, quia in passione idem Herodes qui Ioãnem decollauit, spreuit Christum, albaque veste illusum reddidit voluntati Pilati, qui pronuntiantibus Iudæis eum crucifixit Herode consentiente. Ex Hier.

14. *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Miserere filio meo quia lunaticus est.*] Natura, vel morbo, vel à dæmone qui quasi morbi causa est. Ex Orig. Hanc passionem operatur lunæ cursum obseruans vt culpabilis Dei creatura existimetur. Hunc surdum & mutum dicit Marcus cap. 9.

15. *Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.*] Ex Marco cap. 9. verisimile est turbas exprobrasse discipulis inanem esse illorum potestatem in dæmones. Ex Chrysost. vel benigne: hoc dixisse eos eiicere non potuisse, vt dæmonis malignitatem & mali grauitatem exaggeraret; sunt qui eos fidem perdidisse dicunt vt Hilar.

16. *Respondens autem Iesus ait: ô generatio incredula & peruersa: quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos? afferte huc illum ad me.*] Gens, natio distorta ex Græco, quæ non patitur se dirigi, seu ad finem adduci quod non dixit de discipulis sed de Patre adolescentis & de toto Iudæorum genere. Origenes solis discipulis dictum putat: alij discipulis & Iudæis: Et verba sunt non indignantis sed vitia reprehendentis. Ex Hier. Non tædio victi; sed vt medicus videns ægrotum contra sua præcepta agere ait, vsquequo artis perdam industriam? vel vt Magister qui queritur de discipulorum moribus & tarditate.

17. *Et increpauit illum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.*] Græc. Imperauit, illi comminatus est dicens: exi ab eo: Ego præcipio tibi, exi ab eo. vt Mat. Vel increpauit puerum, non dæmonium, vt ostenderet

deret traditum esse immundo spiritui propter peccatum suum vel certe parentum,

18. *Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt, Quare nos non potuimus eicere illum? dicit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram.*] Nunc Apostolorum incredulitatem non publice sed priuatim arguit, vt eorum auctoritati consulat: Magnam quidem habebant fidem, sed minorem quam decebat eos qui tam diu cum Christo versati erant, tot miracula viderant.

19. *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem.*] Miraculorum vt Chrysost. interpretatur alio quam Caluinus animo vt refutauimus cap. 9. Alij melius fidem ipsam qua Christiani sumus, quia nemo reprehenditur quod non habeat fidem miraculorum, & quia incredulitas quam in patre adolescentis reprehendebat, opponebatur non fidei miraculorum sed fidei Christianæ, quia de Christi diuinitate dubitabatur: Et quia non tãtum arguit, sed etiam hortatur Christus dicendo; si habueritis fidem sicut granum sinapis, nemo autem hortatur vt donum miraculorum habeat aut linguarũ vel prophetiæ, quia id non est in nostra potestate, de ea ergo fide loquitur de qua Petrus 1. Cor. 13.

Sicut granũ sinapis.] Fides hic non in magnitudine sed efficacitate cõparatur, quasi dicat si habueritis fidem tam ardentẽ, tam fœcundã, & efficacem quam granũ sinapis; Ex Aug. & Hier. Alij melius de fidei magnitudine & paruitate agi, non quod non inde efficacitas colligatur: Voluit enim Christus dicere vel minimã fidem, quale est grauum sinapis vel maximum montem posse transferre. Ex Orig. Hier. & Chrys.

Dicetis monti huic transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.] Quia qui fidem habent non suis sed Dei omnipotentis manibus agunt. Ex. D. Th. Vbi hoc fecerunt Apostoli? maiora fecerunt mortuos suscitantes ait Chrys.

20. *Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.*] De vniuerso dæmoniorum genere loquitur ex Chrys. fides credendo, oratio petendo, ieiunium tacendo, vel flagellando dæmonẽ pellit, vt fames hostem plus quam tormenta bellica.

21. 22. *Conuersantibus autem illis in Galilæa dixit: filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget, & contristati sunt vehementer.*] Græce legunt reuertentibus, & melius, nam adhuc in Galilæa versabantur. sæpe prædicit passionem, vt quando accideret leuius ferrent quasi præcognitam.

23. *Et cum venissent Capharnaum: accesserũt qui drachmam accipiebant ad Petrum: Et dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachmam? ait etiam.*] Exactores seu collectores tributorum reuerentiæ causa ad Christum accedere nõ audent. Ex Chrys. & Hier. Vel forte malitiose: didrachma autem valebat decem solidos, duos Iulios. Hoc tributum Augustus Iudęis imposuit. Ex Hier. quod Iudęi iussi sunt Domino dare. Ex Chrys. Petrus respõdet etiam; quasi dicat affirmatiue solet soluere, quod aut metu dixit, aut quia de Christi voluntate non dubitabat.

24. 25. *Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens: quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis*

à filiis suis, an ab alienis? at ille dixit, ab alienis: dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij?] Tanquam Deus sciebat quamuis non audiuisset quid loquuti fuissent Petro: idcirco & præuenit eum dicens; Si reges terræ non accipiunt tributum à filiis suis, sed ab alienis quo modo cœlorum Rex à me filio suo accipiet didrachmam: hoc enim sacerdotibus & templo tribuebatur ex Hilar. ideoque ait Christum soluisse quasi non Cæsari sed Patri suo soluerit. Si autem liberi sunt filij paruorum Regum multo magis ego.

Quæres an tanquam homo debuerit tributum? Respondetur debuisse, quia per omnia excepto peccato nobis assimilatus est: hic enim non tanquam homo sed tanquam Deus argumentatur. Alij probabilius dicunt nec se nec discipulos debere tanquam domesticos filij Regis, non sic de aliis Christianis, qui domestici non sunt, quamuis sint filij adoptiui. Ro. 13. Ex Aug. l. 1. q. Euang. c. 23.

26. *Vt autem non scandalizemus eos. Vade ad mare, & mitte hamum; & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.*] Quamuis non datum sed acceptum sit scandalum, tamen vitare voluit, cum facile posset: sic Paulus ad Rom. 14. 1. ad Cor. 8. Ex Chrys. Voluit ostendere se maris & piscium tanto miraculo quo staterem solo verbo formauit in ore piscis ascendãtis, non gemma vt putauit Theoph. Stater duas didrachmas continet, drachma autẽ denarius Romanus. stater & siclus idem. Da eis inquit pro me & te, vel tunc solus erat Petrus cum Christo, vel pro se soluit, non pro

aliis volens illum præ cæteris honorare, quia Apostolorum erat caput ex Hier. Vel quia illud tributum erat a solis primogenitis soluendum. Petrus autem erat primogenitus. ex Chr. Male ex eo quod Petrus soluit hęretici primatum tollunt, & immunitatem Ecclesiæ: nam & ipse Christus soluit, cum nec ipse nec Petrus deberet tributum: quod fecit ne publicanos offenderet, nec suum perderet priuilegium, dum non ex suo seu ex pecunia quam habebant mulieres Religiosæ quæ illum ex Iudæa sequebantur, sed ex inuento solueret vt notat Chrys.

CAPVT XVIII.

Docet humilitatem, vitandum scandalum.

1 *IN illa hora, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorũ.*] Illa hora qua facta sunt quæ in fine præcedentis capitis scripta sunt: ideſt soluto tributo pro Petro & Domino ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus esse prælatum. Ex Hier. Aliquid humanum passi sunt cum viderunt in vnum solum collatum honorem. Ex Chrys. Marcus c. 9. dicit Christum eos præueniſſe & rogasse quid in via tractauissent: tractauerant autem, quis eorum esset maior. Lucas verò cap. 9. vidisse cogitationes eorum, & accersito Petro dixisse: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me suscipit. Chrysostomus ait Apostolos sæpe de ea re contendisse, primo in via, deinde domi cum vidissent

vidissent Petrum sibi in solutione tributi fuisse prælatum, tertio cum interrogati fuissent à Christo quid in via tractauissent. Qua vero occasione id Apostoli rogauerunt respondetur, quia audiuerant Christum de morte sua sæpe mentionem fecisse; & cogitarent eo mortuo Petrum quasi hæredem, & eius vicarium futurum. Alij quia in monte fuerat, & illi claues datæ regni cœlorum. ex Chrysost. Rogauerunt quis nostrum maximus in regno cœlorum futurus est: Sciebant non esse æqualitatem sanctorum in regno cœlorum, vt notat Origen In gloria cœlesti ex Chrys. vel in collegio iustorum; in Ecclesia: in regno Messiæ, quod etsi cuiusmodi futurum esset, nesciebant, futurum tamen cœleste & diuinum putabant ex Chrys.

2 *Et aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum.*] Non infantem sed puerum passionibus exutum. Ex Chrys.

3. 4. *Et dixit: Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parauli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.*] Conuersi à vestra elatione, ambitione, contentione ad humilitatem, obedientiam, pacem non quod Apostoli essent in peccato mortali, sed tantum voluit non posse eos intrare nisi simplicitate & humilitate similes essent pueris non cum æqualitate, sed cum proportione. Credentes vt pueri qui patrem sequuntur, matrem amãt, velle malum nesciunt, non insolescunt, non mentiuntur, non oderunt, dictis credunt ait Hil.

5. *Et qui susceperit vnum paruulum talem*

in nomine meo, me suscipit.] Talem ideſt innocentiæ meæ imitatorem. Ex Hier. Probat enim eum maiorem qui minimo ſimilior eſt, quia puer ſibi ſimillimus & ipſius perſonam gerit. Id vero probat, quia qui puerum ſuſcipit, ipſum ſuſcipit, ideſt beneuolentia complectitur.

6. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*] Inferior mola quæ ὄνος ideſt aſinus dicitur, & ſuperiore maior eſt: vel aſinaria dicitur, quam aſinus circumagit. Ex Hilar. Et erat inter Iudæos vſitatum ſupplicium brachiis eam circumagere. Ex Hieron. & Hil.

7. *Væ mundo à scandalis, necesse est enim vt veniant scandala, verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*] Per mundum intelligit ſcandali auctores qui miſeri ſunt, vel eos qui ſunt in mundo paruuli ſeu ſimplices & abiecti. Ex Hil. & Chryſ. Spectata autem hominum malitia neceſſe ait eſſe vt veniant ſcandala. Ex Hier. Væ tamen illi ſiue Iudæ, ſiue alij cuilibet per quem venit. Ex Hier.

8. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aternum. Et si oculus tuus scandalizat te: erue eum, & proiice abs te: Bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*] Vitanda ſcandala docet ita vt manus abſcindenda, oculus ſi ſcandalizauerit eruendus. Huius loci explicatio habetur c. 5. 29.

10. *Videte*

10. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.*] Cum Deus talem curam habeat paruulorum vt apud eum Angelos habeant in custodiam, probat non esse contemnendos. Ex hoc loco & aliis nata est opinio de Angelis custodibus. Maiores autem & honorabiliores esse Angelos paruulosum, idest iustorum quam aliorum hominum Angelos ex effectu probat, quia semper vident faciem Patris, non quod alij Angeli non videant vt male sensit Origenes, sed quod ea phrasi Hebræi significent Deo aliquem esse perspicuum & familiarem, vt quo quis honoratior est in aula regia, eo propinquior est regi 3. Reg. 11. Colligitur etiam ex eo loco Angelos quocumque eunt suam beatitudinem secum ferre: semper Dei faciem videre, idest essentiam diuinam. Ex Chry. & Bern. ser. 5. de dedic. Eccl.

11. *Venit enim filius hominis saluare quod perierat.*] Ex hoc etiam infert non esse contemnendos paruulos quia propter eorum salutem venit filius hominis. Ex quo concludit se propter peccatores venisse, vt cap. 9.

12. 13. *Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in deserto in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit. Et si contigerit vt inueniat eam: Amen dico vobis, quia gaudebit super eam magis quam super nonaginta nouem quæ non errauerunt.*] Tertio infert pluris se facere paruulorum, idest eorum qui peccatores habentur, quam aliorum hominum salutem. Nec cum hoc dicit, significat aliquos fuisse

fuisse qui non errauerunt aut perierunt, sed tantum propter eos qui errauerunt & perierunt venisse. Per nonaginta nouem oues quæ non errauerunt Angeli boni intelliguntur. Ex Orig. Cyril. & Hil. Vel melius homines, quasi dicat non quidem reliquisse 99. oues quæ non errauerunt vt vnam quæ sola errauerat quæreret, sed tanti vel vnius hominis salutem facere, vt si tantum centum essent homines, quorum vnus tantum errauisset, nonaginta nouem relicturus esset vt illum vnum quæreret vt boni pastores faciunt.

14. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrũ qui in cœlis est vt pereat vnus de pusillis istis.*] Vt vel minimus ex iis pereat. quasi dicat: sic minus vult perire minimos istos quam maximos illos vt Luc. 15.

15. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit lucratus eris fratrem tuum.*] Frattem omnem vocat omnem Christianum, de aliis enim non agit: nam ait: dic *Ecclesiæ. In te*, ideſt contra te non vt Hæreticus interpretatur, secrete, priuatim, te solo sciente.

Quæres de quibus peccatis hoc intelligatur. Origenes de solis venialibus siue contra nos sint siue contra Deum factis. Alij de mortalibus quæ contra nos non contra Deum fiunt vt Hil. & Chry. Alij melius de omni peccatorũ genere siue contra nos siue contra Deum: Attendendum enim est Christi consilium vt peccantem non seuere & tanquam hostem accusemus; sed misericorditer & benigne corripiamus. Dixit *si peccauerit in te*, quia seueri tunc & acres reprehensores sumus, cum eos qui contra

nos

nos peccauerunt, obiurgamus. Voluit ergo Christus modum ibi & formam imponere, vbi maius erat periculum. Tunc autem corrigendus est frater cum spes est emendationis.

16. *Si autem te non audierit, adhibe tecũ vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbũ.*] Vt pudeat qui peccauit, vel vt appareat eum qui corrigit suo officio non defuisse, vel vt si se nõ correxerit, testes habeat vt eũ corã Ecclesia possit accusare, vel vt facilius persuadeat eũ peccauisse adhibitis non separatim sed simul duobus vel tribus testibus ex Hier.

17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*] Id est si illis non obediuerit, non crediderit, tunc fratrem deferas ad Ecclesiam, non ad Iudæorum synagogam, neque ad Rempublicam vel omnium Christianorum multitudinem vt volunt hæretici, sed ad solos Apostolos cum quibus Christus loquebatur & ad eorum successores qui ligandi & soluẽdi potestatem habent. Qui Ecclesia vocantur, qui Ecclesiam regunt & illius personam gerunt. Ex hoc loco infertur Ecclesiam esse visibilem.

18. *Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*] Non testibus, nec iis contra quos peccatum est, vt contendunt hæretici, sed Apostolis loquitur. Alius enim est qui iniuriam accipit, alius qui ligat & soluit. Agit autem & de externa & de interna ligandi potestate cum dicat quæcũque alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cœlis; id est apud Deum. Quod enim apud Deum ligatur & soluitur non solum extrinsecus,

trinsecus,& hominum opinione,sed etiam intrinsecus & reuera ligatur & soluitur. Ex hoc confessionis præceptum colligitur vide c.16.

19. *Iterum dico vobis : si duo ex vobis consenserint super terram,de omni re quamcumque petierint,fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.*] Quasi dicat non solum quæcumque alligaueritis super terram , erunt ligata & in cœlo , sed quod amplius est , vobis promitto fore vt quicquid duo ex vobis communi consensu petierint, consequantur. Quod subiecit vt ostendat nunquã eos in iudicãdo, ideſt in ligãdo & soluẽdo errare se passurum si suo nomine iudicarent, quia quicquid suo nomine ex Patre petierint fiet illis. Ex quo etiam infert ex Mald. præmissa oratione esse iudicandum vt Deus gratiam largiatur rectè iustéque iudicandi. Dixit *si duo ex vobis* , ideſt Christianis vel Apostolis,. Ex Chrysost. vel ad reprehensum & reprehendentem , vel ad virum & vxorem referendum, qui si ab vsu coniugij orationis causa consenserint abstinere , quicquid petierint , impetrabunt : vel ad carnem & spiritum. Ex Origen. Athan.& Hier. *De omni re* quam petierint,honesta videlicet,siue parua siue magna,facili vel difficili.Cur autem quod petimus non semper obtinemus , vide c.7.7.

20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*] Ipsorum ore loquens , vel pro illis ligans aut soluens. Congregare autẽ in nomine Christi, ideſt propter Christum ad ipsius gloriam. Ex Chrys. vel in nomine Christi inuocato, vel eius authoritate cõgregari & eius personã gerẽtes cõuenire:Hęretici verò inquiũt in nomine Christi est

secundum

secundum verbum Dei ad decernendum aliquid ex solis scripturis conuenire. *Ibi sum.* per gratiam vel pro eis petens, & orans, vel tanquam supremus iudex sedeo. Ex hoc loco Conciliorum authoritas probatur.

21. *Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?*] Occasionem interrogationis videtur accepisse ex verbis Christi, si peccauerit in te frater tuus, vel potius ex Luc. 17. Etsi septies peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi; quia hæc cum illis *si peccauerit in te frater tuus*, copulat. Petrus autem ad certum numerum refert, quod Christus ad indefinitũ.

22. *Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies sed vsquo septuagies septies.*] Quasi dicat non solum dico tibi vt innumerabilibus vicibus minirum fratri remittas, sed etiam innumerabiliter innumerabilibus. vt Gen. 4.

23. *vsque ad* 28. *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta: cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari: & vxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille adorabat eum dicens: Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.*] Quasi dicat, idem accidit in regno cœlorum atque si aliquis Rex rationem cum seruis suis ponere cœpisset vt c. 11. Tota autem parabola significat Deum nobis peccata nõ esse dimissurum, nisi nos offensas fratribus remit

remittamus ; cum potius nos illis quam nobis Deum remittere æquum sit : quædam enim sunt vt partes, quædam vt parabolæ emblemata. Talentum autem vsitatum apud Iudæos sexcentos nummos aureos valebat.

28. *Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios ; & tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde ; & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus; & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum ? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadvsque redderet vniuersum debitum. Sic Pater meus cœlestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*] Ideſt repetet à vobis dimissa, ex Aug. de verb. Dom. ser. 15. Donec, ideſt semper ; & quoadvsque, ideſt in perpetuum, quia qui soluere nunquam poterunt, numquam liberabuntur. Non enim significat vt qui damnati sunt, pœnas aliquando persoluant : & quasi reddito debito liberentur. In quo errore fuit Origen. sed fore vt nunquam liberentur. ex Chrys.

CAPVT

CAPVT XIX.

Vxorem non dimittendam: mandata Dei obseruanda.

1. *CVm consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudæ trans-Iordanem.*] Ideſt, cum hæc feciſſet vel dixiſſet in parabola ſupradicta, migrauit à Galilæa vt veniret in Hieruſalem, ibique pateretur. Luc 19. Multa poſtmodum narrat quæ prius facta fuerunt. Nam Euangeliſtæ non vbique ſeruant ordinem temporis: Non eadem autem eſt hiſtoria quæ hic & à Ioan. c. 7. narratur, quia dicit ſolum Chriſtum in Iudæam aſcendiſſe: hic autem multa turba cum illo, ex Chryſ. Quidam putant in Iudæam ingreſſum non fuiſſe vt Hil. alij prius Hieroſolymam veniſſe: verius in fines Iudææ veniſſe, vt Hieroſolymam veniret, ex Chryſ.

2. *Et ſecuta ſunt eum turbæ multæ & curauit eos ibi.*] Sed omnes, ſed qui ægrotabant, & qui digni erant] Mar. 10. Sanantur trans-Iordanem. Ibi datur Baptiſmus, in hoc enim ex Orig. omnes à ſpiritualibus infirmitatibus ſaluantur. Noluit vt Galilæi qui ſe ſecuti fuerant, extra patriam egrederentur. vel ne Iudæi calumniarentur quod poſt ſe turbas traheret; ait author Imp. Ho. 23.

3. *Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa.*] Aliqua de cauſa licet

cere non dubitabant. Occasionem autem id quærendi capiunt quod Christus cap. 11. Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, quasi legem iam abrogatam significaret, vel quod cap. 5. dixisset. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: vel quia hæc quæstio inter Iudæos tunc agitabatur; vel quia cum omnes attingeret erat inuidiæ plena.

4. *Qui respondens ait: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio: masculum & fœminam fecit eos.*] Non respondet Christus ad quæstionem directe, sed facit vt Deus, vel Moyses tacite pro se respondeant. Ex factis etiam respondet cum dicit, non legistis: Ex verbis cum dicit, propter hoc relinquet homo patrem &c. Ex Chrysost. quasi diceret si Deus voluisset vnũ virum plures habere vxores, non vnam tantum sed plures fœminas initio fecisset. Ex Chrys. & Hier. Vel vis argumenti est in diuerso sexu, quod vnus vir non debeat habere nisi vnam vxorem. Ex Aug. l. 9. in Gen. c. 19.

5. *Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; Et erunt duo in carne vna.*] Tria vim faciunt: *Relinquet, adhærebit; & erunt duo in carne vna*, id est in carnem vnam. Id est vt sint vna caro, quia filius ex viro & vxore genitus, vtriusque est communis caro. Alij ad corporum coniunctionem referunt, alij ad potestatem quam vir in vxorem; vxor in virum habet tanquam in propriam carnem: Alij vnam carnem esse interpretantur, esse vnum hominem: Vxorem veluti corpus, virum veluti animam: itaque non debere magis virum ab vxore, quam animam à corpore

pore separari: Caro enim apud Heb. pro homine ponitur. Ex Hier.

6. *Itaque iam non sunt duo sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*] Id est non iam sunt duo homines sed vnus. Ex Beda. non dixit quos, sed *quod*, quasi de vno corpore loquens. Probauit autem vinculum matrimonij ex lege naturali in facto quod Deus vni viro vnam mulierem fecit, & ex lege diuina in verbis *relinquet, &c.* Quibus videtur vxorem viro inseparabiliter copulasse. Ex Chrysost.

7. *Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere?*] Matthæus dixit Christum dixisse Moysem non mandasse sed permisisse; è contrario Marcus non dicit Pharisæos respondisse; Moysen mandasse sed permisisse. & Christum dixisse: quid præcepit vobis Moyses. Conciliantur, quia credibile est quod Christus primum interrogauit quid de ea re Moyses præcepisset; Pharisæos vero respõdisse Moysen permisisse vxorem dimittere: tunc Christum ex scriptura probasse non esse dimittendam. Iterum Pharisæos obiecisse: Quomodo Moyses mandasset vxorem dimittere vtentes verbo mandandi: Christum vero respondisse, permisit vobis Moyses non vtens verbo præcipiendi.

8. *Ait illis quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic.*] Verbum Pharisæorum corrigit Christus: illi dixerant mandauit Christus, dicit permisit. Ex quo colligit Mald. contra Caluinum voluntatis distinctionem in absolutam & permittentem. Et ex Christi respon

responso infertur etiam multis alijs de causis vt propter contagiosos morbos, vel si venefica esset, vel liberorum interfectrix, licitum fuisse in lege dimittere vxorem, cum iam restringat permissionem ad solam fornicationem: An autem peccarent qui dimittebant incertum est: probabile est potuisse ad duritiam cordis permitti; ita tamen vt peccatum esse desineret, ex Mald. qui formam libelli repudij & ceremonias refert.

9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissã duxerit mœchatur.*] Bis hoc dixit, primum omnibus in commune, deinde priuatim discipulis domi Marc. 10. Sic autem permisit Christus adulteram vxorem dimittere, vt nec vxori liceat alij nubere viro, neque viro aliam ducere vxorem, quandiu vixerit vterque. Ex Conc. Trid. contra Caluin. & Luth. qui vtrique innocenti & sonti, & veteres aliquos Catholicos qui innocenti licitum esse, reo non esse licitum dicebant: qui intelligendi sunt non quidem viuente sed mortua priore vxore, quæ loco pœnitentiæ iubebatur aliquando etiam mortuo marito à nuptijs abstinere. Quod autem hic obscurè dixit Matth. perspicue dixerunt Mar. 10. & Luc. 16. c. Numquam vero dimissa vxore alteram ducere, licere Paulus ad Rom. 7. & 1. ad Cor. 7. Christus autem tollit permissionem Mosaicam in duobus: nam nec permittit dimissionem vxoris quacumque de causa, sed tantum ob fornicationem, nec permittit dimissæ alteri iungi, nec viro aliam ducere. Caluin. & Luth. Nam illa exceptio (*nisi ob fornicationem*) non est referenda

renda ad totam orationem : sed tantum ad partem præcedentem vt non significetur licere ob fornicationem aliam ducere, sed tantum licitum esse dimittere vxorem suam ob fornicationem : & sit sensus: Quicumque dimiserit vxorem suam quod non licet nisi ob fornicationem : & aliam duxerit, mœchabitur. Patet quia Mar. & Luc. exceptionem quæ omitti potuit omiserunt : absolute pronuntiantes omnem eum adulterare qui dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, ex Orig. Chrysost. & Hier.

10. *Dicunt illi discipuli eius: si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.*] Si ita negotium viri cum vxore est, vt non liceat viro quam ob adulterium vxore dimissa aliam ducere, non expedit nubere : Alij sic, Si propter vxorem dimissam vir reus factus est ex Theoph. & hic nõ de vxoris sed de viri causa agitur. Caluin. hic arguit Apostolos impietatis & stultitiæ, quasi hoc dixerint quod essent carnales & multitudinis nuptiarum insatiabiles.

11. *Qui dixit illis : non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*] Quasi dicat non omnes quod dicitis præstare possunt seu approbare verbum hoc de non ineũdo matrimonio, quia non omnes castitatis donum habent, sed quibus datum est : omnibus autem volentibus, petentibus, & obtinere conantibus datur, ex Orig. Greg. Naz & Amb. ad Virg.

12. *Sunt eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus.*] Explicatis tribus eunuchorum generibus Apostolorum dictum confirmat, non expedire vxorem

vxorem ducere: idque non difficile fieri posse; Si quis seipsum propter regnum cœlorum castrare vellet, ideſt carnem non secare quod damnabile, sed domare, ex Hil.

Et sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.] Cum prius significauerit continentiam esse donum Dei, dicens *quibus datum est*, nunc significat 1. Nostrum etiam esse opus & à nostra pendere liberi arbitrij potestate: idque non sine carnis repugnantia fieri, ex Greg. Naz. 2. Eam solam continentiam Deo probari quæ ad regnũ cœlorum promerendum susciptur. Ex Orig. Hil. & Chrys. quia non omnis continentia etiam sponte susceptа laudabilis est apud Deũ, vt Philosophorum qui studio sapientiæ à nuptijs abstinuerunt, & quorumdam Sacerdotum idolorum qui sese etiam exercuerunt: & Vestalium male Caluiniani exponunt propter Euangelium, ne ex hoc loco meritum bonorum operum colligamus. Et volens nos sponte virtutem operari inquit: qui potest capere capiat, qui potest pugnare pugnet, superet & triumphet: non enim cogit virginem esse, neque nuptias destruit, sed virginitatem præfert, ex Theoph. nec sunt verba prohibentis vt vult Caluinus, sed exhortantis, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis, ex Hier.

13. *Tunc oblati sunt ei paruuli, vt eis manus imponeret & oraret, discipuli autem increpabant eos.*] Infantes ex Luc 18. non vt sanarentur vt adulti, sed vt spiritualem aliquam gratiam acciperent: vt eis beneditceret & bene precaretur; quasi laudaret castos necessitate, non virtute continentiæ. Id eos commouit quod ex præcedenti

cedentibus eius virtutibus experti fuerant Dominum per impositionem manuum & orationem à multis repulisse varia mala, credentes per huiusmodi manuum impositionē & orationem etiam præmuniri posse infantes à malis & diaboli potestate: idque iuxta consuetudinem apud eos receptam; qua solebant paruuli senioribus & sanctis viris offerri, vt manibus impositis ab eis benedicerentur Gen. 48. Vnde Ecclesiastica consuetudo nata est vt laici & præsertim pueri à presbyteris & Episcopis etiam extra Ecclesiam benedicantur vt notat Aut. Imperf. & Remig. Prohibebant autem eos discipuli, quia incompositi & turbati accedebant ad eum, & existimabant hoc derogare doctrinæ eius authoritati si offerrentur ei paruuli zelantes pro Domini sui honore & quiete, ex Chrys.

14. *Iesus vero ait eis: sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.*] Talium, & non horum dixit, vt ostenderet non ætatem regnare sed mores, & non solum ætate pueros, sed etiam moribus pueris similes comprehenderet: ex Hier.

15. *Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.*] Huius ceremoniæ magna olim in Ecclesia fuit obseruatio, & adhuc est ex parte: nam impositio manuum ex Apostolica institutione fit in sacramento Confirmationis, Ordinis; & rursum fieri solebat in sacramento Pœnitentiæ & quandocumque Hæretici intra Ecclesiam recipiebantur: est enim huiusmodi manuum impositio veluti imprecatio & collatio Spiritus sancti, vnde in manuum impositione

oratio etiam comprehenditur.

16. *Et ecce vnus accedens ait illi : Magister bone quid boni faciam vt habeam vitam æternam.*] Quidam primarius vir, alius à legisperito, de quo Luc. 10. Et quod Princeps, quod diues, quod adolescens describitur. Sunt qui putant non voto discentis sed animo tentantis Dominum interrogasse : sed falso, quia valde reuerenter & genua flectens accessit Mar. 10. quod inflati scribæ non faciebant. 2. quia rogat quid adhuc sibi desit vt ad vitam æternam peruenire possit. 3. quia cum Christus illi dixisset : vade & vende quæ habes & da pauperibus, tristis discessit : nulla autem tristitiæ causa fuisset si ficte accessisset. 4. quia de rebus controuersis & curiosis vt an liceat tributum dare Cæsari potius quam de sua salute Dominum interrogasset, si tentandi causa accessisset, quod etiam Euangelistæ non tacuissent.

17. *Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? vnus est bonus Deus : Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.*] Græci legunt, quid me dicis bonum. Orig. vtramque ponit lectionem. Nec significari quid me interrogas, quid boni facturus sis, sed quid me interrogas bonum appellans. vnus est bonus Deus qui solus natura & vere bonus est : & vt se à bonitate non excludit dicendo vnus est bonus Deus ; ita non excludit à diuinitate contra Arianos; quamuis his verbis indicat maxime se esse Deum. Christus vero ita adolescenti respondit vt suo exemplo doceret quod cum ab aliquibus laudamur, debemus retorquere laudes proprias in laudem diuinam. Et vt eum ab

adul

adulationis vitio liberaret & tacite admoneret ne seipsum bonum existimaret etiam cum omnia Dei mandata perfeciſſet, ſed potius ſolum Deum bonum & bonitatis auctorem ſuſciperet, & vt nimium operibus legis confidentem ab illis auelleret & ad fidem in ſe adduceret; quod facit dum indicat ſe non ſolum magiſtrum bonum ſed etiam bonum Deum eſſe, & vt illius fidem adiuuaret & perficeret, eoque adduceret, vt ſe etiam bonum Deum eſſe crederet. Vocauerat Chriſtum Magiſtrum bonũ, docet illum Chriſtus neminem bonum eſſe, præter Deũ, vt probet ſe Deũ eſſe, ſi bonus eſt, quemadmodum ille ipſe neſciens quid diceret confeſſus erat. Ex Beda & Theoph. dumque dixit illi, *ſi vis ad vitam ingredi*, oſtendit vim liberi arbitrij, & ſolam vitam æternam eſſe vere vitam, & ſe vitæ æternæ prædicatorem: & merita bonorum operum probat: nec enim mandata ideo tantum via vitæ æternæ vocantur quod per ea ad vitam æternam homines veniant, ſed etiam quod propter ea vt patet c. 25.

18. 19. *Dicit illi qua? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies; Non adulterabis; Non facies furtum; Non falſum teſtimonium dices. Honora patrem tuum & matrem, & diliges proximum tuum ſicut teipſum.*] Dicit *Quæ?* vel dubitando fraudulenter, ex Hier. vel vt ab eo tanquam ſummo Magiſtro aliquid ſupra legem diſceret. Ieſus autem ei enumerat aliquot non omnia ſed ea quæ ſunt ſecundæ tabulæ: nec ea quidem ordine ſed vt ſe ſe offerebant: quia quicumque ſecundã tabulã obſeruat, & primã obſeruat ad Rom. 13. & futura pro imperatiuis more Hebr.

20. *Dicit illi adolescens: omnia hæc seruaui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest.*] Quidam sic intelligunt, da quod hæc seruauerim, quid adhuc mihi deest. Basilius putat nō mentitum, sed dixisse quod res erat. Et merito, quia Mar. 10. Christus hoc audito eum dilexisse dicitur; quod non feciſſet si simulator fuisset. Alij dicunt mentitum vt Augustſ. & Hier.

21. *Ait illi Iesus: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus; & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me*] Non præceptum vt Caluiniani & Pelagiani dicebant, sed consilium: nam cum de præceptis loquitur, non dicit si vis perfectus esse, serua mandata, sed si vis ad vitam ingredi: cum vero de consilijs, non dicit si vis ad vitam ingredi, sed si vis perfectus esse, ex Aug. ser. 61. & Epist. 89. Thesaurum regni cœlorum opibus adolescentis non æquiparat vt putat Caluin. sed opponit, vt si quis exiguis possessionibus ingentes totius mundi opes opponat. Deinde Christus significat eum maiorem gloriā in cœlo habiturum si Euangelica consilia, quam si sola præcepta secutus fuerit, denique per eleemosynas & omnia bona opera vitam æternam promereri: in Thesauro copiam & permanentiam retributionis ostendi, ex Chrys. & perfectionem non tam in venditione & distributione consistere quam in sequela Christi non corporali tantum sed magis per imitationem, charitatis, obedientiæ, humilitatis & patientiæ. nam facilius sacculus contemnitur quam voluntas, ait Hier.

22. *Cum audisset autem adolescens verbum, abyt.*

abyit tristis, erat enim habens multam possessionem.] Si paruam possedisset; facile cum Apostolis omnibus relictis sequi Dominum potuisset; ideo cœpit scalpere caput ait Origen.

23. *Iesus autem dixit discipulis: amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.*] Ex hoc adolescente qui propter diuitias à consilijs Euangelicis deterritus fuerat, occasionem accepit Christus de diuitibus disputandi in genere; quomodo à vita æterna, propter diuitias retardentur, non pecunijs detrahit, sed his qui detinentur ab eis ait Chrys.

24. *Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.*] Cum discipuli obstupescerent in verbis eius ait Marc. 10. vt blandimento mitiget sermonis asperitatem & interpretetur non intellectam obscuritatem: filioli inquit quam difficile est confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire. Sententiam exaggerans & seueriorem reddens ait, iterum dico vobis, quasi dicat non solum quod modo dixi, verum est, sed amplius etiam vobis dico, facilius camelum per foramen acus introire posse quam id fieri, prouerbialis erat locutio. Est autem hyperbole & exaggeratio, vt significetur valde esse difficile diuitem introire in regnum cœlorum: per Camelum autem non funem nauticum sed animal intellexit. dixerat esse difficile, ostendit esse impossibile ait Chrys.

25. *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes? Quis ergo poterit saluus esse?*] Quasi dicant cum omnes auaritiæ studeant a minore vsque ad maiorem, & diues in regnum

cœlorum introire non possit, quis saluus esse poterit? Mar. 10. ait Apostolos hoc dixisse inter seipsos, idest tacite ex Aug. de q. Euang.

26. *Aspiciens autem Iesus dixit illis: apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*] Vt indicaret se eorum cognouisse cogitationes & sermones quamuis secretos, vel vt aspectu turbationem mentis eorum sedaret, ex Chrys. vt sententiam suam magis ac magis exaggerando confirmet, primum simpliciter dixit difficile esse diuitem introire in regnum cœlorum. 2. dixit facilius esse camelũ introire per foramen acus. 3. Impossibile omnino esse sed apud homines non apud Deum. multa opus est gratia vt homo in diuitijs dirigatur ait Chrys.

27. *Tunc respondens Petrus dixit ei: ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?*] Quasi dicat, eum qui seruatis diuitijs te sequi recusat, dicis difficulter ingressurum regnum cœlorum, intelligimus ergo bene nos fecisse qui omnibus relictis te sumus secuti: At cum eum qui omnia vendidit & dedit pauperibus dicas habiturum thesaurum in cœlo, quid quæso erit nobis præmij? qui non quidem omnia vendidimus sed omnia reliquimus. Confidenter dicit omnia, cum pauca reliquissent, nauem scilicet & retia. Omnia enim relinquit, & multa relinquit qui quicquid habuit, & habere potuit aut concupiscere, relinquit, ex Greg. & Bern. in declam.

28. *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duode-*

cim

cim tribus Israel.] Non dicit qui reliquistis omnia, sed tantum qui secuti estis me, quod maius erat, quod minus erat intelligit: ipsam sequelam sui exigere omnium derelictionem, ex Hier. Cum vero ait *in regeneratione*, lauacrum regenerationis vt Paulus intelligit, quasi dicat fore vt Apostoli cũ Ecclesia florere cœperit in magna sint sicut ipse auctoritate. Ex Hil. Verum rectius intelligitur resurrectio ex mortuis, quæ velut secunda generatio hominis quæ fiet in extremo iudicio, in quo totus mundus regenerandus est Apoc. 21. 1. Pet. 3. Isa. 65. Ex Aug. sequitur enim cum sederit filius hominis; vbi non agit de Christi ad dexteram sessione cum de iudicio loquatur, sed de iudiciaria eius auctoritate, gloria & maiestate; quasi dicat sicut ego Iudex in nube sedebo, ita & vos sedebitis super duodecim sedes, non quod putaret Iudam esse sessurum, sed quod si in officio perstitisset sicut alij sessurus fuisset, vel numerum certum pro incerto posuit vt Paulus & Barnabas sessuri dicuntur ex Aug. l. 20. de ciuit. c. 5. & Beda. *Iudicantes*, i. condemnantes, ex Hier. Quo autem modo Apostoli dicantur iudicaturi? Multi dicunt solum iudicaturos per comparationem, quia illis credentibus cæteri Iudæi credere noluerunt, quemadmodum viri Niniuitæ surgent in iudicio contra hanc generationem. cap. 12. ex Hier. Alij dicunt iudicaturos tanquam ministros Christi sententiam promulgantes, alij tanquam consiliarios Christi iudicaturos, sicut qui iudici assident; dicuntur etiam iudicare. Maldon. putat iudicaturos tanquam doctores, tanquam testes accusantes quodammodo eos qui sibi

Euangelium prædicantibus & salutis viam docentibus credere noluerunt: condemnabunt enim eos conuincentes eorum incredulitatem, dicentesque se feciſſe vt illi crederent & salui eſſent quicquid potuerant vt de Moſe dicit Ioh. 5. Cum autem tredecim ſint tribus, ſi Leuitica numeretur, cur duodecim tantum tribus Apoſtoli dicantur iudicaturi. Beda reſpondet numerũ certum pro incerto poni. Vel intelligit Chriſtus nõ ſolũ duodecim Apoſtolos, ſed etiã tredecim Paulo & Barnaba numeratis, excluſo vero Iuda eſſe iudicaturos; Nec ſolũ duodecim tribus ſed omnes etiã Gẽtes quibus Euangeliũ prædicauerunt, quaſi in populũ Iudaicũ inſertas & in duodecim tribus cooptatas ex Chry.

29. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem & matrem, aut vxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*] Poſtquam declarauit Chriſtus quæ propria erant Apoſtolis, eo quod omnia reliquerunt, ſubijcit etiam quæ & reliquis manent bona, qui etſi non vendunt ſua, & dant pauperibus, tamen relinquunt ſua; etſi non omnia ſed quædam. Quoniam autem relinquere ſua vel ſuos non eſt apud Deum laudabile, & meritorium; niſi fiat ob cauſam & finem bonum, ideo apud Matth. dicitur propter nomen meum; apud Marcũ propter me, & propter Euangeliũ; apud Lucam vero propter regnum Dei ex-Chryſ. & Orig. centuplum inquit accipiet, & multo plura etiam in hac vita, quia pro temporalibus accipiet ſpiritualia chariſmata, quæ longe ſuperãt quęuis terrena. Ex Hier. accipiet internas cõſolationis & animũ paratiſſimũ. Hęc tamen declaratio

declaratio non sufficit huic loco: nam Marcus explicaturus quomodo centies centum hoc tempore sint accepturi, subiicit domos & fratres, & sorores, &c. id autem quam sit verũ patet in Apostolis, & in Apostolicis viris. Apostolis enim omnium fidelium domus erant apertæ, eorumque agri eis ferebant fructum, & tanquam nihil habentes omnia possidebant: Vel dicendum centuplum accepturos & domos & fratres, &c. non quod ista sint recepturi: sed Christum qui eis est instar omnium, quique pater & frater & soror & mater est ex Origen. & Theoph.

30. *Multi autem erunt primi nouissimi: & nouissimi primi.*] Hęc sententia indistinctè à Christo proposita, varie accommodatur proposito Domini. 1. Vt homines ad sequendam perfectionem Euangelicam proposito præmio magis accenderet. 2. Ne Apostoli nimia securitate confiderent: quod primi vocati fuissent, sed sic currerent non quasi incertum &c. 1. Cor. 9. Sed ex sequenti parabola pendere videtur sensus. Non appellare primos eos qui aut opinione sua, aut dignitate, aut meritis primi sunt, sed qui primi vocati sunt ad vineam Domini venerunt. Ex Iansˢ. Multi etiam natura nouissimi fiunt per vitam Angelis quibusdam superiores. Ex Orig.

CAPVT XX.

De operariis in vinea.

1 *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios*

rarios in vineam suam. Idest simile quid accidet in regno cœlorũ, quale est quod fecit quidam Paterfamilias, &c. Regnum autem cœlorum hic non accipitur pro Christo aut gratia Euangelica, sed vere pro regno Christi, quo partim regnat in terris per fidem, & partim in cœlis per gloriam, quod comparat domui, patri familias, homines operariis & negotium negotio. Summa parabolæ est, non æqualem futuram omnium gloriam vt contendunt hæretici, neque Deum præter omnium opinionem aliis plus aliis minus quam sperabant daturum esse: sed sensus pendet ex versu vltimo præcedentis c. Et ex fine parabolæ, sic erunt nouissimi primi & primi nouissimi. vbi autem verba repetit & significat propterea multos primos nouissimos futuros esse; quia quamuis primi venerunt ad vineam, minus tamen laborauerunt, ideoque minorem mercedem meruerunt. Et ipsummet initium parabolæ hæreticos refellit. *Exiit primo mane conducere operarios.* Operarius enim est qui propter mercedem quam labore suo meretur, laborat: & conducere verbum iustitiæ, idest meriti & mercedis est. Ex Mald. Et quemadmodum operarij in vinea laborantes denarium diurnum propriè & verè merentur, ita qui in Ecclesia Dei laborant, verè merentur vitam æternam. Finis ergo parabolæ est mercedem vitæ æternæ non tempori quo quis laborauit, sed labori & operi quod fecit respondere: sæpe enim fieri vt aliquis vna hora tantum laboret quantum alius toto die, ideoque æqualem mercedem; idest eundem denarium accepturum. Superest vt partes parabolæ necessarias omissis emblematis referamus.

mus. 1. est Paterfamilias, qui ad vineam operarios conduxit, est Deus de quo Christus dicit Pater meus agricola est, vel Christus qui sēper in hunc mundum quasi in forum exierit vt in vineam suam cōduceret operarios Patriarchas Prophetas. 2. Pars est dies, cuius mane Paterfamilias in forum exiuit, & cuius vespere mercedem soluit operatiis. Hanc dicunt significare totum tempus quod inter initium & finem mundi interiectum est. Alij tempus quod est à primo aduentu Christi ad secundum diem. Alij vniuscuiusque hominis ætatem, noctem cuiusque mortem appellat. 3. Pars est vinea. Quam multi interpretantur iustitiam, & mandata Dei. Alij totum mundum. Alij cuiusque animam. Alij Ecclesiam. 4. Pars est hora prima, tertia, sexta, nona & vndecima; qui totum diem vniuersam mundi ætatem interpretantur, horam primam fuisse dicunt ab Adam vsque ad Noë: tertiā à Noë vsque ad Abrahā: sextam ab Abraham vsque ad Moysen: nonam à Moyse vsque ad Christum: vndecimam à Christo vsque ad finem mūdi. Alij diuersas horas, diuersas cuiusque hominis ætates. Primam horam esse infantiam, tertiam pubertatem, sextā ætatem virilem, nonam ætatem in senectute, inclinatam, vndecimam decrepitam. 5. Pars est forū in quod Paterfamilias dicitur exiisse, quo totus mundus intelligitur qui extra Ecclesiam est, in quo homines toti sunt aut otiosi aut secularibus negotiis occupati, & inde in Ecclesiam tanquam in vineam vocantur. 6. Pars est denarius qui idem omnibus datur, quo salus & vita æterna significatur. 7. Pars est vespera diei, quando denarius soluitur, qua finis mundi &

vltimi iudicij tẽpus declaratur; vel vniuscuiusque mors. 8. pars est quod Paterfamilias iubeat in soluenda mercede, ab iis qui vltimi venerũt incipere: hoc ad Parabolæ significationem maximè pertinet: præferuntur enim nouissimi & fiunt primi, quia tantum vna hora, quantum alij toto die laborauerunt.

16. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*] Concludit nunc generalius, non omnes qui vocati sunt mercedem accepturos, quia plerique vocati venire nolunt. Non enim significatur non omnes esse vocatos: omnes enim vocat, qui ideo venit in mundum hunc vt peccatores vocaret ad pœnitentiam; omnes enim peccatores erant: omnes vocauit. Ex Origen. & Chrys.

17. *Et ascendens Iesus Hierosolymam: assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis.*] Ascendere dicitur, vel quia vna eius pars in monte Sion posita erat, vel Hebraicè dixit pro ire, vbi Christi ad mortem euntis alacritas, & Apostolorum admiratio timorque significatur, quia præcedebat eos Iesus. Mar. 10. Sæpe se oportet offerre persecutionibus & periculis vt ex eo colligit Orig. *Assumpsit* ideſt segregauit, noluit enim dicere discipulis coram omnibus, ne res euulgata aut impediretur, aut mors ab ipso procurata videretur.

18. 19. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget.*] Lucas cap. 22. ait & ipsi nihil horum intellexerunt:

mortis

mortis mysterium nõ comprehenderunt, morte sua Christum salutem mundo allaturum.

20. *Tunc accessit ad eũ mater filiorũ Zebedæi cũ filiis suis adorãs & petẽs aliquid ab eo.*] Tunc, cũ videret mortem eius instare, ambit hæreditatem velut hominis morituri: vel cũ diceret se tertia die resurrecturum. Marcus c. 10. ait filios ipsos rogasse, eo quod forte eorum instinctu mater Dominum rogauerit vt dicitur de Centurione c. 8. quem Luc. 7. non ipsum sed amicos accessisse dicit: Matrem ipsam excusant Ambr. & Hier. Adorans, idest inclinato capite, vel genu flexo, reuerentiam ei exhibens & beneuolentiam captans. Petens aliquid, id est magnum quid; quasi diceret quiddam habeo quod te rogem, sed velim mihi prius te facturum promittas, vt 3. Reg. 2.

21. *Qui dixit ei: Quid vultis? ait illi, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram & vnus ad sinistram in regno tuo.*] Mater postulat & Dominus discipulis loquitur, intelligens preces eius ex filiorum descendere voluntate, etsi non eorum forte impulsu, quia tamen pro eis mater postulauerat, potius filiis non matri respondet. Ex Hier. At illa, dic, iube, statue, cum omnes Apostoli in regno tuo sint sessuri, vt duo filij mei proximi assideant, alter ad dexteram, alter ad sinistram.

22. *Respondens Iesus dixit: nescitis quid petatis.*] Vt sensus sit, nescitis quid petere debeatis vt ad Rom. 8. Quid oremus sicut oportet nescimus, quia non spiritualia sed carnalia petebant: vel quia rem maiorem & meliorem petebant quam existimabant. Ex Chrys. Vel bonum quidem petebant sed non bene intel

intellectum: putabant enim precibus adipisci posse, cum eiusmodi sit vt non petentibus sed merentibus detur. Ex Raban. Patitur sæpe Dominus suos discipulos non rectè aliquid dicere aut agere, vt occasionem inueniat exponendi regulam pietatis ait Chrys.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus.] Calicem ex Hier. vocat passionem & mortem suam quod eam non minus libenter obierit quam si poculum vini biberet ex Chrys. Metaphora ducta ex antiqua consuetudine, qua solebat damnatis poculum veneno plenum porrigi vt ea ratione vitam finirent. Inde factum est vt mors ipsa siue supplicium calix diceretur ex Orig. & Hier. ps. 13. Vel ex vetere more, quo inter Iudæos paterfamilias vinum pro suo arbitrio temperabat, & vnicuique conuiuæ alij plus alij minus distribuebat: qua ratione factum est, vt vniuscuiusque hominis sors, quæ à Deo immittitur siue bona siue mala calix appelletur. bona vt Ps. 15. mala vt Ps. 10. 74. Ier. 15 Ezec. 23. Marcus 10. cap. ait addidisse Christum: & baptismo quo ego baptizor baptizari, ideſt iam iam sum baptizandus, & baptizari paro: vbi baptismum suam passionem vocat, vt 1. ad Cor. 15 Quid faciēt qui baptizantur pro mortuis, ideſt qui pro defendenda mortuorum resurrectione mortem appetunt. Qua metaphora eo lubentius vsus est, quia eius passio nobis futura erat & baptismus quo mundaremur; & calix quo inebriaremur. vel quia sicut per mortē, sic per baptismū peccatorum expiatio facienda erat ex Origen. & Chry. vt temere discipuli petiuerunt, sic temere respondent se posse bibere calicem. Ex Chrys.

Vel

Vel quod ante nesciebant postulauerunt : ita nunc quod non intelligunt promittũt. Melius alij nec temere nec inscienter, sed amanter & verè respondent se paratos esse vt pro Christo morerentur, vt postea exitus docuit.

23. *Ait illis : calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*] Idest talia pro veritate & gloria Dei patiemini, qualia ego mox passurus sum. nam Iacobus occiditur ab Herode Act. 12. Ioannes autem cum reliquis Apostolis flagellatur à Iudæis, & in dolium feruentis olei missus relegatur : in Pathmos nec voluntas martyrio sed martyrium voluntati defuit ex Hiero. Et cum dixit Christus : *Calicem quidem meum bibetis*, non prædicit fore vt pro se oppetant mortem, sed tantum significat hoc se posse illis concedere, vt calicem suum bibant; vt autem ad dexteram vel sinistram sedeant, concedere non posse nisi quibus paratum est à Patre suo. Non quod neget suæ potestatis & officij esse concedere, sed tantum negat non esse suæ potestatis & officij illis dare, sed solis his quibus à Patre suo paratum esset, vt si quis Rex annulum ei qui in stadio currendo cæteros vinceret, proposuisset, eúmque digito teneret, aliquis vero ex iis qui nõ solũ nõ vicissent, sed ne cucurrisset quidem, annulũ ab eo peteret, recte respõderet currere quidẽ poteris, annulũ autẽ non est meũ dare tibi sed quibus paratũ est, idest vincẽtibus, non enim significaret se dare nõ posse, cũ ipsius sit, sed dare non debere nisi vincẽtibus, quibus eũ destinasset. At cur non dixit quibus paratum est à me, quasi plus Patri quam sibi auctorita-

tis.

tis tribuat vt Arriani contendebant. Respondetur hoc dixisse per appropriationem, quia paratum esse, est esse prædestinatum; prædestinatio autem est genus quoddam prouidētiæ, quæ Patri potius quam filio tribuitur: vel quibus paratum est, ideſt Moysi & Helię ex Hil. vel Petro & Paulo ex Eutym. vel his qui ab operibus possunt fieri clariores ex Chry. vel quibus paratum est, ideſt nullis, quasi nemo neque homo neque Angelus eo peruenire possit sed solus Christus Eph. 1. constitutus est ad dexteram Patris ex Chryſ.

24. *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.*] Sicut duo fratres carnaliter petierunt; ita & reliqui decem indignati sunt. Chrysostomus piè eos excusat, quod nondum Spiritus sanctus in eos effusus fuisset.

25. *Iesus autem vocauit eos ad se, & ait, scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos.*] Intelligendum enim hos paulisper elōgatos à duobus fratribus qui clam cum matre ad Dominū accesserant ex Chryſ. Vocat ergo eos Christus & docet se eorum cogitationes sermonésque tacitos cognouisse, & omnibus eodē pharmaco medicinam admouet: quasi diceret, an nescitis quod facitis propriū esse ambitiosorum principū, nec omniū quidē sed gentiū, apud quas nō iustitia sed vis regna obtinet, in omnibus suam vtilitatem à subditis sibi, velut à seruis quęrentes, vbi nec regiā nec Ecclesiasticā tollit potestatem vt contendūt hæretici. Tantum monet nō debere Apostolos qui ad Ecclesiæ gubernationem vocati sunt, Gentilium principum ambitionē imitari. *Eorum* pro eis est Hebraismus.

26. Et

26.27.28. *Non ita erit inter vos: Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare; & dare animam suam in redemptionem pro multis.*] Ideſt omnibus: ſed magis credendum voluiſſe Chriſtum, non voluntatem ſuam ſed mortis ſuæ fructum declarare. Nam ſi eius quidem voluntatem ſpectes, pro omnibus hominibus nemine excepto mortuus eſt: ſi fructum non ad omnes peruenit ſed ad multos: quia non omnes percipere voluerunt. Ita Hier.

29.30. *Et egredientibus illis ab Hiericho secuta est eum turba multa. Et ecce duo caci sedentes secus viam audierunt quia Iesus transiret; & clamauerunt dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid.*] Mar.10. & Luc.18. tres cæcos curaſſe ſcribunt, ideo ſunt qui tres hiſtorias eſſe putant vt Eutym. Alij qui duas, vt Aug. Alij vnam tantum: omnes enim dicunt id accidiſſe in ea profectione vltima qua Chriſtus vt moreretur venit ex Galilæa in Hieruſalem. Omnes prope Hiericho: omnes cæcum aut cæcos, qui curati ſunt ſediſſe iuxta viam: omnes clamaſſe *Ieſu fili Dauid miſerere mei*: omnes à turba iuſſos fuiſſe tacere: omnes vehemẽtius clamaſſe: omnes ſteriſſe Chriſtum, & cæcos ad ſe vocaſſe, omnes rogaſſe cæcos, *quid vultis vt faciam vobis*: at in diuerſis Hiſtoriis tam multa ſimilia eſſe non potuiſſent.

31. *Turba autem increpabat eos vt tacerent: at illi magis clamabant, dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid.*] Non maligne & inuide ſed officioſe & amanter; ne homines abiecti

iecti Christo obstrependo molesti essent. Ex Eutym.

32.33.34. *Et stetit Iesus & vocauit eos & ait: Quid vultis vt faciam vobis? dicunt illi: Domine vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.*] Cur tetigerit vide cap. 9. Apud Mar. 10. & Luc. 18. dixit Iesus *fides tua te saluũ fecit.* Oculos tangit qui radiis suæ lucis conscientiam illustrat.

CAPVT XXI.

Venit asino in Hierusalem: eiicit de templo ementes.

1 *ET cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem Olineti, tunc Iesus misit duos discipulos.*] Mar. 11. & Luc. 21. præpostere dicunt eum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam; illudque sic intelligendum cum appropinquasset ad Bethaniam, & deinde ad Bethphage, quia Bethphage distabat ab Hierusalem Sabbati iter, ideſt mille passus; vel duo mille; Bethania vero 15. stadiis, ideſt 1870. passus. Salute data credentibus ingredi cupit pacis vrbem & visionis Dei ait Hier. Et mittit Petrum & Philippum ex Hil. vel Petrum & Ioannem ex Beda, quamquam parum refert scire qui fuerint.

2.3. *Dicens eis: ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quis vobis*

vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.] Cæteri Euangelistæ de solo pullo mentionem faciunt, quia super solum pullum Dominus insedit, & tanquam supremus Dominus omnium rerum, cui seruire debet omnis creatura soluí iubet. *Contra* id est ante vos, è regione vestri. Castellum, id est vicinum pagum: non Hierusalem vt quidam putant ob murorum fortitudinem; vel ob despectum sic dictam, quia contraria esset Apostolis.

4. *Hoc autem totum factum est vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem.*] Vt non causa sed consequentia est: Nisi volueris dicere Prophetiam Zachariæ sibi cõuenire declarasse. Causa autem fuit. 1. vt specimen quoddam regni sui exhiberet seseque Messiam comprobaret. 2. quia sciebat Iudæos sibi relictos, hinc persequendi sumpturos occasionem; quorum impietate ad promouendum eorum salutem vti voluit. 3. vt humilitatis præberet exemplum. Ex Chrys.

5. 6. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus.*] Non omnia sed quædam verba Prophetiæ Zac. 9. & Isa. 62. recensel; solet autem tota vrbs Hierusalem à monte Sion nominari, quia ibi erat regia. *Venit tibi* quia non nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Venit *mansuetus* vt ametur, non vt per potentiam timeatur, ait Chrys. Pauper; nam qui pauper, mitis & mãsuetus est. Ex aliis Euangelistis constat super solum pullum sedisse, vt populũ Gentilem adhuc rudem significaret. Vel suc-

cessiue

cessiue sedit super vtrumque. Vel syllepsis est, qua de vna re plurium loquimur numero, vt cum dicuntur Apostoli ob effusum vnguentum murmurasse, cum solus Iudas murmurasset: Et duo latrones blasphemasse, cum alter tantum blasphemauerit.

7.8. *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua; & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in via.*] Apostoli etiam super asinam vestimenta posuerunt, quia ignorabant super quem sedere vellet Christus, quod minus probabile. quia dixerat illis: inuenietis pullum super quem nemo adhuc hominum sedit, per similem ergo syllepsim melius soluetur quæstio.

9. *Turba autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant, Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis.*] Interiectio gaudentis & obsecrantis: alij redemptionem domus Dauid significare: alij hymnum ac laudem: alij ramos quos Iudæi in festo tabernaculorum gestantes clamare solebant Hosanna, Hosanna. Et hinc factum est vt ipsi rami Hosanna vocarentur. Et ea consuetudine excitatam turbam ramos arborum fregisse & clamasse: Hosanna filio Dauid; quasi dicat: præcedite & date ramos filio Dauid Hier. saluum fac obsecro seu serua nos ô fili Dauid, quasi hac voce professentes Christum tanquam domus Dauid redemptorem venisse. Melius dicendum, hæc verba ad Deum tanquam ad personam agentem, ad Christum tanquam ad patientem referenda: precatur enim

turba

turba Deum vt nouum regem diuque desideratum seruet, ac prosperet. Quod ergo turba clamat Hosanna, perinde est ac si dicat viuat Rex, quod autem ramos præfert, consuetudine triumphantium & gaudentium videtur facere. Ex Orig. Hil. & Hier. Benedictus ideſt prosper sit eius aduentus, laudetur ab omnibus & glorificetur, seu potius sit benedictus à Deo. Deus illi benefaciat, prosperet & secundet regnum eius, vt per eum & nos simus benedicti *in nomine Domini* quia missus à Deo venit; Et quia personam Dei gerit, qui per eum populum suum visitat. Dicũt autem venisse regnum Dauid, quia promissum illis fuit per Messiam tanquam filium Dauidis restituendum regnũ Dauidis, quod proinde terrenum fore credebant cum sit spirituale. *In altissimis* pro de altissimis. Ex Hier.

10. *Et cum intrasset Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic.*] Quia maior pars & dignior vt Scribæ & Pharisæi commoti sunt. Non gaudio, non admiratione, non metu, sed inuidia; quod videret Christo tantum honoris tribui. quasi diceret quantus est hic vt tantum honoris mereatur. sicut Nazareni dicebant: *Nonne hic est fabri filius.*

11. *Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea.*] Turba quæ aliunde eum secuta fuerat quam opponit ciuibus Hierosolymitanis, quod hi per contemptum & inuidiam dicerent, *quis est hic*? Illa per fidem responderet: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth*; non qualiscumque sed Messias ille olim promissus diuque expectatus, sicut & Moyses eum dixit. Ex Hier.

12. *Et*

12. *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*] Dubiū est an hac ipsa qua Dominus solemni pompa ingressus est Hierusalem; an die sequenti contigerit illa eiectio. Matth. & Lucas commemorant quasi ipsa die factam. Marcus vero quasi die sequenti. Ioannes cap. 2. similem sed non eandem scribit historiam; bis enim Christus è templo vendentes & ementes eiecit. Ex Chrys. Cum autem in templum dicitur ingressus, prima pars templi intelligenda est, quæ atrium & porticus Salomonis dicebatur. Reliquæ duæ partes solis Sacerdotibus patebant; hæc vero omnibus, ex qua eiicit vendentes & ementes. Ex Hier. & Aug. tanquam Dominus domus ostendens ea quæ Patris sunt & sua esse. Hoc omnium signorum mirabilius existimat Hier.

13. *Et dicit eis: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*] Nemo in Oratorio aliquid agat nisi ad quod factum est, vnde & nomen habet ait Augus.

14. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.*] Calumniatoribus virtutis potentiam ostendit, vt in his facta corporaliter melius fiant in illis spiritualiter.

15. 16. *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit: & pueros in templo clamantes, & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt. Iesus autem dixit eis: vtique. Numquam legistis quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.*] Non pueros sed infantes fuisse magis

auget

auget Christi gloriam. quasi dicat eo sensu quo Luc. 19. Si tacuerint lapides clamabunt. Ex Chrys. stabilem, perpetuam & immortalem laudem tibi cõparasti, quibus verbis se Deum declarat: nam quod Deo Dauid dixerat sibi dictum esse interpretatur.

17. *Relictis illis abiit foras extra Bethaniam; ibique mansit.*] Ne ab illis ante tempus comprehenderetur, vel quod eius præsentia & colloquiis indigni essent. Melius quia cum pauper esset in tanta ciuitate & post tantum triumphum & tot miracula, hospitium non inuenerit, abiit in Bethaniam. Ex Hier.

18. *Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit.*] Vel finxit se esurire, vt finxit se in ficu fructum quærere, aut si vere esuriit, non naturalis fuit fames sed voluntaria. Ex Chrysostom.

19. *Et videns fici arborem secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi: nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.*] Non mirum quod nõ inuenerit fructum, quia ficorum tempus non erat. Mar. 11. Erat enim tempus Martij: finxit autem se quærere fructum more hominum quem se sciebat non inuenturum esse; vt edẽdi miraculi occasionem acciperet. Ex Aug. l. 2. q. Euang. q. 51. Cur arbori maledixerit eamque arefecerit quasi punire vellet quod fructum non haberet, cum habere non deberet eo tempore; id non iræ impetu qui in Christum cadere non poterat, nec pœnæ inferendæ causa, quam nec arbor merebatur, sed solo mysterio factum est, quod cum synagoga arbor esset à Deo in vinea sua plan

plantata, fructumque in ea sæpe quæsiuisset, & nunquam inuenisset vllum, & vt Luc. 13. aliam succidit, ita hanc arefecit, ideſt legem veterem, & synagogam, quia bonorum operum fructus non ferebat, abrogauit, quos omni tempore ferre debuit, non vt arbor certo tantum tempore. Ex Orig. Hil. & Hier.

20. *Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: quo modo continuo aruit?*] Die sequenti cum iterum Hierosolyma Bethaniam redirent, quia sic Dei gratia homines deserente statim sequitur ariditas bonorum operum.

21. *Respondens autem Iesus ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis tolle & iacta te in mare fiet.*] Verisimile est montem Olueti demonstrasse.

22. *Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*] Ideſt cum fide vel fiducia, non vacillantes, non hæsitantes, accipietis vt Iac. 1.

23. *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes Sacerdotum & seniores populi dicentes: in qua potestate hæc facis: & quis tibi dedit hanc potestatem?*] Marcus tribus cõtinuis diebus refert Dominum venisse Hierusalem; ibique vsque ad vesperam docuisse in templo: Lucas in genere dixit, *& erat quotidie docens in templo.* Et cum nondum auderent manus illi iniicere, verbis illum aggrediuntur tentare, sua authoritate putantes illum perterrefacere posse, & os eius obstruere, & à faciendis quæ faciebat impedire dicentes qua authoritate hæc facis, an propria & vsurpata, an ab alio accepta hæc miracula: quod

cum

cum acclamatione asino insidens ingreditur: Hierusalem vendentes & ementes eiicit è templo, & præcipue quod officium docendi quotidie populum in templo sibi vendicaret, cum hoc esset officium scribarum.

24. 25. *Respondens Iesus dixit eis, interrogabo vos & ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego dicam vobis in qua potestate hæc faciã: Baptismus Ioannis vnde erat; è cœlo an ex hominibus?*] Non respondet Christus ad quæstionem Sacerdotum, quia indigni erant audire veritatem, vel ne audita magis irritentur: sed alia proposita quæstione vult vt eam soluentes ipsi sibi respondeant. Nam si dixissent Ioannis Baptisma, seu eius prædicatio, & omne institutum fuisse è cœlo, hac responsione etiam conuinci potuissent, Iesum cui Ioannes testimonium perhibuit diuina præditum potestate & authoritate.

27. *Et respondentes Iesu dixerunt nescimus: Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*] Non dixit illis nec ego scio, (non enim vt illi qui dixerant *nescimus* veritas mentiri potuit) sed respondet *nec ego dico vobis*; quo significat & illos quidem scire sed nolle dicere, & se quoque quod quærebant scire, sed merito etiam illis non dicere: sic prudenter sapientes cõprehendit in sapientia sua, vt discamus caute respondere insidiatoribus, & clauum clauo pellere, & veritatem indignis celare, ne sanctum detur canibus. Ex Ians.

28. 29. 30. *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo, postea au-*

tem pœnitentia motus abiit: Accedens autem ad alterum dixit similiter: At ille respondens ait: eo Domine, & non iuit.] Ex responsione Sacerdotum capit occasionem redarguendi eorum incredulitatem, quod nescirent illud quod etiam publicanis & peccatoribus fuit cognitum. Quo autem imprudentes, proferrent contra se sententiam sicque efficacius perstringerentur, proponit illis aliam quæstionem sed sub ænigmate & parabola docet diuinum fuisse Ioannis Baptismum. Homo qui duos habebat filios, Deus est: Duo filij, duo populi, Gentilis & Iudaicus, quorum prior à Deo per naturalem legem iussus est in vinea sua laborare, responderit se nolle, quia ne legem quidem naturæ seruare voluit, postea ductus pœnitentia; in vineam venit, id est, non solum naturalem sed Euangelicam etiam legem receperit atque seruauerit: Contra Iudaicus iussus à Deo in vineam ire, ideſt legem seruare, respondit se iturum esse. Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, postea non iuit, ideſt non fecit quæ in lege præcepta fuerant: ita Orig. Athan. & Chrys. Verum ex conclusione parabolæ, probabile est per duos filios istos significari duplex hominum genus quos habebat Deus Pater; eorum scilicet qui manifesti sunt peccatores, & eorum qui iusti volunt videri: per filium enim primum publicanos & meretrices significauit, qui cum in primis Dei voluntati obedire recusassent, postea pœnitentia ducti ad prædicationem Ioannis voluntati diuinæ obedire cœperunt: Per filium vero alterum qui verbo quidem obedientiam promisit; at facto inobediens fuit, Sacerdotes

dotes Iudæorum Scribas & Phariſæos notauit, qui cum verbo profiterentur promptitudinem obediendi Deo ſemper habentes in ore legem Dei, Dei præcepta per Ioannem prædicata non fecerunt, contemnentes illius Baptiſmum, ac Chriſtum cui ille teſtimoniũ perhibuit agnoſcere recuſantes. Et ſimili duorum filiorum parabola idipſum ſignificauit Luc. 15.

31. *Quis ex duobus fecit voluntatem Patris, dicunt ei primus. Dicit illis Ieſus: Amen dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*] Non quod Sacerdotes quibus cum loquebatur, ſequerentur: ſed quod cum legis Doctores eſſent, præcedere deberent, & non ſolum non præcedent ſed ne ſequentur quidem. Senſus ex Mald. etiam hic eſſe poteſt præcedunt vos, id eſt viam vobis oſtendunt; exemplum vobis præbent.

32. *Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei: Publicani autem, & meretrices crediderunt ei: Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea vt crederetis ei.*] Reſpondet quod Sacerdotes reſpõdere noluerunt & docet Ioannem à Deo miſſum eſſe: ideoque eius baptiſmum eſſe a Deo. *Via iuſtitiæ*, id eſt per modum iuſtitiæ iuſtitiam præ ſe ferens habitu & moribus. Illud eſt quod dixit cap. 11. Vel via iuſtitiæ Chriſtus & Dei præcepta. *Vos videntes* ſcilicet viam iuſtitiæ quam prædicauit: vel publicanos & meretrices credere: arguit Sacerdotes incredulitatis qua nuntio Ioanne non crediderunt, & pertinaciæ qua poſtquam vidiſſent etiam publicanos & meretrices credidiſſe, credere noluerunt.

à 33. ad 40. Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est: Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructus eius: Et agricolæ apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderũt, alium vero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filiũ meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: hic est hæres, venite occidamus eum. Et habebimus hæreditatem eius, & apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.] Lucas dicit parabolam hanc dictam ad plebem, non quod ad plebem potissimum pertineret, sed quod audiente plebe & conuersus ad plebem Dominus eam dixerit. Ista autem parabola & finis intentus satis facilis. Homo qui plantauit vineam, Deus est: vinea est mũdus, vniuersi homines Ecclesia. Per sepem circundatam vineæ, & turrim in ea ædificatam, & torcular in ea effossum significatur Deum omnia huic vineæ prouidisse quæ ei necessaria essent. Per agricolas quibus vinea locata fuit significantur principes populi in rebus spiritualibus &, temporalibus, quibus populum suum excolendum commisit Deus. Locasse autem Deus colonis suam vineam dicitur, quia in ea laborantibus mercedem vitæ æternæ promisit. Per seruos missos vt acciperent à colonis fructus vineæ, Prophetæ significantur, & vnum ceciderunt vt Ieremiam, alium occiderunt vt Isaiam, alium lapidauerũt vt Zachariam. Filius quem ad extremum

tremum Dominus vineæ misit eum esse Christum, ne illi quidem Sacerdotes in quos iactata est parabola ignorare potuerunt. Hæc propriam habent & necessariam significationem; cætera quæ in parabola referuntur, emblemata sunt ex Mald. vt sepes, torcular, turris, Domini peregre abitus; quamuis diuturnã Dei erga Iudæos patientiam significet, vt quod dicitur tempus fructuum appropinquasse, quasi non semper fuerit tempus fructuum, & Deus non semper fructus bonorum operum exegerit, non enim ita est: & quod dicitur *Forte verebuntur filium meum:* vt indicaret non reuerituros esse filium suum.

40. 41. *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi, malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*] Hæc a Sacerdotibus dicta, Christum vero & confirmasse & explicasse, ita vt Sacerdotes intelligerent illum contra se loqui, velleque significare fore, vt Deus illos tanquam malos vinitores disperderet, & vineam suam aliis agricolis locaret, propterea Marcum & Lucam illa Christo tribuisse, tunc Sacerdotes respondisse, absit. Ex Chrys.

42. *Dicit illis Iesus: Numquam legistis in scriptura, lapidem quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*] Quia Sacerdotes dixerant absit: non quidem significare volentes non conuenire, vt mali huiusmodi coloni perderentur, sed illud nequaquam sibi competere: vt sit sensus: Absit hoc à nobis, vt quemadmodum significat, id in nobis eue-

niat: nolebant enim agnoscere se parare necem filio Dei, & proinde nec sibi competere vt cum malis illis colonis perdantur, vinea Domini aliis locata. Probat Christus id euenturum, quia lapis quem ipsi ædificantes reprobauerunt factus est in caput anguli, & qui ceciderit super eum confringetur: super quem autem lapis ceciderit, conteret eum. Dicitur autem Christus lapis respectu Ecclesiæ, quia eius fundamentum est. Et angularis quia est firmissimus totius ædificij lapis. Act.4. Eph.2. Et quia est lapis offensionis multis. 1.Pet.2. Et quia nectit inter se diuersos populos Iudaicum & Gentilem. Ex Hil. *Ædificantes*, sunt Sacerdotes qui ædificabant, idest docebant vel omnes Iudæi qui Christum reiecerant tanquam lapidem inutilem, & diuino non humano consilio vt non credentibus Iudæis, crederēt Gentes. Et hoc mirabile, ne ipse quidem Petrus intellexisset nisi demisso cœlitus linteo. Act.10.

43. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*] Hic parabolæ scopus abolendam scilicet synagogam, & Dei Ecclesiam ad Gentes transferendam vel notitiam scripturarum. Dicitur autem datum alterum regnum Dei, non quod Iudæis regnum hic esse de regno Dei, sed quod Ecclesia nunc præcipue sit Gentium, sicut prius apud Iudæos; præcipue erat Dei Ecclesia, & regnum ad quod Gentes admittebantur quasi proselyti & hospites.

44. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: Super quem vero ceciderit conteret eum.*] Super lapidem cadere est ad Christū tanquam lapi

lapidem offendere. Ideo lapis offensionis dicitur Isa. 8. Vel persequi Christum & nomen eius, quod non solum frustra sed cum proprio item damno homines facturos significatur, non aliter quam si vasa testacea in lapidem caderent, & frangerentur: Beda putat eos qui in Christum credunt, sed tamen peccant & illum offendunt super lapidem cadere, quia puniuntur quidem sed leuius. Super eos vero qui in Christum non credunt lapidem cadere, id est grauius puniri: Chrysostomus cadere super lapidem est in Christum non credere, quod verosimilius vt ad Rom. 9. non credentibus factus est in caput anguli & lapis offensionis & petra scãdali. Lapidem vero super aliquem cadere est Christum illi iratum esse, vel Christum de cœlo ad eum iudicandum & condemnandum venire; quasi dicat Christus miserum quidem esse etiam in hac vita quisquis in se non credit hoc est super lapidẽ cadere, miseriorem futurum in altera vita cum ipse eum condemnauerit, hoc est super eum lapis ceciderit quasi super vasa testacea quæ cõminuentur & conterentur.

45. *Et cum audissent principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.*] Non sicut Deum vt notat Orig.

CAPVT XXII.

Parabola de nuptiis : De censu dando Cæsari.

1. *ET respondens Iesus, dixit iterum in Parabolis eis dicens.*] Dicitur respondisse etsi non præcedat alia quæstio : vel quia respondit eorum prauæ cogitationi de morte sua.

2. *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.*] Idem hac parabola quod superiore significatur, nempe regnũ Dei à Iudæis qui inuitati venire noluerunt auferendum & dandum Gentibus : illa priuatos Iudæorum digne perdendos, hac vero etiam populum & ciuitatem. Ianſenius putat esse aliam ab ea quam Lucas refert cap. 14. Sed videtur esse eadem, & Matthæum aut Lucam ordinem temporis non esse secutum. Et quia Hebræi vsque ad horam nonam prandere non solebant, quod prandium Matth. dixit, cœnam vocat Luc. Scopus parabolæ est. 1. Multos ad regnum cœlorum id est ad Ecclesiam vocari, paucos venire. 2. non omnes qui ad Ecclesiam vocati veniunt saluos fieri, idest dignos esse cœlesti conuiuio, quia aliqui nuptialem vestem non habent : Homo Rex : Deus est propter maiestatem, & magnificentiam. Nuptiarum conuiuiũ est cœlestis gloria : gratię affluentia, verbum Dei. Ex Hil. Filius Regis; Christus; cuius nuptiæ celebratæ sunt, qui sæpe sponsus vocatur vt c. 9. 25. Ioan. 3. Apoc. 19.

Eius

Eius sponsa est cuiusque anima; Ecclesia. Ex Orig. Apoc. 21. Eph. 5. Nuptiæ inter Christum & ecclesiam post resurrectionem celebratæ sunt. Ex Orig. vel cum homo factus est ex Greg. ho. 38. in Euang. Inuitati Iudæi qui post Christi incarnationem vixerunt ex Hil. & qui ante, qui cum ad regnum cœlorum venire nollent Gentiles venerunt. Ex Origen. Serui ad inuitandos Iudæos missi ex Hil. sunt Apostoli, & Prophetæ ex Orig. qui primũ missi & cõtumeliis affecti, & occisi, postea missi Apostoli in plateas & exitus viarum, vt omnes non Iudæos tantum sed etiam Gentiles inuitarent; & quidem per legem naturalem, & per Mosaicam Iudæi inuitati, vt bene & pie viuerent: sic enim fieri solet vt homines ad conuiuium prius inuitentur, deinde cum tempus veniendi est vocentur. Quod Rex dum conuiuium celebraretur ingressus in cœnaculum & discũbentes inspexisse dicatur, significat Deum homines tentare vt appareat quantum quisque virtutis habeat; & an loco quem in Ecclesia tenet dignus sit: Alij Deum ad iudicium venire, & eos qui vestem nuptialem habent retinere, eos qui non habẽt excludere ex Hier. Quid vero vestis nuptialis significet Hilarius spiritum sanctum interpretatur. Ex Luc. 24. Augu. Christi gloriam quam quisquis quęrit nuptialem veste est indutus: quisquis non quærit sed suam in Ecclesia gloriam quærit vestem nuptialem non habet: quia non Christi sed sua ipsius gestat insignia. Melius non certam & insignem quasi eandem aut similem omnes gererent inuitati, sed pretiosiorem & splendidiorem quotidiana, qualem solent homines cum inuitantur ad nuptias in-

duere vt sponsum honorent, & hanc non habebat, qui foras eiectus est; quia temeriariæ impudentiæ fuit ad conuiuium vbi omnes pretiosa veste induti erãt sordidũ & pannosum venire. Ex hoc loco probatur solam fidem ad salutem satis non esse; quãdo ille qui in conuiuio erat, fidem habebat; sed quia vestem nuptialem, id-est charitatem & bona opera non habebat, in tenebras exteriores eiectus est. Cætera quæ in parabola dicuntur emblemata sunt ad ornamentum apposita, vt tauri & altilia occisa omnia parata esse significant. Et quod dicitur alium in villam suam, alium in negotiationem abiisse, significãt ideo inuitatos venire noluisse, quia spiritualibus tẽporalia antepositurũt: & quod additur Regẽ misisse exercitum suum vt homicidas illos perderet, significat Deum de his qui vocati venire noluerunt graues pœnas sumpturum esse: vel Romanorum exercitum sub Tito & Vespasiano qui Iudæos deleuit; Vt per exitus viarum & sæpes significatur Euangelium omni creaturæ prædicandum; sic pauperes debiles & cæci introducti designant nullam esse habendam rationem personarum, sed omnes æqualiter ad Euangelium vocandos. Compelle intrare non significat ad fidem cogendos esse homines, sed adeo rogandos, adeo incitandos vt quodammodo compelli videantur. Denique Mald. adiectitium putat, quod iubetur illi qui vestem nuptialem non habebat manibus & pedibus alligari, quod tantum significat eos qui damnandi sunt ita esse damnandos vt sententiæ executioni resistere non possint. Quid autem sint tenebræ exteriores dictum est c. 8.

14. *Multi*

14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*] Per vnum qui electus dicitur significatur non omnes qui vocati sunt fore saluandos: deinde cum illo qui electus est, coniungendi sunt & omnes illi qui vocati primum fuerant, sed indignos se fecerũt nuptiis S. Aug. l. cont. Donat. ait illum vnum qui electus est omnium reproborum qui multo plures quam electi sunt personam gerere. Deinde voluit docere eos qui venissent siue Iudæi essent siue Gentiles, non debere sibi confidere, propterea quod in conuiuium ingressi essent; posse namque eiici si vestem nuptialem non haberent, hoc vt probaret satis fuit dicere vnum ex discumbentibus quia vestem nuptialẽ nõ habebat electũ esse.

15. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent eum in sermone.*] Cum sua authoritate Dominum perterrefacere non possent, & cum ab eo se per varias parabolas notari aduerterent nec tamen manus illi iniicere auderent, cogitant illum impio sermone illaqueare.

16. *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari an non?*] Herodiani Gentiles erant qui sub Herodis ditione erant; alij sic dictos putant, qui Herodem Antipã Iudæorum Regem pro Christo habuissent vt Theoph. Alij Herodis milites ex Hier. Alij eos ita vocatos qui negabãt tributũ a Iudæis Cæsari soluendũ Act 5. Alij melius qui contendebant Cæsari esse soluendum. Cyrill. Alex. lib. 3. lia. scribit Herodianos

dianos publicanos fuisse qui tributa colligebant. Quæstionem ergo illi proponunt quæ tunc agitabatur vt Christum in inuidiam adducerent: nam si respondisset tributum Cæsari soluendum non esse, læsæ maiestatis arguissent: si soluendum esse dixisset, calumniaturi erant ipsum apud populum tanquam adulantem Principibus, nec esse honoris diuini tam studiosum zelatorem.

18. *Cognita autem Iesus nequitia eorum ait; quid me tentatis hypocritæ.*] Hypocritas vocat tum quod simularent beneuolentiam ipsius tum quod simularent studium cognoscendi iustitiam & veritatem, & placendi Deo.

19. *Ostendite mihi numisma census: at illi obtulerunt ei denarium.*] Denarius numisma erat Romanum, sicut drachma Atticum numisma quinque solidos Gallicos pendit & duos argenti denarios singuli Iudæi Romano Imperatori soluebant, qui Cæsaris imaginem habebant.

20. 21. *Et ait illis Iesus: cuius est imago hæc & superscriptio? dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*] Significans census solutionem, non esse contrariam his quæ debentur Deo. Et vt illos ob auaritiam prætextu tamen pietatis anxios de soluendo censu notaret neglectu pietatis in Deum: non enim admonendi fuerant, si non fuerant negligentes; Deo autem debita sunt primitiæ, decimæ, honor ipsius, reuerentia & dilectio eius super omnia. Cum autem omnia quæ habet homo in bonis vel animæ vel corporis, vel fortunæ, sint ipsius Dei; omnia hæc quodammodo Deo sunt reddenda.

denda. Id autem fit cum omnia Dei dona illi accepta referimus. Ex hac Christi responsione colligit Ianſen. Christianos etiam Ethnicis principibus obsequi debere : dum aliquid petunt ex suis rebus ; in quæ imperium obtinent.

22. *Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.*] Mirantur illum non latuisse suam hypocrisim, & quod tam prudenter responderit, non sunt tamen immutati, sed relicto eo quem vincere non poterant abierunt.

23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum.*] Ipsomet die vel sub idem tempus, c. 3. diximus de Sadducæis: hi non alia ratione mortuorum resurrectionem negabant, & sua quæstione nunc irrident, quam quia naturæ vi videbant fieri non posse. Mirum quam bene conueniant tres sectæ quæ capitales gerebant inimicitias Pharisæi, Herodiani, & Sadducæi ad arguendum & irridendum Christum, vt hodie Luth. Caluin. & Anabapt.

24. 25. 26. 27. 28. *Dicentes Magister Moyses dixit si quis mortuus fuerit non habens filium vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit vxorem fratri suo. similiter secundus & tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est. in resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam.*] Errabant Sadducæi tum quia non putabant fore resurrectionem : tum quia putabant post eam si futura esset, talem fore vitam, qualem modo viuimus. Huius autem duplicis

plicis erroris Christus causam assignat ignorantiam duorum nempe scripturarum & potentiæ diuinæ: iisdem plane duabus de causis errant Caluin.

29. *Respondens autem Iesus ait illis: erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim non nubent neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*] Idest post resurrectionem neque viri vxores ducent, neque fœminæ nupturæ sunt, quasi dicat nullæ nuptiæ futuræ sunt, sicut Angeli nuptias non contrahunt, quia beati sunt immortales, ideoque non indigent nuptiis quæ institutæ sunt ad propagandos homines ex Hier.

31. 32. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum sed viuentium.*] Huius argumenti efficacia est in eo quod non dicat ego fui, aut ego ero, sed ego sum ex Chr. Alij dicunt Deum vocari Deum alicuius esse ab eo cognosci sicut vocatur Deus Eliæ, Deus Danielis, idest quem Daniel & Elias colebant. Hinc ergo colligit Abraham Isaac & Iacob omnino extinctos non esse, quia Deus eorum, Deus vocabatur, ideſt ab illis colebatur. Alij dicunt sensum hunc esse: ego sum qui fœdus percussi cum Abraham Isaac & Iacob de eorũ posteritate propagãda, ideoque seruare volo quia adhuc illi viuunt & quotidie orant vt ipsorum filios à seruitute Ægyptiaca liberẽ. Solent enim fœdera ferri inter viuos, non inter mortuos; & viuis non mortuis seruari. Iam quidem erant mortui Abraham Isaac & Iacob, sed negabat Christus eo modo esse mortuos quo Sadducæi putabant:

putabant: ideſt itaũt eorum animæ eſſent extinctæ: nam eo ſenſu quo nos mortuos ſolemus appellare eos quorum animæ à corporibus ſunt ſeparatæ, Deus non ſolum viuentium ſed etiam mortuorum Dominus dicitur. Clariora teſtimonia Chriſtus non protulit ex Gen. 41. dormiuit cum patribus ſuis: appoſitus eſt ad Patres ſuos, quia voluit oſtendere ſapientiam ſuam in ſcripturarum intelligentia, cum ex conſequẽtia neceſſaria eorum deſtruxit errorem: non protulit ex Prophetis ſed ex Moyſe; quod hunc ſolum Sadducæi reciperent ex Hier. & Orig. in eo ſimiles Caluin. qui reiiciunt libros ex quibus ſuam hæreſim conuinci vident vt Eccleſ. & Machab.

33. 34. *Et audientes turba mirabantur in doctrina eius, Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis conuenerunt in vnũ.*] Quamquam gauderent Sadducæi contrariæ ſectæ & doctrinæ hominibus os occluſum eſſe; tamen inuidia quadam concitati conuenientes in vnum conſultauerunt inter ſeſe de quadam quęſtione etiam à ſe, Domino proponenda, vt minueretur apud populum admiratio: & ipſi cõſequerentur honorem, quod quẽ Sadducæi ſuperare non poterãt ipſi ſuperaſſent, & ne viderentur non habere quod interrogarent.

35. *Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum.*] Quamuis Phariſæorum & Scribarum diuerſa eſſent officia, tamen aliquando eundem & Phariſæum & ſcribam fuiſſe patet ex ver. 34.

36. 37. 38. *Magister quod est mandatum magnum in lege? ait illi Iesus: diliges Dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua?*

tua : hoc est maximum & primum mandatum.] Apud Marcum quasi proëmij loco præmittitur audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est, eo quod Dei intentionem præcedere debeat recta de Deo opinio & fides, vt scilicet vnus credatur &nõ multiplex; ideo in vno illo omnẽ fiduciam collocãdam esse; & quia super omnia est constitutus, super omnia etiam est diligendus; & quia vnus est, ex toto corde diligendus est; qui diuiso corde esset diligendus si in multos Deos esset diuisus. Siue legatur in vel ex, non est diuersitas in sententia, significat enim vt diligamus quãtum possumus, & omnia quæ habemus, illi referamus. Ex August. l 1. de Doct. Christ. c. 22. Caluin. hinc ait Deum impossibilia præcepisse, & tamen legis infractores pœna æterna punire quod Deo facit iniuriam.

39. *Secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum sicut teipsum.*] Idest vt proximo optes quicquid tibi optas, & eũ propter Deum sicut teipsum & eo affectu, quo teipsum diligas. Quis autem sit proximus explicat Luc. 10. ex Aug. l. de vera relig c. 46.

40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*] Quia in illis omnia legis & Prophetarum præcepta continentur. Et ex eis eliciuntur & ad ea ordinantur : plenitudo enim legis est dilectio Rom. 13. & finis præcepti est charitas. 1. Tim. 1. quia in priore mandato comprehenduntur summatim ea præcepta quibus erga Deum instituuntur homines. In secundo vero quæcumque erga proximum, & quia vnum sine altero seruari non potest, imo alterum in altero includitur ex Aug. lib. 8. de Trinit. c. 7.

41. 42.

41. 42. *Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens: quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?*] Mar. & Luc. non dicunt Christum Pharisæos interrogasse sed concionantem dixisse; Quomodo dicunt scribæ Christum esse filium Dauid? sed nihil interest. Nam Matth. posuit interrogationem & obiectionem: alij Euangelistæ solam obiectionem.

43. *Dicunt ei Dauid. Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens.*] Cum Dei Spiritu plenus, non suo qui falli potest loqueretur, quoniam purum hominem Christum esse putabant, subuertit eorum opinionem, & docet veritatem per Dauid Prophetam diuinitatem suam prædicans: dicentibus enim Pharisæis filius est Dauid, hoc est homo purus, dicit quomodo igitur Dauid Dominum nominat; non negans autem filium esse Dauid hoc dicendo demonstrat quod non sit purus homo ex Dauidico semine descendens, sed plusquam filius Dauid; idest filius Dei: ideoque Dauid Dominum appellat. Hæc autem interrogat Dominus, vt si dicant se nescire, interrogent eum, & discant; vel si dicant veritatem, credant, vel si nihil possint dicere confundantur & secedant non audentes eum vltra interrogare, ex Theoph.

44. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*] Iudæi contendunt hunc Psalmum non esse de Messia intelligendum, sed de Ezechia, quia is sederit ad dextram templi & eius hostes Deus fugauerit: vel de Abraham in persona Eleezer serui eius. Alij intelligunt dictum de Dauide in persona populi Israelitici, qui

qui Dauidem appellauit Dominum suum: sunt & qui Dauidem ipsum intelligunt hic Dominum suum appellare Saulem. Verum hos refellit silentium Scribarum & Pharisæorum non habentium quod responderent, & totius Psalmi contextus dicitur enim: *Tu es sacerdos in æternum, &c.* Quod nemini præterquam Messiæ competere potest.

45. 46. *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*] Nota venena inuidiæ superari posse sed difficile conquiescere. Confutati sunt verbis, sed apprehensum tradunt Romanæ potestati.

CAPVT XXIII.

Execratur Pharisæorum hypocrisim.

1. *Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos.*] Vt confusio Scribarum & & Pharisæorum manifesta facta est: reliquum erat vt alij admonerentur ne illorum prauis moribus corrumperentur; monet autem discipulos minus familiares & minus instructos, nam Apostolos & eos qui ipsum semper comitabantur non erat opus monere.

2. *Dicens: super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi.*] Quidam intelligunt sedem antiquam constitutam in singulis synagogis ad hoc vt ex ea in Sabbathis lex Moysi populo explanaretur. At mos non erat vt qui scripturam legebat in suggestum ascenderet sed vt 2. Esdr.

Esdr. 8. surgeret, & stans loqueretur. Luc. 4. 1. Cor. 14. Per Cathedram ergo Moysi doctrina intelligenda est, quod qui docet in cathedra sedere soleat, ex Hier. seu authoritas docendi & iubendi quæ ad cultum Dei pertinent quam obtinuit Moyses.

3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.*] Hac illatione duo significat. 1. Obedientiam deberi his qui ex authoritate docent & iubent, non habito respectu vitæ ipsorum sed authoritatis & propter Deum cuius sunt legati. 2. Non esse illis obediendum, si quid male præcipiant, aut doceant; Si est illis obediendum quoniam in cathedra Moysi sedent, non est ergo obediendum quando contra eandem Cathedram aliquid vel docent vel præcipiunt: ac si diceret Omnia quæ lex & Moyses vobis dixerint Pharisæis & scribis recitantibus seruate & facite, ex Hil. & Hier.

4. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.*] Non ceremonias legis intelligit, quas nondum Christus abrogauerat, sed proprias scribarum & Pharisæorum traditiones aut leges scripturæ contrarias, in quibus non dispensabant: cum in Dei lege sæpe dispensarent, & suo exemplo ad onera ferenda non incitabant.

5. *Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim Phylacteria sua & magnificant fimbrias.*] Quasi dicat qui in fimbrijs & Phylacterijs gloriam captant, quid in rebus maioribus vt eleemosynis, ieiunijs & oratione

oratione facturi sunt. Occasio phylacteriorum fuit quod Deut. 6. adhortans ad perpetuam præceptorum recordationem tandem intulit Moses: *Et ligabis ea quasi in signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos*; hoc nimis literaliter intelligentes Iudæi scribebant in membranis verba illa: *Audi Israel, &c.* Aut secundum Hier. ipsum decalogum Mosi, membranasque has partim ligabant in brachijs, partim in fronte quasi coronam capiti facientes, vt semper ante oculos mouerentur. quem morem vsque ad suum vsque tempus Iudæis per Indiam, Persiam & Babyloniam seruatum testatur Hier. eúmque qui hoc habuisset iudicatum religiosum. Membranæ autem sic depictæ Græce Phylacteria dicebantur, ideſt custoditoria vel conseruatoria quod adhiberentur ad sui ipsius & legis diuinæ custodiam, cum Deus nihil aliud exigeret quam vt præceptorum suorum non obliuiscerentur. Has autem membranas vt præ alijs viderentur religiosiores & in mandatis Dei recogitandis & faciendis diligentiores, Scribæ & Pharisæi latiores gestabant. vnde dixit: *dilatant phylacteria sua.* Eadem de causa & fimbrias magnificabant: præceperat enim Dominus Deut. 22. vt Iudæi in quatuor angulis palliorum suorum facerent fimbrias hyacinthinas ad discretionem populi Israelitici, & vt admonerentur discretam à Gentibus debere esse eorum conuersationem & plane cœlestem Num. 15. Fimbriæ autem vocabantur fila quædam non texta quæ ex infima ora vestis dependebant. Has ergo Scribæ & Pharisæi qui sanctiores reliquo populo videri volebant, faciebant grandiores & acutissimas

spinas

spinas in eis ligabant vt ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione ad officia Domini traherentur ex Hier.

6. *ad 13. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes, in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. & Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in cœlis est; Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum erit minister vester: Qui autem se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur.*] Ostendit 3. eorum inanis gloriæ appetitum in externa cũ hominibus conuersatione, vt honore isto quem amabant in synagogis, in cœnis, in foro afficerentur. Prohibet ex eo Apostolis ne ipsi accipiant vel alijs deferant honorem qui principaliter Deo debetur.

13. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorũ ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*] Octies væ illis intentat semel & eodem tempore. 1. væ quia suadebant hominibus neminem nisi ipsis aperientibus, ideſt docẽtibus intrare posse, quo sensu omnes quas volebant traditiones quasi onera grauia populo imponebant. ex Chrys.

14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium.*] 2. Væ quia facultates viduarum deuorarent, earum domos consolationis causa frequentantes, ab eis pro officij dignitate excipiebantur conuiuijs: Vel quia sanctitatem simulantes viduæ

ad

ad eos veniebant & precibus illorum se commendabant, & eorum orationes pretio emebant: vnde subdit *longas orationes orantes*, vt mulierc ularum facultates captarent, ex Chry. accepturi duplo maiorem condemnationem, quia bis peccarent & dum viduarum facultates dilapidabant, & dum sanctitatis simulatione faciebant ex Chrys.

15. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum; & cum factus fuerit facitis eum filium Gehennæ duplo quam vos.*] 3. Væ quia cum multa diligentia terra marique quærerent vndique ex Gentibus aduenam, qui ab idololatria conuersus Iudaicam amplectatur religionem vt populum augere viderentur, & sua sanctitate & doctrina gubernare; vel vt aucto numero Iudæorum, numerus sacrificiorum & lucri accresceret. Ex Auth. Imp. vt facerent filium gehennæ, ideſt, dignum gehenna, vt filius mortis dicitur dignus morte. Duplo quam vos; quasi dicat vos quidem duplici cõdemnatione & supplicio digni estis, illum autem plusquam duplici dignum facitis: quia grauius peccat nõ credens in Christum relicta iam idololatria quam si numquam reliquisset ait Aut. Imp. Vel quia vitia potius quam virtutes imitabitur: & in rebus malis Magister à discipulo superatur. Vel quia Pharisæi conabantur eum quem ab idololatria reuocauerant peiorem facere quam se ex Chrys.

16. *Væ vobis duces cæci qui dicitis quicumque iurauerit per templum nihil est; qui autem iurauerit in auro templi debitor est.*] 4 Væ dicit ob præpostera & erroneam eorum traditionem. Duces autem

autem vocat aut propter officium, aut ex eorum opinione qui se aliorum duces profitebantur. *nihil est*, id est non est reus, non obligatur vi huius iuramenti vel voti: Huius traditionis & erroris motiuum hoc fuisse videtur quod cum præceptum esset vt iurarent in nomine Domini, putarent iuramēta per creaturas facta nullam inducere obligationem. Adeout nec ea quæ per Hierusalem, per templum, aut per altare fierent: Obligare tamen ea quæ fierēt per oblata Deo siue in Gazophylaciū tēpli, siue super altare, quod hæc immediate Dei essent & singulari ratione diuina essēt magis quā templū & altare, quę tantū propter oblationes Deo faciendas consecrata erant. Hinc est si quis in contentione vel in aliquo iurgio vel in causæ ambiguo iurasset in templo, & postea conuictus esset mendacij non tenebatur criminis reus: si autem iurasset in auro & pecunia quæ in tēplo sacerdotibus offerebatur, statim id in quo iurauerat cogebatur exsoluere: ita auaritiam eius traditionis originem fuisse putant Theoph. & D. Thom.

17. *Stulti & cæci, quid enim maius est aurum an templum, quod sanctificat aurum?*] Nam aurum quod in templo est non est sanctum, nisi quia templum sanctum est, templū igitur magis sanctū est: & rursum *stulti & cæci* apud Græcos repetitur Quid enim maius est donum an altare quod sanctificat donum, si quidem sacrificium aliquod cum ex sese sit prophanum, ideo sit sanctum quia in altari ex sui institutione cultui diuino consecrato offertur.

18. 19. 20. 21. 22. *Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: Quicumque autem iurauerit in*

in dono, quod est super illud, debet. Caci: quid enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum. Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ sunt super illud: & quicumque iurauerit in templo iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cœlo iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.] Quasi dicat cum vt ostensum est sanctius sit & templum & altare ipso auro templi & sacrificijs altaris, ergo non hoc dicendum est quod vos dicitis, sed contra potius: ac proinde æque aut etiam magis est obligatorium iuramentum per altare; quam donum altaris &c. & qui iurat in cœlo. vide c. 5.

23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis iudicium, misericordiam, & fidem, hæc oportuit facere & illa non omittere.*] Quatuor væ sequentia, quorum duobus prioribus præposteram eorum in seruandis mandatis Dei vel hominum diligentiam coarguit: duobus vero posterioribus eorum hypocrisim; vt quod reliquerunt *iudicium* quo vnicuique ius suum redditur, erant enim Scribæ & Pharisæi in multis causis Iudæorum iudices; & *misericordiam* ideſt charitatem in proximum, quam Deus præfert omnibus ex Luca. Ose. 6. & *fidem*, humanam qua inter homines pacta seruantur quæ dictorum factorumque constantia est; non diuinam qua in Deum credimus.

24. *Duces caci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immundicia. Pharisæe cæce munda prius quod intus*

datus est calicis & paropsidis vt fiat & quod deforis est mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.] Adagium est quo significatur eos in minimis esse diligentes, & studiosos, in maximis negligentes, & facere ac si cum in poculum incidisset minimum animal, non prius ex illo bibere vellent quam colando potus esset mundatus: cum interim magnum aliquod animal simul cum vino deglutirent. Hoc est magna cum diligentia cauisse ne in paruis cõscientia eorum inquinaretur, quibus nihil aut parum inquinari poterat; cũ interim de grauioribus conscientia non vrgeret. Calicem erga & paropsidem seu patinam qua cibus sumitur vocat ipsum hominem; quę extra calicem & paropsidem sunt, sordes corporis, quæ sunt intra sordes animæ significans eos de corpore abluendo nimis esse solicitos, de abluendis animæ sordibus negligentes.

29. 30. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum.*] Eosdem iustos & Prophetas vocat: Ædificare autem dicit prophetarum sepulchra, cum vetustate collapsa erant. Ex hoc loco patet Prophetarum & iustorum sepulchra in honore apud Iudæos habita fuisse. Quod autem ea collapsa redintegrarent Scribæ & Pharisæi non vituperio sed

laude dignum est. Nec propterea Christus reprehendit sed quia cum eorum ædificarent sepulchra maiora, ipsi patrarent homicidia quam qui prophetas illos quorum sepulchra ædificabant, occiderunt. Ex Chrys.

31. *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt.*] Itaque cum Prophetarum occisores patres vestros vocatis, Lucas habet: Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt vos autem ædificatis eorum sepulchra, videtur Christus vtrumque dixisse. At quomodo bene concludat Christus eos testificari se operibus patrum consentire. Respondeo non tam velle hoc concludendo quam retorquendo facere. Qui enim Prophetarum sepulchra ædificabāt, videri poterant aut idcirco facere vt eos honorarent aut vt magis aliquomodo occiderēt, id est eorum memoriam vna cum corporibus sepelirent, vt solent latrones quos occiderunt non humanitate sed alio homicidij genere ne reperiantur sepelire.

32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*] Quasi dicat proinde cum sitis eorum filij, filios autem decet esse parentibus similes, imitamini mores eorum, quod deest malitiæ ipsorum, & peccatis vos superaddite vt completa sit malitia patrum vestrorum. Quod non dicit præceptiuè sed prænuntiatiuè, hoc omnino ita futurum, significans ab eis per occisionem sui & Apostolorum suorum vt Ioan. 3. dixit Iudæ *quod facis fac citius*, facilius dixeris esse concessionem, vt notat Chrysost.

33. *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?*] Quasi dicat cum viperarum filij sitis, quid potestis esse nisi viperæ? Non enim solent filij parentibus esse meliores sed sæpe peiores. Quomodo potestis salui esse cum viperę sitis, non quod fieri non possit sed quod raro tales pœnitentiam agant.

34. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris: & persequemini de ciuitate in ciuitatem.*] Apostolos suos & Scribas & Prophetas vocat accommodate Iudæorum consuetudini, qui legis Doctores scribas vocabant. vt 1. Cor. 1. *Ideo* non significat causam cur Prophetas & sapientes & scribas missurus sit sed cur eos essent occisuri, quia scilicet serpentes erant, serpentum autem & viperarum proprium est homines occidere. Apostoli reuelatione futurorum, Prophetæ, Christi agnitione sapientes, legis intelligentia Scribæ. Ex Hil.

35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occidistis inter templum & altare.*] Quasi dicat pœnas luetis ob omnium prophetarum mortem: quicumque vmquam a Iudæis occisi fuerunt. Abel autem inter Prophetas numerat, quia sua morte prædixit Christi sacrificium quem Cain occidit, & quamuis non fuit Iudæorum pater natura, fuit tamen imitatione. Zacharias autem de quo hic loquitur non fuit Ioannis Baptistæ pater, nec ille qui ex duodecim Prophetis vnus est, sed ille Zacharias Ioiadæ Sacerdotis filius qué ex sacra scriptura constat vltimũ fuisse occisum.

Quæres quo modo Christus minetur omnium prophetarum veterum sanguinem super Scribas & Pharisæos venturum esse cum ipsi eos non occidissent: Et non debeat filius iniquitatem patris portare? Respondetur in Republica quæ maiores fecerunt posteris tribui vt de Amalechitis Exod. 17. Alij dicunt sæpe filios pro patribus pœnas dare, cum eorum mores imitantur, vt Exod. 20. Alij filios etiam cum patrum suorum peccata sequuntur, pro illo non puniri, sed propterea dici pro illis puniri, quia cum eorum exemplo non resipuerint, maiores pœnas luunt. Ex Chrysostom: Dicendum hoc loco Christum humano & vulgari more loqui voluisse: neque aliud significauisse quam Scribas & Pharisæos tam graues pro suis homicidiis pœnas daturos esse vt patrum etiam suorum homicidia portare videantur; non quod portent, sed quod seuerius puniantur nullamque mereantur misericordiam: sic dicimus eum qui multa homicidia fecit ob vnum deprehensum & suspensum omnia simul exoluisse.

36. *Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam.*] Concludit cum affirmatione repetita, *Amen*, ne quis putaret inanem fuisse comminationem.

37. 38. *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*] Significat Deum ad meliorem mentem vocasse, & venire noluisse vt cap. 22. & Prouerb. 1: Vocaui & renuistis, & Isa. 6. 8. & 66. Ie

66. Ierem. 7. Et propinquum tempus indicat Ecce. Per domum vrbem vel templum intelligit.

39. *Dico enim vobis quia non me videbitis amodo: donec dicatis benedictus qui venit in nomine Domini.*] Causam refert cur deserenda esset eorum domus, quia ipse à quo tanquam a veritate figura implebatur paulo post erat ex hoc mundo discessurus. Itaque sicut domus habitatoribus vacuæ ruere solent, sic templum eo descendente diruendum erat. Et significat secundum aduentum in quo Iudæi dicturi sunt *Benedictus* &c. quia sub finem mundi multi credituri sunt. Vel quia inuiti dicturi sunt, vel quia animo non ore dicent. vt si Rex alicui se pro Rege non agnoscenti diceret: Ego te suspendam. Et tunc dices me esse Regem; non enim significat eum verbis dicturum sed reipsa expertutum esse, vt Zacha. 12. & Ioann. 19. *Amodo* non punctum temporis sed passionis significat; & licet ab Apostolis & Iudæis post Resurrectionem visus sit, non ab iis tamen de quibus hic loquitur visus est. Ex Chrysostom.

CAPVT XXIV.

Mala præcurrentia mundi consummationem.

1. *ET egressus Iesus de templo ibat, & accesserunt discipuli eius vt ostenderent illi ædificationes Templi.*] Cum egrederetur de templo Mar. 13. vnum tantum accessisse dicit, sed vnum pro omnibus, vt cap. 26. per syllepsim & cap. 27. & Ioan. 12. & Luc. 23. moti fortasse verbis quæ audierant: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* aut admiratione quasi fieri non posset vt tantum & tale templum vastaretur, aut commiseratione, quasi ferendum non esset, tam admirandum templum vastari vt Christum flecterent ad commiserationem. Ex Orig.

2. *Ipse autem respondens ait illis: Videtis hæc omnia, amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*] Quod etsi per exaggerationem dictum videri possit, tamen diuina prouidentia non est passa vt existimare quisquam possit Christum vel in vno lapide per hyperbolem fuisse mentitum.

3. *Sedente autem eo super montem Oliueti accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi.*] Hoc quarto die posteaquam cum ramis & acclamationibus in vrbem ingressus accidit: nam eodem die

die in Bethaniam secessit ; secundo autem ex Bethania rediens sicut maledixit : tertio vero die cum iterum ex Bethania reuerteretur discipuli arefactam viderunt ficum. Eodem autem die tertio ex Hierusalem in Bethaniam de more rediit vt ibi noctem ageret ex Luca 21. Itaque die quarto Bethaniæ fuit & quia nullus Euangelista narrat eum ante diem quintum Hierusalem reuertisse: Et quia Matth. 26. scribit eum fuisse in domo Simonis leprosi duobus diebus ante Pascha, Bethania autem erat ad radicem montis Oliuarum. Quare credibile putat Mald. Christum cum in montem qui paulo plus mille passibus ab vrbe distabat, ascendisset, ex eo vrbem ac templum contemplatum esse, & aliquid de futura eius calamitate prædixisse : quod occasionem discipulis præbuerit eum interrogandi : *Die nobis quando hæc erunt*, colligitur ex Mar. 13. de eo aliquid dixisse. Vel omnes in genere, vel Petrus Iacobus Ioannes & Andreas, venerunt peculiariter & interrogauerunt seperatim, id est seorsum vt Mar. ait siue secreto ab aliis discipulis, itaut soli illi quatuor omnium nomine interrogarint vt pote primores, & maiorem habentes fiduciam apud Christum, vel quia existimabant Christum facilius sibi solis quam omnibus discipulis in commune dicturum esse rem secretam : erat enim periculosum loqui de templi excidio. Act. 6. Quid autem eos mouerit credibile est naturali studio res futuras addiscendi adductos, vel potius desiderio fruendi Christo in regno cœlorum de fine mundi interrogasse ; quia nimium illis tardare videbatur. Ex Auct. Imp. Petunt quando

ea mala quæ prædixit templo & vrbi euentura sint, & quod signum præcessurum aduentum suum & mundi consummationem. Ex Hil. & Hier.

4. 5. *Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent.*] Idest nomen meum præ se ferentes. Beda putat Christum tam de excidio Hierosolymitano quam de aduentu suo & mundi fine respondisse: sicut confuse Apostoli interrogauerunt, & consulto fecisse ne quis posset mundi finem dignoscere; existimantes hæc esse coniuncta noluisse eos ab hoc errore reuocare, ne post templi euersionem in longum expectationem protendentes securi essent. Hæc ergo quæ nunc dicit ad vtrumque videntur pertinere: nam & ante excidium Hierosolymitanum multi pseudochristi extiterunt vt Theodas Act. 5. & Simon Magus Act. 8. & ante finem mundi multi futuri sunt, vt in Apoc. testatur Ioannes. ex Hier.

6. *Audituri enim estis prælia & opiniones prælio rum; videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.*] Græca non habent, *enim*, sed *autē*: non enim hic declarantur prædicta, sed ad aliorum malorum prædictionem est transitus. Ex Orig. *Oportet* hæc fieri posita hominum malitia, posito Dei decreto quo constituit punire Iudæos. Hæc de bellis Iudaicis quæ excidium præcesserunt sunt intelligenda ex Hil. Vel de bellis Antichristi quæ ante finem mundi futura sunt. Ex Hier. sed *nondum est finis*: Hierusalem. Ex Eutym. vel mundi. Ex Hier.

7. Con

7. *Consurget enim Gens in Gentem, & regnum in regnum.*] Hæc de tempore Hierosolymitani excidij ex Chrys. & de tempore Antichristi intelligi possunt ex Aug. Ioseph. lib. 20. antiq. c 7. & de bello Iud. c. 11. consulendus & Egesip. l. 1. c. 11.

Et erunt pestilentia & fames; & terræ motus per loca.] De pestilentiis & terræ motibus nihil peculiare memorat Iosephus; de terriculamentis & signis magnis multa refert lib. 7. de bello Iud. c. 2. Per annum enim ante obsidionem sidus supra vrbem visum est simile gladio; nona hora nocturna lucem diei superans in templo effulsit, & per dimidiam horam duravit. Porta templi ærea vltro aperta est: in aere visi commissi exercitus; auditum est in templo: *Migremus hinc.* Audita est querulatio monstrifica Iesu Anani per annos septem menses quatuor clamantis veh veh Hierosolymis. De fame Act. 11. & Ioseph.

8. *Hæc autem initia sunt dolorum.*] Ideſt parua si cum futuris malis comparentur, est metaphora à muliere parturiente vt Ps. 47. Isa. 13. Ierem. 4. Ezech. 30.

9. 10. 11. 12. 13. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, & tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent: & odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*] Sensus est tanta futura est in Christi discipulos sæuitia, vt qui aliquam alioqui charitatem habebant, qua eos excipiebant, exercere non au-

deant, ne & ipsi Christiani esse videantur, 2. ad Tim. 4.

14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.*] Hæc non ad templi & vrbis vastationem sed ad finem mundi spectant ex Hieronym. quia dicitur prius Euangelium in vniuerso orbe terrarum prædicandum, quod ante vrbis excidium factum non est; nec fieri potuit. Verum D. Paulus ad Rom. 1. & 10. ait *in omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. per hyperbolem, quia in plerisque locis prædicatum erat; eodémque modo Christus hic locutus est; nam quando Hierosolyma deuastata est, omnis pene regio quæ ad illud vsque tempus reperta fuerat Euangelij sonum audierat. Notandum particulam *&*, habere magnam emphasim: quasi dicat quamuis hæc omnia euentura sint, tamen Euangelium disseminabitur per totum orbem. Vel potius quamuis calamitates illæ quas Christus proposuerat euenerint tempore excidij Hierosolymitani, tamen non ideo putandum est instare finem mundi: nam necesse est vt prius prædicetur Euangelium toto orbe terrarum *in testimonium*, ideſt ne quis ignorantiam prætexat quominus saluus sit, & vt ij qui non recepissent Euangelium aut qui receptum nõ seruassent testimonio essent, in extremo iudicio quo conuincentur ex Hieron. & *tunc veniet consummatio*, ideſt vastatio vel consummatio mundi: nam discipuli interrogauerunt quod signum esset consummationis: respondet Euangelium prædicandum per totum orbem, & tunc futuram consummatio

summationem seculi: an autem simul atque prædicatum fuerit futura sit, incertum est. Alij vastationem Hierosolymitanam intelligunt vt Chrys.

15. *Cum ergo videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat.*] Sunt qui hæc referunt ad finem mundi tempore Antichristi: & per abominationem desolationis ipsum Antichristum intelligunt in templo sessurum quasi Deus sit vt Irenæus: sed videntur saltem secundum sensum primo à Christo intentum ad tempus vastationis Hierosolymitanæ referenda. Nam Lucas habet *cum autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem tunc scitote quia appropinquat desolatio eius.* Et per abominationem desolationis significatur statua illa quæ in templo fuit posita, quod Iudæi vehementer abominabantur. Ita Chrysost. quod videtur significare id quod adiicitur *stantem in loco sancto* & 1. Machab. 11. vel Romanorum exercitus qui obsedit Hierosolymam ex Luca; vel seditio illa quæ sub Floro zelotis auctoribus excitata est, itaut zelotæ in templum se receperint & illud contaminauerint Ioseph. lib. 6. de bello Iud. cap. 1. Vel abominatio desolationis vocatur ipsa desolatio, id est abominabilis & horrenda desolatio. Hebraismo, qua visa intelligeretur Danielis Prophetia esse impleta, sublatum sacrificium, actúmque prorsus de populo Iudaico, & abrogata penitus lex, itaut non amplius instaurentur vrbs, templum aut sacrificia vt prædixit Daniel.

16. 17. 18. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant*

ad montes : & qui in tecto , non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam.] Tunc scilicet cum videritis abominationem desolationis : vel omnia prædicta prælia, opiniones præliorum, &c. loquitur cum discipulis, & piis hominibus quos vult sicut Loth de Sodomorum Gen. 19. ita de Hierosolymæ vastatione fugere ad montes more fugientium qui ad loca inaccessa se recipiunt. Cætera significant nullam moram fugiendi faciendam esse nec retro respiciendum.

19. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.*] Quia tanta futura est strages sæuientium, vt prægnantibus, & nutrientibus non parcant ex Theop. Vel quia nutrientes mulieres filios suos edere cogentur. Vel quia illæ vteri, illæ lactentium infantium onere grauatæ fugere non poterunt. ex Hilar. & Chry. Vel quia præ deliciis & securitate qua nuptiis & deliciis operam dant moram fugæ facient.

20.21.22. *Orate autem vt non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.*] Quia hyems lutosa, & pluuiosa, & Sabbatum quia non amplius quam mille aut bis mille passus procedere Iudæis licitum erat : non quia tunc teneantur non fugere, sed quia superstitionē suam obseruantes, mortem effugere non poterunt. ex Aug. l. 1. q. Euang. ca. 37. Hieron. & Chrysost. Et ne electi tunc desperent *abbreuiabuntur* dies non mensura

sura sed numero, ne temporum mora concutiatur credentium fides ex Hier.

23. *Tunc si quis vobis dixerit : ecce hic est Christus aut illic, nolite credere*] Tunc significat tempus quod inter vastationem Hierusalem & finem mundi interiacet. Ex Chrysost. Transit ergo Christus à fine & excidio Iudæorum ad finem mundi : fuit enim illa vastatio quasi typus vastationis ac finis seculi. Et docet se promissum Messiam iam venisse, nec alium expectandum, propterea si quis vobis dixerit de alio quouis qui post se venerit séque Christum esse mentiatur credendum non esse: non enim est nisi vnus Christus, qui iam venit. sicque non est quod Caluin. nos calumnientur quod dicamus: ecce hic est Christus in Eucharistia. Ecce hic est in altari, ecce hic in custodia, ideſt in penetralibus; nam loquitur de homine qui oculis videatur, qui digito demonstretur, qui mira faciat, aliquos huiusmodi iam venisse testatur Eus. l. 4 hist. Eccl. ca. 6. & multos venturos prædixit Ioannes Apocal. & multos quotidie venire experimur, quales sunt Ariani, Donat. Caluin. &c. de his monet *nolite credere.*

24. *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia; itaut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.*] Miracula an vera sint diximus cap. 7. indicat fieri non posse vt his signis electi in errorem inducantur posita diuina prædestinatione : quæ ex hoc loco stabilitur à Theologis ; possunt quidem induci, non in errore mori.

25. 26. *Ecce prædixi vobis : si ergo dixerint vobis : ecce in deserto est, nolite exire ; ecce in penetralibus*

tralibus, nolite credere.] Duo loca longe distantia posuit, desertum & domus penetralia, vt significet, quocumque habitu quocumque loco alius Christus veniret, credendum illi non esse. stultum est in paruo loco, vel in abscondito eum quærere qui totius mundi lumen est.

27. *Sicut enim fulgur exit ab oriente & paret vsque in occidentem: ita erit aduentus filij hominis.*] Quasi dicat vt fulgur subito & inexpectato emicat, nec quisquam potest obseruare, quo puncto temporis è nube erumpat, sic ipse subito, & insperato veniet. Et sicut fulgur vno momento ab oriente vsque ad occidentem elucet, sic ipse veniet adeo splendidus vt nemo eum non videat. *Ita* inquit *erit & aduentus filij hominis.*

28. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*] Christus seipsum comparat cadaueri, & significat fore vt cum venerit, latere non possit: sicut cadauer aquilam non latet; sed sagacissimo suo olfactu vbicumque fuerit, naturali sensu illud inuenit. Beatos autem confert aquilæ qui Christum sequuntur, quocumque ierit, & cum eo ad iudicium venturi sunt ex Iren. Vel eos sanctos qui cum Christus venerit viui reperientur: vel Angelos & sanctos martyres quibus Christus comitatus veniet. Ex Hilar. Vel melius omnes homines qui ad locum vbi Christus venerit vt iudicentur conuolabunt sicut aquilæ ad cadauera quem visuri sunt velint noluit.

29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes*

virtutes cœlorum mouebuntur.] Tanta futura est fumi copia ex mundi incendio vt sol verè obscuretur ex Origen. vel præ gloria & splendore Christi aduenientis vt stellæ sole lucente obscurantur. Ex Hilar. & Chrysost. vel obiectu nubis: Verum non opinione hominum aut vllius rei oppositu sed verè obscurabitur, vt in eius morte, quia Christus aliquid magnum & nunquam ante visum dicere voluit: alia autem ratione obscurari parum videtur esse: sic autem contremiscent stellæ & metu splendorem retrahent, sicut homines metu perculsi tabescunt, & sanguinem trahunt intrinsecus, sic Christo patiente sol obscuratus est quasi moriente Deo exhorresceret ait Auct. Imp. Sunt qui stellas reipsa non casuras dicunt sed lumen amissuras. Alij casuras eo modo, quo solem obscurandum putant, quia Christi splendore non lucebunt. Alij non veras stellas sed dæmones quibus aër plenus est casuros: alij crinitas stellas quæ in aëre conflantur, casuras. Alij quia non lucebunt fore vt cadere videantur. Chrysostomus verè casuras putat, & magis Christo id affirmanti quam Philosopho neganti credendum est. Per *virtutes cœlorum* quidam stellas intelligunt quæ militia cœli vocantur. Alij Angelos, quasi attonitos, vt Origen. & Chrysostom. Alij cardines cœli Iob 22. & cardines terræ 1. Reg. 2. Et cardines maris Iob 36. qua metaphora robur & firmamentum tantum significatur. Docet ergo Christus cardines ipsos & quasi fundamenta cœli commouenda esse præ timore.

30. *Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo,*

cœlo, & tunc plangent omnes tribus terra, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate.] Signum est virtus & gloria quam Christus sibi in cruce acquisiuit ex Origen. Vel passionis signa vt flagellorum vibices, clauorum cicatrices. Vel melius crux ipsa quæ in cœlo vel in aere Christo veniente quasi eius vexillum apparitura, ex Chrysost. & Hieron. *& tunc* omne genus infidelium vel ex omnibus aliqui: boni enim lætabuntur, quia diligunt aduentum eius, mali tundent pectora sua, sed nimis sero ob ignorantiam suam, & peccata ex Orig. & describit seipsum Christus tanquam Deum cuius proprium cum maiestate, gloria, & terrore venire Psalm. 49. vt nube euectus, sic veniet Act 4.

31. *Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.*] Tuba regiæ maiestatis, canitur enim tubis ante Reges: non vera sed potius metaphorica: & per vocem idem quod per tubam voluit significare Ioh. 1. Ipsius Christi vocem futuram esse designat & Ioel. 2. Et Apoc. 8. Angelos tuba canentes inducit. 1. ad Thes. 4. vox Archangeli futura dicitur. Credibile est Christum magna voce locuturum vt suos mittat & Angelos & Archangelos & omnes cœlestes Spiritus in tubæ similitudinem clamaturos, & ad commouendum vt Num. 10. & ad terrendum vt fit in bello Isa. 18. Soph. 1. Zacha. 9. à quatuor mundi partibus.

32. 33. *Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata:*

nata: scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia scitote quia prope est in ianuis.] Hæc quæ supra dixi, ne putetis iam esse consummationem Mundi, sed præcursiones quasdam quæ ostendunt quod prope sit in ianuis, ante pedes.

34. *Amen dico vobis non præteribit generatio hæc donec omnia hæc fiant.*] Quasi dicat antequam ætas illa hominũ qui tunc viuebãt præteriret futuram illam vastationem. Alij melius generationem fidelium interpretantur, quasi dicat etsi tam multæ huiusmodi calamitates venturæ sint, tamen Ecclesiam vsque ad finem Mundi non perituram ex Chrys. Hieronymus generationem omnium hominum intelligit, quasi dicat priusquam genus humanum finiatur: hæc omnia quæ prædixerat euentura esse. Alij per generationem totum mundum intelligunt, quia totus genitus, quasi dicat ex Mald. adeo esse certa quæ prædixit, vt non ante finiendus sit totus mundus quam euenerint.

35. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*] Non fallent, non erunt falsa, inania. Cœlum & terra ex conditione suæ creationis, idest profecta ex nihilo habent id in se necessitatis vt non sint: Verba autem Christi ex æternitate deducta id continent virtutis vt maneant ait Hilar.

36. *De die autem illa & hora nemo scit neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.*] Mar. 13. dixit neque filius nisi Pater. Arriani ex hoc loco cum Catholicis de Christi diuinitate contendebãt: Sunt qui respõdent locum esse vitiatum & non esse legendum, neque filius vt Hier. Alij ignoraſſe

rasse dicunt; quatenus erat homo, & quidem scientia naturali aut acquisita, non vero infusa, ab initio conceptionis suæ, qua habuit omnium cognitionem. Alij intelligunt Christum dicere, se ignorare illum diem & horam quod non sic eum à Patre didicisset & accepisset, vt hominibus illum aperire & indicare deberet, quem præcognoscere hominibus non expediebat; vt semper incerti de aduentu iudicis sic viuant quotidie, quasi die alio sint iudicandi sicut Patres ex Theoph. Continent quid in manibus & dum quærunt hoc filij & dare ipsi nolunt, occultant dicentes, non habemus, quod quæritis & sic plorantes filios compescunt. ita & Dominus vt compescat Apostolos ne discant de die illo & hora, dixit neque ego scio nisi Pater solus. Alij dicunt Christum ignorare, idest non scire diem iudicij qua homo est: sed qua homo Deus: Nam si homo tãtum fuisset quantũuis perfectus & Deo gratus, non sciuisset illum, vt nec Angeli sciunt, qui & perfectissimi & Deo gratissimi sunt. Non ergo negat Christus se etiam vt hominem diem iudicij scire: sed negat, scire eo titulo quo homo scit. Vel dicendum Christum eo modo loqui quo c. 20. *Sedere autem ad dexteram & sinistram non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.* Itaque indicat quod magis est se non solum vt hominem, sed etiam vt Deum modo quodam diem iudicij ignorare, non quod ignoret; sed quod non ipsius sit officium scire sicut non dixit paratum est à me, sed à Patre meo: non quod non etiam ab ipso paratum esset, sed quod regnum parare, idest prædestinare non ipsius sed Patris officium sit: sic etiam

etiam Patris est constituere quando soluendus sit mundus: quando dies iudicij futurus sit, hoc est quod Apostolis dicit Act. 1. ideo solus ipse scire significatur.

37. 38. 39. 40. 41. *Sicut autem in diebus Noe ita erit aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes; nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo intrauit in arcam Noe: Et non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis: tunc duo erunt in agro, vnus assumetur & vnus relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur & altera relinquetur: duo in lecto, vnus assumetur & alter relinquetur.*] Quod accidit tempore aduentus Noe, accidet tempore aduentus mei: vnus eligetur & saluus erit, alter reprobabitur & peribit ex Luc. 17.

42. 43. 44. 45. *Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam vt det illis cibum in tempore?*] Alludit ad milites qui noctem in quatuor distributam vigilias excubare solebant: & ad veterem morem famulorum quibus qui omnium fidelissimus erat præponebatur vt eos gubernaret & pro cuiusque meritis cibum distribueret, triticum scilicet raro pecuniam, & probat semper vigilandum.

46. *Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus inuenerit sic facientem.*] Distribuentem cibum

cibum, attentum officio.

47. 48. 49. 50. 51. *Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos: manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat: & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis; illic erit fletus & stridor dentium.*] Diuidet eum, ideſt priuabit bonis promiſſis atque mercede, vel priuabit gratia, quam ei prius dederat; vel potius ejjciet eum ex familia ſua, à famulorum ſuorum numero ſeparabit. ſic c. 22. mittitur in tenebras exteriores. Nota & quod ab officio remoueatur, & quod in ergaſtulum torquendus mittatur. Partemque eius ideſt miſeram ſortem & conditionem vt Iob. 20. & 27. & Pſ. 10. cum ſeruis pigris & negligentibus qui non ſolent niſi præſente Domino laborare, ad oculum ſeruire. Eph. 6. Significat autem infernum, qui pigrorum locus eſt.

CAPVT XXV.

Indicat per parabolas ſeueritatem futuri iudicij.

1. *ad* 14. *TVnc ſimile eſt Regnum cœlorum decẽ virginibus.*] Ideſt in Eccleſia idẽ fiet atque ſi decem virgines lampades ſuas acciperent vt ſponſo exirent obuiam. Moris enim erat vt ſponſus veſpertino tempore comitatus adoleſcentum ſocietate, accederet ſponſæ ſuæ domum,

domum, celebraturus ibi cum ea nuptias; ac tum è sponsæ domo virgines sponsæ assidentes, sponsa domi residente & aduentum sponsi præstolante prodirent obuiam sponsæ deducturæ illum cum lampadibus, in domum spõsæ; & ibi cum illo fruituræ nuptialibus gaudijs. ideo Græci non habent *& sponsa*, quia domi sedebat. Hilarius per sponsum & sponsam intelligit eandem personam. Sponsus ergo Christus est, sponsa Ecclesia, Triumphantem autem venturam tanquam sponsam ad iudicium cum Christo dicitur Apoc. 21. Decem virginibus cõparatur regnum cœlorum, vt fidei integritas & puritas significetur, ex Orig. & Hil. Decenario numero omnium hominum multitudo declaratur Gen. 31. Leuit. 16. Num. 14. tam fidelium quam infidelium, vel fidelium solum, quia soli fideles lampades accipiunt ex Orig. & Hier. & quia tota parabola eo tendit vt doceat solam fidem ad salutem non esse satis sine operibus. Quinque sapientes sunt omnes fideles ex Hil. quinque fatuæ omnes infideles, vel omnes spirituales homines & carnales: vel omnes qui corpore & spiritu virgines sunt: fatuæ quæ corpore tantũ, animo corruptæ ex Chrys. vel omnes quæ præter veram animi corporisque virginitatem, charitatem etiam & misericordiã habent, eamque largiendis eleemosynis exercent, fatuæ quæ cum Virgines sint, misericordes tamen non sunt, hoc est oleum in vasis suis non habent ideoq; non dant eleemosynas. Ex Aug. Ep 120. Vel per quinque sapientes omnes quæ habent bonam intẽtionem, & virginitatis suæ laudem apud Deũ, & non apud homines quærunt; fatuq, quę humanã laudem captant. Orig. Hilar.

Hilar. & Hier. omnes homines qui cum fide, bona opera habent: fatuas, qui fidem quidem habent opera non habent: lampades quas virgines acceperũt sunt corpora humana. Ex Hil. in quibus diuinum animi lumen lucet vel ipsa corporis virginitas. Ex Chrys. Corporis sensus. Ex Hier. vel potius fides iuxta finem parabolæ. Ex Hier. Hil. Orig. Omnes enim fidem acceperunt, qua Christo excipiendo exierunt obuiam; sed non omnes cum illo ingressæ sunt ad nuptias, quia non omnes bona habebant opera. Oleum quod sapientes acceperunt insipientes non acceperunt est misericordia. Ex Chrys. Bona intentio, opera bona. Ex Orig. & Hilar. sine quibus fides non lucet, ideſt mortua est Iac. 2. quibus si adsunt lucet, ardet: Hic dicunt Virgines fatuæ, *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur.* Non quod sine operibus statim extinguatur fides, sed cum per opera nõ lucet extingui videatur: & non magis quam si extincta omnino esset, ad salutem non valet; quia vt fides bonis operibus fouetur & conseruatur, ita sine illis elanguet & paulatim extinguitur, vt ait Auct. Imperf. Sumere ergo oleum in lampadibus est bonorũ operum copiam & veluti thesaurum in futurum Christi aduentũ recõdere, vt c. 6. Per vasa, corpora intelliguntur vel potius animæ vel conscientia quæ bonorũ operum sedes est. Quod Christus moram facere dicitur, significat longum restare tempus vsque ad aduẽtum suum vt falsam opinionem discipulis eriperet, qui putabant statim post resurrectionem venturũ esse. Ex Chrys. quod omnes virgines dormitasse atque dormiuisse dicãtur, intelligitur omnes mortuas esse antequã Chri-

stus

stus veniret Ex Hil. & Chrys. & Aug. Ep. 120. vel negligentes fuisse: Vel dormire est desinere de Domini aduentu cogitare, & omni eo tempore quo venit, nõ expectare, quod accidet bonis & malis: & omnibus qui diu aliquem expectant euenire solet, vt expectare eum desinant, & illis iam non expectantibus, aut non cogitantibus hoc est dormiẽtibus veniat. Quod media nocte veniat, significat eo tẽpore venisse quo minime expectabatur: Quis enim tunc venturum crederet cũ omnes homines quiescunt. Ex Chrys. Et Iudæi media nocte suum Messiam expectãt. Sed verbis Christi adhærendum, nescitis diem neque horam. Clamor media nocte factus, capite præcedenti declaratus est per tubã & vocem. Quod autem dicitur *tunc surrexerunt omnes virgines illæ & ornauerunt lampades suas*, hoc de corporũ resurrectione, & reformatione intelligitur. Ex Hil. August. & Beda dicunt audito rumore aduentus Christi fore, vt omnes homines qui quasi oppressi somno de illo non cogitabant, veluti expergefiant. Ornare vero lampades est opera quæ quis facit ad reddẽdam in iudicio eorum rationem, in memoriam reuocare. Quod virgines fatuæ dicunt sapientibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur*, significat fore vt homines qui opera bona non habuerint nimis sero, cũ iudicabuntur sanctorũ auxilium implorent. Ex Auct. Imperf. quasi velint se aliorũ, bonis operibus protegere. Quod sapientes Virgines respõdent: *Ne forte nõ sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendẽtes, & emite vobis.* Non quod sapiẽtes si possent dare auxiliũ non velint, sed quod tam sero dare nõ possint. Ex Chrys. Vel quod nemo erit in illo tam

tam tremendo iudicio qui sibi satis confidat, satisque bonorum operum habere videatur. Ex Auct. Imp. Vnde dicitur ne forte non sufficiat nobis & vobis. Non quod Thesaurus Ecclesiæ qui sanctorũ meritis constat, nec eorũ in alios homines suffragia tollãtur, alioquin eadem ratione viuentes suis precibus alios iuuare non possent: Nihil ergo aliud significatur ex hoc loco quam in illo iudicio extremo vnũquemque ex propriis operibus non ex alienis iudicari. 2. Cor. 5. Et ita est intelligendus Chrysost. & Hil. dicentes neminem aliena opera iuuare. Quod vero fatuæ ad vendentes oleum mittantur vt emãt; ex Orig & Chrys Doctores Ecclesiæ intelliguntur, qui verbũ Dei non pretio sed salute & fidei cõfessione vendunt vt Paulus 2. Cor. 12. & ad Philip. 4. Vel adulatores qui falsaram laudum fumos vendunt, ex Aug. & Orig. Hier. in hunc mundum remitti putat vt bonorum operũ oleum sibi labore cõparent; fortasse non pars est parabolæ sed emblema. Ex Mald. non quod significetur eos qui bona opera non habent, in hunc mundũ ad ea cõparanda esse remittẽdos: vnusquisque enim referet prout gesserit ante illum diem siue bonum, siue malum, vel si quid significetur est homines improuidos nimis sero bona opera comparare volituros. Quod sponsus dicatur venisse, Christi ad iudicium aduentum significat. Quod vero quæ paratæ erant cum sponso ad nuptias, ideſt ad nuptiarum locum & conuiuium intrauerint, vita beata declaratur vt Apoc. 19. Quod denique clausa ianua fuisse dicatur cum fatuæ Virgines redierunt, significat nimis sero opera bona facere voluisse vt Ioan. 9. Venit nox in qua nemo

operari. Quod fatuæ redierint peracto iudicio & ianuam pulsauerint sunt parabolæ ornamenta.

12. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos: vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.*] Non approbo vos, non agnosco pro filiis meis, non video in vobis signaculum Spiritus mei, vt 2. Corinth. 1. Ephes. 1. ex Auct. Imperf.

13. *ad* 28. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua.*] Inabsoluta & imperfecta locutio est, vt subaudiatur sic se habet regnum Dei sicut homo peregre proficiscens, vel sic se habet filius hominis, hæc parabola est eadem quæ apud Luc. 19. Ex Hier. Quamuis Chrys. diuersas putet. Quod Lucas alio loco & tempore quam Matth. propositam fuisse indicat, sed accidit sæpe discrepantia in temporum circumstantiis & loci, dum summam rei gestæ non ordinis rationem habent: in cæteris in quibus videntur dissidere, non Christi verba sed sensum parabolæ voluerunt explicare. Sensus autem totius parabolæ est idem qui in superiore de fideli seruo c. 24. idem etiam qui in præcedenti de decem Virginibus, scilicet acceptã à Deo gratiam & fidem diligentia bonisque operibus excolendam & augendam esse vt 1. Cor 15. Tum etiam vnumquemque ex propriis operibus iudicandum: Denique nos per gratiam à Deo acceptam, eiusdem gratiæ accessionem mereri. Homo nobilis Ex Luc peregre proficiscens est Christus: peregre proficisci dicitur per incarnationem. Ex Chrysost. è cœlo in terram venit, & peregre abiit cum à terra in cœlum rediit, non

quod terra a cœlo longè distet, sed quia status ille Christi cœlestis quo & ante incarnationem in forma Dei erat, & post ascensionem sedet ad dexteram Patris, longissime ab eo distat quo habitauit in nobis, habitu inuentus vt homo, aut potius vermis & non homo. Alij quia in cœlum ascendit, quod longe abest à terra. Alij quia non nisi longo post tempore venturus est: nam loci distantia nihil, temporis vero longinquitas multum facit ad rem. Voluit enim Dominus longa absentia seruorum suorum fidem & diligentiam experiri. Serui Doctores sunt, quia illis Christus diuersa talenta, ideſt aliis maiorem, aliis minorem gratiam ad prædicandum Euangelium & ad exponendas Sacras scripturas dedit: Vel omnes homines saltem Christiani intelliguntur, omnibus enim talentum aliquod, ideſt gratiam aliquam dedit, qua negotiarentur, ideſt adiuncta sua diligentia, & eiusdem gratiæ incrementum & vitam æternam mererentur. Ex Anast. q. 84. Quod dicatur nobilis ille seruus, suis bona sua tradidisse, & quod postea sequitur vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum. Talenta illa sunt naturalis ratio. Ex Amb. in cap. 19. Luc. quam qui digne excolit, dignus est vt eius naturæ, gratia insuper addatur: ideſt vt plura illi talenta committantur: Vel sensus. Ex Hier. Vel diuersa officia Ecclesiastica, quale est Episcopi presbyteri diaconi. Vel Euangelium & verbum Dei quod Doctoribus exponendum traditur. Ex Iustin. & Orig. Vel diuersa gratiarum gratis datarum dona: Vel potius omnia dona quæ à Deo hominibus dari solent. Deus enim dat gratiam gratum

gratum facientem hominibus, vt adhibita sua, ex parte diligentia multiplicent & augeant non vt in terram defodiant, ideſt otioſam eſſe ſinant, vt de ſe dixit Paulus *gratia eius in me vacua non fuit* 1.Cor.15. Quod alij quinque, alij duo, alij vnum talentum acceperint, vel ſignificat diuerſa diuerſis gratiarum dona ad Eccleſiæ vtilitatem danda; aliis quidem maxima, aliis mediocria, aliis infima: per quinque, ſenſus quinque: per duo, intellectum & voluntatem: per vnum, memoriam: Ex Hier. Vel melius dixeris numerum nihil ad ſenſum parabolæ facere: nam Lucas ait vnum ex decem ſeruis vna mna decem, alium quinque lucrifeciſſe: nam docet tantum Chriſtus alios homines cum gratia Dei diligentius, alios negligentius cooperari. Et ſi quid numerus ſignificet erit hoc, non omnibus hominibus æqualia à Deo dona dari, nec æqualiter omnes cum acceptis cooperari. Quod dixerit vnicuique diſtribui ſecundum propriam virtutem ſeu poteſtatem ex Græc. ſeu prout ſe quiſque ad recipiendum gratiam diſponit. Ex Hier. Vel naturam, quia Deus in diſtribuendis donis ſuis naturæ cuiuſque rationem habet: ideo Moyſi gubernandi ſpiritum & gratiam dedit potius quam aliis, quia natura prudentiſſimus & miriſſimus erat Num 12. Ioel & balbutientes ex altaris carbonibus eloquentes facere vt Iſaiam cap. 6. Et per Aſinam loqui, ſed hoc rarum; illud vero vſitatum: Vel melius dixeris ad habitum ad ornamentum non ad aliquid in parabola ſignificandum: ſed quod ſic faciunt homines qui talenta diſtribuunt. Quod autem dicitur *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia*

quinque superlucratus sum.] Talenta superlucrari est plures homines Christianos facere. Ex Anast. vt 1.Cor.9. Vel maiorem scripturæ notitiam sibi comparare, vel potius accepta gratia bene vtendo gratiæ accessionem mereri, vel plura bona opera perficere, per acceptã gratiam quibus maior accessio gratiæ mereatur. Per talentum in terram defossum significatur nimia negotiandi negligentia, id est gratiam Dei in vacuum recipere. Et nimius timor perdendi talenti quod accidit iis qui nimio quodam metu vota aut Euangelica consilia violandi dicunt se sola præceptorum obseruatione contentos esse velle, ne dum consilia volunt obseruare, nec præcepta quidem obseruant. vel talentum in terram defodere est acceptam gratiam obruere carnali vita. Ex Aut. Imperf. vel rectam & naturalem rationem obruere voluptate. Per id quod dicitur, *Post multum vero temporis venit Dominus seruorum illorum*, significatur secundus Christi aduentus, qui longo post tempore futurus erat in quo ponet rationem cum eis, ideſt rationem exiget gratiæ ab omnibus seruis suis. Quod autem dixit: *Euge serue bone*, significat Christus maiora se bonis seruis quam ipsorum sint merita, præmia daturum esse ad Ro.18. & Isa.64. 1.Cor.2. Et ad gaudium Domini admissurum, est eiusdem gloriæ & regni & lætitiæ participem effecturum ad Philip.2. 2.Cor.1. 2.ad Tim.2. Quod dicitur Luc. Esto super quinque ciuitates, significat pro suis meritis præmia, alios maiora, alios minora accepturos. Quod sequitur *accedens autem, & qui vnum talentum acceperat ait: Domine scio quia homo du-*

rus

rus es metis vbi non semin. sti, ideſt gentes ſine lege iuſtificas, & iuſtitiam ab illis colligis, in quorum animis legis ſementem non feceris. Ex Hilar. quaſi dicat à Philoſophis bona opera requiris. vel dicendum non eſſe partem parabolæ ſed emblema. Ex Mald. Quod autem dixit *oportuit ergo te committere pecuniam tuam nummulariis*, ideſt verbum Dei quod tibi commiſſum eſt cum aliis doctoribus Eccleſiæ communicare, Ex Orig qui alios idem docere poſſent, qua communicatione fuiſſet multiplicatum vt 2. ad Tim 2. Vel gratiam quam accepimus omni ſtudio multiplicare ſignificat ſi pars eſt parabolæ. Quod vero addit, *Et veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura*, auditorum fructum intelligit. Ex Orig. Hil. & Chryſ. Vel melius vſuram gratiæ & iuſtitiæ incrementum quod accepta gratia bene vtentibus ſemper accidit. Quod ſequitur *Tollite itaque ab eo talentum*, ideſt Dei dona iis qui illis non bene vtuntur auferũtur plerumque. Quod ſubiungit: *Et date ei qui habet decem talenta*, non eſt pars parabolæ: nam gratia eadem quę vni tollitur, non datur alteri: ſed ſic dictum eſt, quia inter homines fieri ſolet vt pecunia ab infideli & negligenti ſeruo ablata detur fideli & diligenti, & non ad vltimum ſed ad quotidianum iudicium ſpectat, in quo quotidie Deus & indignis gratiam aufert & dignis auget.

29. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: Ei autem qui non habet & quod videtur habere auferetur ab eo.*] Ideſt habenti fidem dabitur gratia quam non habet. Ex Orig. qui autem fidem non habuerit, etiam exteras vir-

tutes quas videtur naturaliter possidere perdit. Ex Hier. Vel omni habenti Euangelium, & lex etiam dabitur: Non recipienti autem Euangelium, lex etiam auferetur. Ex Hilar. Et significat eos qui gratiam Dei habent; ita ut nihil boni per eam agere conentur, non tam habere quam habere videri gratiam quia gratiæ incrementum non habent. Sicut seruus ille talentum habebat sed lucrum non habebat. Ex Auct. Imperf.

30. *Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*] Quid tenebræ exteriores vide c. 8.

31. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.*] Superioribus parabolis locutus est de suo & hominum aduentu in iudicio: Nunc vero de illo iudicio aperte & sine parabolis loquitur. Cur dicatur *filius hominis* diximus cap. 8. in maiestate, ideſt in gloria, ostendens maiestatem quam cum hæc diceret non ostendebat. Hæc dixit discipulis ne in fide nutarent sed eos erigeret. Ex Hier. & Chrys. venient omnes Angeli eius ad maiestatem hãc iudicis declarandam, & vt testes sunt actionum eorum qui iudicãdi sunt. Ex Chrysostom. *Sedes maiestatis* est dextera Patris in qua iam sedet, tunc autem sedere dicetur, quia tunc sese exhibebit glorioſum & vtentem iudiciaria potestate: Vel est Ecclesia quæ quasi tribunal eius est. Ex Beda. Vel sanctorum perfectiones & virtutes, qui a sanctis comitatus veniet. Ex Orig. Vel nubes lucida & illustris super quam sessurus est; & quia nube euectus in cœlum Act. 1. Et quia in nube venturus dicitur cap. 24. & 26.

Et

Et per nubem eius maiestas declaratur cap. 17. & Exod. 16.

32 *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hœdis.*] Omnes stabunt ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit in corpore siue bonum, siue malum 2 Cor. 5. Quod autem ad Rom. 4. ait *Qui non credit iam iudicatus est*, iudicio discussionis sed nondum iudicatus est iudicio approbationis Omnes ergo & infantes & infideles iudicabuntur, sed illis cur aut saluentur aut condemnentur alia redditur causa: non enim dicit omnibus *Esuriui & non dedistis mihi manducare* sed quibusdam.

33. *Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.*] Bonos qui sem oues vocat, quia mites sunt; malos hœdos, quia asperi & per aspera ascendentes. Ex Orig ideſt non recta & plana via. Vel bonos quia vtiles & fructuosi oues: malos, quia infructuosi hœdos vocat. Illos statuet ad dexteram quia honorificentur locus est. Ex Hil. Vel quia dextra bonum, sinistra malum significat, in scriptura. Ex Orig. & Hier.

34. *Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*] Qui prius se pastorem vocauit & filium hominis, nunc Regem se vocat, quia de eo tempore iam loquitur quo accepto iam regno redituras est in quo vt Rex iudiciariam proferet sententiam, & tum ad Regni consortium vocabit tum ab illo proscribet, & tanquam homo à melioribus incipit, quia pronior est ad sal-

uandum quam ad damnandum. Et quasi in cœlum continuo rediturus ait *Venite*, & vt serui se sequantur. *Benedicti* à Patre dilecti affecti multis beneficiis, & æterna vita donandi, Prædestinati: ideoque saluandi. *Possidete*, Græce hæreditate, vel in hæreditatem accipite tanquam paternum bonum, vobisque iure adoptionis debitum, nec tamen definit merces appellari, vt cap. 5. 6. 10. & 20. 1. ad Cor. 3. 8. 9. Apoc. 11. 22 & non solum post opera sed etiam propter opera dati bonis. Eodem enim modo & iisdem verbis bonis dicitur *Venite benedicti, &c. Esurii* enim & dedistis mihi manducare, atque malis dicitur: *ite maledicti* in ignem æternum. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, non enim consequentiam sed veram causam significat. Merces est quia meritis: hæreditas quia filiis datur, & quidem solis filiis, quia soli filij meruerunt, & non solum quia filij, sed quia digni sunt, ideoque non æqualem omnibus partem facit sed meliorem melioribus. *Paratum* ideſt prædestinatum vobis merentibus, quasi dicat quia esuriui & dedistis mihi manducare: vel causam reddit glorificationis potius quam prædestinationis: sic non reddit causam cur malis iam inde ab æternitate ignis paratus sit, sed cur in ignem mittantur mali. potest tamen paratum regnum intelligi primũ in ipsa mundi cõstitutione, quia tunc locus regni aptatus fœlicitati accõmodus quãuis reuera fuerit paratũ Regnũ ab æterno. Eph. 1.

35. 36. *Esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: Hospes eram & collegistis me: nudus & cooperuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.*]

Hæc

Hæc ipsa verba in iudicio pronunciaturus est, vt visibiliter apparebit: non enim in ictu oculi iudicium consummandum Dan. 7. libri aperti sunt id est conscientiæ. Mentionem autem facit tantum de his qui se pauerunt, sed est species boni exempli pro toto genere. & quia nihil tam commendare voluit quam sex charitatis opera erga proximos, quibus additur septimum sepelire mortuos.

37. 38. 39. *Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem aut hospitē aut nudū, aut infirmū vel in carcere, & venimus ad te.*] Significat eorum humilitatem qua stupebunt sua opera sic magnifieri à iudice vt sibi impensa agnoscat quæ se illius personæ non recolent impendisse, ex Orig.

40. *Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*] In quantum. vel quatenus id est quod illis fecistis mihi fecistis. Apparet notare voluisse Apostolos & eis similes qui tunc ipsi proxime assistent qui voluntarie pauperes facti sunt.

41. *Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*] Procul abite, non noui vos. Duplici pœna damnantur: pœna damni & priuationis conspectus Domini, cum dicitur *discedite à me*; & pœna sensus & cruciatus cum deputantur igni æterno, cum dixit: *maledicti*, non addidit Patris mei quia benedictionis quidē auctor est Deus Pater, maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor ex Orig. non quod pœnæ auctor non sit Deus sed

quod pronior sit ad præmia largienda. Ex hoc quod dixit *in ignem æternum*, infertur vera esse supplicia quæ non cogitatione solum, sed sensu percipiuntur. & ignem illum non esse eiusdem conditionis ac nostrum; inde tamen non sequi verum ignem non esse ex Orig. Ambr. & Hier. & sempiternum esse contra Origenistas. Non dicit illum ignem paratum iniustis sicut dixit regnum paratum iustis, ne Dei ordinationi sic ascribatur hominum condemnatio, sicut eorum saluatio. Sed intelligimus Deum quantum est ex se neminem creasse ad perditionem: homines vero peccantes sua sponte, suisque demeritis se participes facere & obnoxios eorum malorum quæ in primis & potissimum *diabolo & Angelis eius* erant parata. Regnum ergo cœlorum ab omni æternitate omnibus hominibus si salui esse velint præparauit, ignem autem æternum non nisi necessitate & quasi coactus, vt Angelorum puniret audaciam ita Orig. & Chrys.

42.43.44.45.46. *Esurini enim & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus & non cooperuistis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem aut sitientem, aut hospitem aut nudum aut infirmum vel in carcere & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis, & ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Non est quæstio procedens ex ignorantia, quia iusti certo scient quod opera misericordiæ facta membris Christi; Christus sibi reputat fieri & pro talibus, se saluari,

saluari, & mali scient se damnari pro contrario. Sed est quæstio admirationis pro magnitudine gratiæ quæ fiet electis, & magnitudine miseriæ quæ infligetur reprobis.

CAPVT XXVI.

Traditur à Iuda; capitur à Iudæis.

1 *ET factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis.*] Sermones de futuro iudicio, de fine mundi, vel de omnibus quos in toto Euangelio dixit & fecit, & non excludit quos ante passionem & post resurrectionem habuit ex D. Thom.

2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.*] Hoc dixit Christus aut feria tertia sub finem diei, aut quarta sub initium noctis, quod & diei apud Hebræos initium est; si ante finem tertiæ dixit, intelligēdum erit vt loquuntur exclusiuè quod ait post biduum Pascha fiet; si intra quartam inclusiue: quia Pascha ad finem decimæ quartæ & initium decimæquintę Martij celebrabatur. Exod. 12. hoc ergo dixit die duodecima. Dubium autē est propter Græcos quo die Christus Pascha celebrauerit: Latini omnes consentiunt Christum die 14. primi mensis ad vesperum agnum comedisse, vt lex præscribebat; sed Græci qui pane fermentato vtuntur, sensum legis non aduertunt, quod eos fefellit. Nam Iudæi inchoabant dies suos a solis occasu; sicut Græci & Latini à nocte media. alij à

solis ortu. Iubebat lex Exod. 12. Leuit. 23. vt Agnus die 14. mensis primi ad vesperum, & vt Hebraicè legitur inter duas veſperas agnus comederetur; ideſt in confinio vtriuſque diei 14. & 15. Solis, cum occaſus finis erat 14. initium 15. Eadem quoque vtriuſque diei veſpera dicebatur decimæquartæ diei quia eius finis: decimæquintæ, quia eius noctis initium erat: atque hæc eſt inter duas veſperas vt dicimus *entre-chien & loup*, vt notat Mald. Hinc factum eſt vt aliquando dicatur Chriſtus die 14. aliquando 15. Paſcha celebraſſe vt infra prima die azymorum *acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha* vt Marci 14. & Luc. 22. quibus locis die 15. Paſcha ideſt Agnus Paſchalis occidendus fuiſſe dicitur cum Exod. 12. & Leuit. 23. die decimaquarta occidi iuberetur. Nimirum quia in vtriuſque diei confinio occidebatur, nunc die 14. nunc 15. occidi dicitur, quo tempore vſque in diem octauum fermentato pane vti non licebat. ex quibus locis Græci refelluntur Matt. namque Marc. & Luc. ſcribunt eam diem qua Chriſtus agnum comedit primam diem azymorum fuiſſe. Quare non potuit Chriſtus contra legem fermentato vti pane; Ioannes autem cap. 13. ait ante diem feſtum Paſchæ, ideſt die 14. ad veſperum, quo tempore non niſi azymo pane vti licebat. Itaque quod alij tres Euangeliſtæ die 15. ideſt prima die azymorum factum fuiſſe dicunt, id Ioannes ante diem feſtum Paſchæ, ideſt 14. die factum ſcribit, nulla vtique repugnantia ſed vſitata conſuetudine qua agnus nunc 14. die, nunc 15. occidi dicitur, quia in vtriuſque veluti iun-

ctura

cura occidebatur Christus, ergo in fine 14. & initio 15. diei agnum edisse ex hac Matth. Mar. & Luc. cum Ioanne collatione manifestum est. 2. Dubium est quo die Iudæi Pascha celebrauerint, quos indicat Ioannes non eodem die quo Christum celebrasse. Sunt qui putant Christum & Iudæos eodem die Pascha celebrasse, quia diem præuenire aut procrastinare lex non permittebat, & si secus fecisset, Christus religionis reus accusatus fuisset, & quia Matth. Mar. & Lucas scribunt primam diem azymorum fuisse cum discipuli Christum interrogauerunt *vbi vis paremus tibi comedere Pascha*. Primo autem die azymorum & agnum occidi atque edi & festum Paschæ celebrari lex præcipiebat. Alij dicunt Christum vno die ante Iudæos Pascha egisse; quia Ioann. 18. dicit Iudæos cum Christum accusarent coram præside non ausos in prætorium introire ne profanæ domus ingressu contaminati Pascha edere non possent: nondum igitur ederant, ederat autem Christus nocte præcedente, non igitur eodem die sed postridie agnum ederunt, & Pascha celebrarunt quia Ioannes dicit *erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta*: Loquitur autem Ioannes de tempore quo Christus damnatus & cruci affixus est: cumque ipsum diem Paschæ parasceuen appellat, idest pridie ante pascha, nondum igitur Iudæi pascha celebrarant. Tertio, quod idem Ioannes cap. 19. dicat fuisse *magnum diem illum sabbati* quasi non vulgare sed sanctius atque celebrius quam cæteris annis eo fuisset anno; Sanctius autem esse non potuit nisi eodem die Paschæ festum celebratum est: hac enim

enim ratione magnum fuit, quia & sabbatum & Pascha. Quarto, quia Ioann. 13. dicit *ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius*, &c. vbi non quemlibet Paschæ præcedentem diem sed proximum & pridianum appellat, vbi de Iudeorum non de Christi Pascha loquitur. Quinto, quia Matth. hoc capite & Marc. 14. *dicebant autem non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*; quibus verbis voluerunt vt mors eius acceleraretur antequam dies Paschæ veniret qui ipsis post duos dies futurus erat. Hoc cum eorum inuidia & crudelitate magis congruit. Ad argumenta in contrarium dici potest aut sacerdotes ignorasse illum ea nocte agnum comedisse, aut non ausos esse id crimen obiicere, cum scirent Christum ex lege Pascha suum celebrasse, sicque non anticipasse: Iudæos autem secundum traditiones suas egisse Pascha. Tres autem Euangelistas non ex Iudæorum traditione sed ex lege locutos esse: secundum autem legem dies ille quo Christus agnum comedit, verum Pascha erat. Concludendum itaque neque Christum tempus Paschæ anticipasse, neque Iudæos distulisse & non eodem tamen die celebrasse. Sed Christum legis præscriptum, Iudæos maiorum suorum traditiones secutos esse ex Ruperto. Nam post exilium Babylonicum inter Iudæos constitutum fuit vt quotiescumque Pascha in feriam sextam incideret; in sequentem diem Sabbati transferretur, ne duo continenter dies festi consequerentur; quod populo graue erat cum nec sepelire mortuos, nec alia huiusmodi pia opera & non multum laboriosa facere possent diebus festis.

festis. Ex Calendario Hebræorum eo anno quo Christus mortuus est, Pascha in feriam sextam incidit, ideoque ipsa feria sexta & Pascha celebrauit & mortuus est vt computauit & docuit Paulus Burgensis. *Traditur* a diuersis diuersimode, à se Gal. 2. & a Patre Rom. 8. vt homines redimeret: à diabolo vt redemptionem impediret & traditores ad peccatum incitaret: à Iuda auaritia, à Iudæis inuidia, à Pilato timore ait Orig.

3. *Tunc congregati sunt Principes sacerdotum & seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphæ.*] Quasi dicat sub idem tempus vel biduo ante Pascha eodem scilicet tempore quo dicebat; *scitis quia post biduum Pascha fiet*, eodem instanti quo sacerdotes dicebant *non in die festo*, Christus dixit oportere vt in die festo occideretur. *Principes* idest capita familiarum sacerdotalium cum summo sacerdote: Scribæ qui legisperiti erãt. Seniores populi, quos magistratus vocat Lucas, quasi tres Reipublicæ status congregati *in atrium*, in palatium, aulam, in ipso domus ingressu, in loco aperto foris Marc. 14. quod Gallice dicitur *en la court de deuant.*

4. *Et consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent.*] Clam, fraudulenter non aperta vi, quia timebant plebem ne eis tolleretur. Ioannes 14 narrat fusè quomodo id deliberauerint, quamquam hoc consilium sit diuersum ab hoc, quod Matthæus narrat: nam illud sex diebus initum est ante Pascha, hoc autem biduo tantum, hoc prædixit Ieremi. 11. Ps 37. Sap. 2.

5. *Dicebant*

5. *Dicebant autem, non in die festo ne forte tumultus fieret in populo.*] Ideſt differatur in poſt diem feſtum, vel contra ante diem feſtum occidatur. Per diem feſtum intelligunt ſeptem dies azymorum, vel ſolum diem feſtum Paſchæ ſimul & ſabbathi, quibus diebus neminem accuſare, condemnare, crucifigere licebat. Non bono animo timebant ne quis de populo periret in ſeditione, aut religio impediretur, ſed ne ſibi eriperetur concurrente infinita hominum multitudine & plures eſſent qui in eum crederent. Vel potius ſibi timebant ne plebs in ſe irrueret non ferens innocentem die quo ſontes abſoluebant ad ſupplicium trahi; nam ſæpe hoc metu deterriti fuerant Marc. 11. 12. Luc. 20 22. ex Chryſoſtom.

6. *Cum autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi.*] Sunt qui duos putant Simones, alterum Phariſæum apud Lucã, alterum leproſum apud Matt. Chryſoſtomus eundem fuiſſe putat, quia vterque Simon dicitur; & quia eadem mulier apud Lucam & Matth. Chriſtum vnxit, de quo tamen controuertitur. Origen. quatuor diuerſas mulieres fuiſſe apud quatuor Euangeliſtas putat quæ Chriſtum vnxerunt: alij tres, alij duas: Hieronymus vnam fuiſſe putat; & eſt tacitus Eccleſiæ conſenſus. & Ioannes cap. 11. volens deſcribere Mariam ſororem Lazari & Marthæ, Maria autem inquit, erat quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit capillis ſuis pedes eius, quod non dixiſſet ſi plures fuiſſent; quæ pedes Domini vnxiſſent. Alij vnam fuiſſe quæ per vnxerit; primum apud Lucam vbi peccatrix appellatur, & quidem

quidem longe ante passionem: secundo apud Ioannem sex diebus ante passionem: tertio apud Matth. & Mar. duobus tantum diebus ante passionem. Alij vnam quæ bis vnxerit, primo apud Lucam, secundo apud Marcum Lucam & Ioannem imminente Christi passione, quia tunc peccatrix apud Lucam, nunc sancta: & si ter vnxisset, aliud esset factum quod Matth & Mar. aliud quod Ioânes, nam Matth. & Marcus idem narrare perspicuum est: at Ioannes non diuersum sed idem factum narrat, vt apparet ex eodem loco & vnguento, ex eadem Iudæ murmuratione. Quod autem Matth. & Marc. dicunt factum biduo ante Pascha, Ioannes vero sex diebus. Respondetur Matth. & Marcum non seruasse ordinem temporum sed resumpserunt, quæ sex diebus ante Pascha facta fuerant, vt occasionem declarent quam Iudas aucupatus est Christi vendendi quod auaritissimus esset & ægrè ferret nō vnguentum ex vase sed vnguenti pretium ex manibus effluxisse ex Aug. & Beda Simon autem non tunc erat leprosus, alioquin apud eum non diuertisset, vel dicendum a Christo prius curatum; & certe videtur necesse esse dicere aliquando eum fuisse leprosum vel parentes, aut lepræ speciem habuisse.

7. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.*] Vas erat ex lapide alabastro aut ex simili forma cum ex Marco 14. vas fregisse dicatur, vt abundantius vnguentum effluereret, quod insigne charitatis indiciū fuit. Nardi pistici dixit Marcus, Nardus autē frutex est miræ fragrantiæ Cant. 4. Pisticus dicitur quasi fidelis

&

& probata vel spicata ; est enim duplex vnguentum Nardinum, spicatum scilicet quod optimum est & ex spica nardi confectum est: & foliatum quod ex folijs Nardi dicitur ergo Nardi spicati ad differentiam foliati. Moris autem erat inter Orientales & Iudæos vt qui in conuiuijs celebrioribus inuitabantur, vngerentur vt c. 6. diximus.

8. *Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes, vt quid perditio hæc.*] Et Mar. 14. videtur aut omnes aut plures murmurasse, ex Ioan. 12. solum Iudam murmurasse patet Matth. & Mar. plurali vsi sunt per syllepsim vt c. 4. & 17. Luc. 22. ex Chrys.

9. *Potuit enim istud venundari multo & dari pauperibus.*] Ioan. 12. exponit quo animo id dixerit, quia fur erat. S. Augustinus qui putauit Iuda instigante alios etiam discipulos murmurasse, ait illos pauperum caritate ; istum auaritia fecisse.

10. 11. 12. *Sciens autem Iesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri : opus enim bonum operata est in me : Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis : mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*] Marcus ait discipulos intra se, idest apud se, apud animum suum murmurasse, non inter se, quod solum Iudam fecisse diximus. Ioan. 12. ait *finite eam vt in diem sepultura meæ seruet illud* ; quasi dicat seruauit hoc vnguentum pro sepultura mea, & veluti iam esset dies sepulturæ meæ me eo nunc vnge vnguento, non quod fortasse quidquam de sepultura cogitauerit, sed quod tam commode vnxerit vt ea de causa vnxisse videatur. Significauit etiam fortasse

fortasse eam propterea se nunc vnxisse quod futurum esset, ne post mortem vngere non posset; seque hoc pietatis officium ab ea recipere & murmuratori præferre, quod ille de se vendendo, hæc de se vngendo cogitaret. Admisit autem Christus has delicias a quibus in tota vita abhorruit, non quod deliciæ essent, sed quod charitatis officium & pietatis ex Chrys. Ex hoc patet Iudæos solitos mortuos aromatibus condire ex Remig.

13. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.*] Idest hæc Euangelica historia, seu narratio eorum quæ in carne feci & passus sum pro salute mundi; quasi dicat factum eius pium collaudabitur, charitate plenum & propheticum.

14. *Tunc abijt vnus de duodecim qui dicitur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum.*] Sex diebus ex Chrys. vel potius biduo ante Pascha ex Beda. Duo diuersa fuerunt concilia, vnum de quo Ioan. 11. in quo constituerunt expedire vt Christum occiderent authore Caipha. hoc vero de quo Matth. & Marcus 14. in quo non iam consultant an occidendus, sed quo modo occidendus esset. quod cum odoratus esset Iudas venit ad eos; quo audito *gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare* Luc. 22. Sceleris auget magnitudinem quod Apostolus, quod Christi domesticus, quod eo tempore quo peccatrix officio Christum afficiebat, vt notat Chrys. Lucas 22. ait satanam intrasse in cor Iudæ, quod nihil aliud fuit quam immittere in cor eius vt Christum traderet, non vt occuparet vt solet energumenos. Caluinistæ dicunt Deo

authore

authore factum : cum tamen non impellente sed solum permittente Christum vendiderit.

15. *Et ait illis : quid vultis mihi dare & ego vobis eũ tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos.*] Constat hos argenteos fuisse siclos. siclus autem pendebat francum vnum Gallicum ideſt 20. solidos. Itaque Christus venditus est 30. francis : at quomodo tam leui pretio potuit emi ager: dicendum tunc quidem potuisse, non nunc cum res sint cariores. Quod Ioseph venditus sit 20. argenteis figura est non in pretij summa sed in eo quod venditus est, ex Hier.

16. 17. 18. *Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes : vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit, ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei : Magister dicit, tempus meum prope est : apud te facio Pascha cum discipulis meis.*] Apparet Christum cum hæc diceret nõ Hierosolymæ sed Bethaniæ vbi duobus præcedentibus diebus fuerat, aut in via fuisse, & quod dixit prima die Azymorum, sic intelligendum est non quod iam esset sed quasi appeteret, quia si dies azymorũ inchoata fuisset ad parandum Pascha, nimis sero præmisisset discipulos, & patet vesperam nondum aduenisse ex Luc. 22. *Cum facta esset hora, discubuit* quasi prius facta non fuisset cum ad parandum Pascha venerunt. vbi exponit quos discipulos præmiserit *ad quendam* Græce ad certũ aliquem. Non Christi sed Euangelistæ hæc verba sunt, qui quem Christus non nominauit sed certis indicijs designauit, nec ipse voluit nomi

nominare. Cur vero non nominauit, Beda ait vt omnes homines intelligerent se esse inuitatos. Amb. quia Christus non diuites sed pauperes eligat vt sua cum illis mysteria communicet. Eutym. ne Iudas sciret apud quem Christus Pascha celebraturus esset. Melius dixerit propterea nō nominasse vt melius rebus quam nomine describeret, & sic suam diuinitatem clarius ostenderet. Credibile est hunc fuisse non inquilinum ædium Ioannis Euangelistæ, nec Simonem leprosum, sed nobilem & diuitem Iudæum, qui in Christum credebat, illique erat familiaris, sed occulte tamen qualem Iosephum ab Arimathia, vel Nicodemum vel ignotum ex Chrys. Magistrum se potius quam Deum aut Dominum vocat, quia tanquam homo cum hominibus loquebatur. Eadem auctoritate vsus est cap. 21. cum discipulos misit ad soluendum pullum. Sunt qui putant per *tempus meum* significare patrisfamilias causam, cur Paschæ celebrationem vno die anticiparet, coactum imminentis mortis necessitate, vel declarate voluisse illū fuisse familiarem quod non inuitatus sed sponte amicorum more vltimam apud eum cœnam agere voluerit, tempore scilicet sibi a Patre constituto: vel quo mori decreuit. & sic præparat discipulos vt ostendat se voluntariè mori. ex Chrys.

19. 20. *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.*] Hoc tempus expressit vt denotetur tempore à lege præscripto Christum Pascha celebrasse ex 12. videlicet inter duas vesperas vt supra diximus. Ex verbo Recumbebat quidam colligunt

gunt hic non agi de esu agni, sed de cœna quam eso iam agno Christus egit: agnum enim stantes comedebant ad denotandum trãsitum. At certum est loqui de cœna Agni ex Ioan. 13. Luc. 22. quia tamen in omnibus prandijs ac cœnis Iudæi vetustiores accumbere solebant; probabile enim est Christi tempore sedere solitos non recumbere, factum est vt mutata accumbendi consuetudine nomen retineretur. Nam & nos dicimur accumbere mensæ cum tamen sedeamus. Sic Euangelistæ noluerunt significare Christum reuera recubuisse sed ad mensam accessisse & cœnasse cum 12. discipulis, in quo declarat se legem obseruasse, in qua paterfamilias cum tota familia sua agnum comedebat Exod 12. Sunt qui & Iudam huic cœnæ interfuisse putant, non vero Sacramentorum perceptioni. Theoph. ait interfuisse toti actioni & bibisse sanguinem, Corpus vero in detrusum detulisse ad principes sacerdotum, ostendens eis id quod Christus corpus suum appellasset, sed hoc sine fundamento dictum. Alij ergo omnes dicunt ipsum toti actioni interfuisse, & corpus & sanguinem Christi sumpsisse ex Cyp. & Chrys. quia non est credibile Iudam è cœna surrexisse antequam omnia essent peracta: vt aditet principes sacerdotum, quia seipsum prodidisset & quia Luc. 22. inducit Christum loquentem de Iuda adhuc præsente. Post sumptam Eucharistiam: *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur: verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Quod autem Ioannes 19. post datam buccellam statim exijsse Iudam ait, intelligẽdum est post datam Eucharistiam buccel

buccellam dedisse vt proditorem declararet, aut illud *continuo*, non temporis momentum sed breuissimum tãtum interuallum significare. Ad illud vero quod obiciunt *non bibam amodo de hoc genimine vitis donec bibam illud vobiscum nouum.*] Non dicimus non significari tunc Iudam non adfuisse, quia etsi postea cum eo non bibit, tamen cum alijs bibit. Probabile non videtur, quod ait Eutym. cum discipulis alios etiam interfuisse, quia lex præcipiebat vt vnaquæque familia suum agnum ederet, nec externus vllus admitteretur, nisi si familiarium numerus ad edendum agnum integrum non esset satis, licebat tunc externos adũocare: numerus autem discipulorum erat satis magnus ad edendum agnum.

21. 22. 23. *Et edentibus illis dixit, amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est, & contristati valde cœperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine: at ipse respondens ait, qui intingit mecum manũ in paropside, hic me tradet.*] Quisque de se dubitabat & etiamsi se innocentes esse scirent, tamen magis Christi verbis quã conscientiæ suæ confidebant vt Prouerb 8. Beatus homo qui semper est pauidus. & Iob 9. Ex Orig. & Chrys. Credibile est singulos Apostolos prius interrogasse: *Nũquid ego sum Domine*, & cum eorum rogatu Christus proditorem nominare noluisset, Ioannem ad Petri suggestionem, rogasse, quisnam esset ipsum proditurus. Ex quo infertur Christum his verbis, *Qui intingit mecum manum in paropside*, non palam detexisse proditorem sed primum dixisse, *vnus vestrum me traditurus est*, deinde

deinde cum singuli interrogarent: *Nunquid ego sum Domine* paulo clarius respondisse: *Qui intingit mecum manum in paropside*, idest vnus ex his qui in eadem paropside panem intingit. probabile enim in eadem mensa diuersas fuisse paropsides. Denique cum nec hoc quidem indicio Apostoli quis ille esset intelligere potuissent, iterumque Petri rogatu à Ioanne interrogaretur quisnam ille esset, respondit, ille est cui intinctum panem ego porrexero. Ioan. 13. sed quia hoc in aurem Ioanni dixerat Christus itaut alij intelligere non possent, ad extremum ipse Iudas ne tacendo crimen confiteri videretur, interrogauit etiam sicut alij prius, *Nunquid ego sum Rabbi?* cui Christus, *Tu dixisti.* Quo dicto neque Iudas, neque cæteri quos id audiuisse putandum est, proditorem ignorare potuerunt: Atque tunc Iudam cum se deprehensum videret discessisse putandum est. Sed quia hoc simul atque buccellam à Christo datam accepisset, accidisse verisimile est, Ioannes dixit statim accepta buccella exijsse. Mirantur quidam cur de intincta buccella in iusculo fiat mentio, cum Agnus assus comederetur: sed hoc de cœna illa est intelligendum ex Mald. quæ apponebatur post esum Agni, in qua & assa & cocta, & omnia obsonia apponi poterant; solum panis fermentatus prohibebatur; quia erat primus dies azymorum.

24. *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*] Quasi dicat nõ vi sed sponte sua, nõ ex hominum sed ex Dei decreto & prædictione.

Dan. 9.

Dan. 9. Comparat finem suum, cum fine Iudæ, quod ipse etiamsi ad mortem trahi videatur, non trahatur sed eat per mortem ad gloriam Philip. 2. Iudas vero qui ad gratiam & lucrum colligendū ire videtur, eat ad lapsum, & æternum supplicium. Quod autem ait: Melius futurum si natus non fuisset, hoc secundum veritatem scholæ nō est excutiendum, cum sit proverbialis locutio vt Iob 3. 10. 13. & Ier. 20. in quibus hyperbolicum quiddam est: & non dicit melius futurum vt Iudas non nasceretur. Sed melius futurum illi esse, idest eius opinione & iudicio. Et notandum contra Caluinum Deum Iudæ proditionem non prædestinasse, sed præuidisse, non commisisse sed permisisse ex Chrys. At cur Deus eum genuit, cur elegit in Apostolum. Respondetur non talem qualis postea fuit, à Deo fuisse genitum aut electum. Deus bonum fecit, bonum elegit, ipse se fecit proditorem ex Chrys.

25. *Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit: Nunquid ego sum Rabbi. Ait illi: Tu dixisti.*] Mira Iudæ impudentia cum sciret non latere eum quis esset se traditurus, sed videtur coactus aliorum exemplo non sponte rogare, num ipse sit, ideoque omnium vltimus rogat: & quia forte eum Christus subindicauerat his verbis: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, ex Orig. & Chrys. & cum dixit ei Christus: *Tu dixisti* affirmantis locutio fuit vt c. 27. quasi dicat, tu es. Aug. l. 3. de consensu c. 1. putat nec concedentis nec negantis esse.

26. *Cœnantibus autem eis.*] Manducantibus illis Græ. Mar. 14. Lucas vero c. 22. & Paulus 1. ad Cor. 11. dicunt hoc factum esse postquam

cœnauit, vnde Matth. & Marc. intelligēdi sunt, non quasi durante adhuc cœna id fecerit, sed statim vt cœna peracta est, antequam surgerēt; antequam mensæ & ciborum reliquiæ remouerentur. Luther. & Caluinistæ corporis & sanguinis Sacramentum non Eucharistiam, sed cœnam appellant sine fundamento: nam quod 2. Cor. 11. dixit Paulus *iam non est dominicam cœnam manducare*, non de Eucharistia intelligitur, sed de cœna aut prandio quod ante aut potius post Eucharistiæ sumptionem diuites Christiani imitatione Christi solebant pauperibus exhibere, qui antequam discipulis suis corpus & sanguinem daret, vltimam cum illis, vt solent amici cum amicis longe ab illis discessuri, cœnam egit: qua singularem in illos charitatem demonstrauit. Paulus reprehendit eos quod pauperes contemnere viderentur, & vinculum charitatis rumpere, quæ in communi illo conuiuio cernebatur. Hoc erat non dominicam cœnam manducare, ideſt non ad Christi imitationem, qui cum Dominus esset, tamen non solus sed cum duodecim discipulis suis recubuisse dicitur. Nec necesse est vt huius Sacramenti celebratio, aut cœnam præcedat aut sequatur, quia quod Christus post agni primam cœnam quam vocant ceremonialia, & post cœnam secundam, communem & vsitatam, tertiam celebrauit, qua panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecratum præbuit, fecit vt consuetudinem obseruaret, non vt imitaremur. Ideoque laudanda Ecclesiæ consuetudo quæ solis ieiunis tradit quod id multo plus habeat reuerentiæ. Et arguendi hæretici qui bene cœnati & forte ebrij accedunt

dunt cum panem suum & vinum suscipiunt.

Accepit Iesus panem, & benedixit. | Græce cum benedixisset Mar. 14. Lucas vero c. 22. & Paulus 1. Cor. 11. dicunt εὐχαριστήσας cum gratias egisset. non dubium quin idem sit apud Euangelistas: & quia numquam benedictio fine gratiarum actione esse solebat vt Mar. 6. sicque gratias agere pro benedicere posuisse. Et notat Mald. contra Caluin. benedictionem non ad Deum sed ad panem & calicem referendam esse, vt patet ex 1. ad Cor. 11. *Calix benedictionis cui benedicimus* εὐλογοῦμεν ad verbum quem benedicimus, deest benedicendo consecramus. Quibus patet pani & calici datam fuisse & ex Luc. 9. benedixit illos non illis, panes videlicet: & ex textu quia panem accepit, panem fregit, panem ergo benedixit. Constat igitur gratias agere sumi pro benedicere, quia ad panem & vinum referatur, & non potest gratiarum actio ad res inanimes & rationis expertes referri vt ad panem. Non enim dicimus; gratias ago pani aut equo, sed Deo aut homini. Nec vsitata fuit hæc benedictio apud Iudæos, sed peculiaris & propria huius Sacramenti: Nam cum toties Christus cibum sumpsit, quid est quod Euangelistæ non scripserunt eum benedixisse, aut gratias egisse neque cum cœnam agni, neque cum communem fecit; nisi cum aliquid singulare sua benedictione admirabili erat facturus, vt c. 14. & Mar. 6. Luc. 9. Matth. 15. Mar. 8. cum voluit panes multiplicare, & cum voluit panem in corpus suum, & vinũ in sanguinem transmutare, vt Luc. 24. ex Iustin. in Apolog.

Ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite.] Pater familias initio cœnæ qua agnus edebatur, panem vnum azymorum sumebat, & in duas partes diuidebat: quarum alteram sub mappa, alteram dabat alteri sic benedicebat: Benedictus es Domine Deus Rex vniuersi in esu panis azymi. Noluit hanc Christus forte ceremoniam in esu agni obseruare, sed in noui Sacramenti institutione nouam instituere voluit multo perfectiorem. Sic enim referunt Euangelistæ quasi alias frangere non soleret: vt Luc. 24. cognitus fuit in fractione panis. Et tota actio & distributio huius Sacramenti, fractio panis dicitur, Act. 2. Fecit igitur Christus duodecim ex pane partes, & singulis singulas dedit, non in os sed in manus, vt vero similius est. Et longo tempore hæc fuit vsitata Ecclesiæ consuetudo ex Tertul. l. de spectac. & Cyr. catech. 5. August. serm. 214. Chrysostom. l. 3. de sacram. Quæ meliore consilio mutata in os dare cœpit, quod id minus periculi & plus habeat reuerentiæ. Dicet hæreticus debere semper plures esse inter quos distribuatur: at fractio panis dicitur, non quod reuerâ frangatur sed quod detur. Et qui panem suum vni tantum pauperi dat, fregisse dicitur Hebraica phrasi. Quod si Christus vnum tantum discipulum habuisset, illi corpus suum dedisset, & quamuis non fregisset panem, tamen vt notat Mald. fregisse, idest dedisse diceretur.

Hoc est corpus meum.] Quamuis nullus locus clarior in scriptura, tamen Caluin. &

Zuingl.

Zuingl. dicunt non propriam sed figuratam esse locutionem: sed alij in *pane*, alij in verbo *est*, alij in *corpore* esse; & pronomen *Hoc* pro pane positum esse. Sed Luth. & Berengarij refelluntur hac vna syllaba; quia si *hoc* accipitur pro pane, cum non dicat Christus: hic est corpus meum sed *hoc est corpus meum*, necesse est aut panem non remanere, si corpus Christi est, sed in illud transmutari, aut corpus Christi in Sacramento non esse si panis manet, vt contendunt Caluinistæ. si probemus pronomen *hoc* pro pane accipi non posse. Et primo quidem probamus: nam si Christus dicere voluit *hoc* ideſt Panis est corpus meum, quare vno verbo non dixit clarius: hic panis est corpus meum: Deinde cur tres Euangelistæ & Paulus in hac re eodem verbo vsi sunt: *Hoc est corpus meum* qui in alijs rebus sæpe solent verbis discrepare cur nullus dixit: hic est corpus meum, vt sententiam Caluini magis explicaret: aut hic panis est corpus meum. Præterea vt Latine, sic, & Græce diuersi generis sunt *panis* ἄρτος masculini, τοῦτο *hoc* neutrius, non ergo ad panem referri potest, cum quo genere non conuenit. Dicent, *hoc* non adiectiuum sed substantiuum esse, quod Catholici multi dixerunt, esto: Sed cur potius non sequemur interpretationem Christi: Hoc quod vobis do, est corpus meum, quam Caluini delirium: Hoc quod vobis do est panis. Verum adiectiuum esse dixi, & pro alia re quam pro corpore Christi accipi non posse, sicut τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου: Hic est sanguis meus, pronomen non refertur ad

vinum sed ad sanguinem, vt patet ex Luca & Paulo, qui pronomen cum sequenti, non cum præcedenti coniunxerunt. Dicentes, τοῦτο τὸ ποτήριον, ergo & cum dixit, *Hoc est corpus meum*, illud *hoc* non conuenit cum præcedenti pane, sed cum sequenti corpore, nec substantiuum sed adiectiuum est, alioquin dixisset: Hoc est sanguis meus; ideoque non potest panem sed corpus Christi demonstrare. Quamuis ex Mald. dici posset *Hoc* substantiuum esse, & indiuiduum vagum.

Est.] Nullibi sumitur pro significat. Et in figuratis locutionibus vt petra erat Christus, &c. si quæ figura est, non hæret in verbo *est*, sed aut in subiecto, aut in prædicato, vt cum dico, Agnus est Pascha, figura est in nomine Paschæ: quod nomen sumitur non proprie pro transitu, sed pro agno qui transitum significabat. Sic cum dicitur vitis, leo.

Corpus meum.] Si in corpore figura esset, non acciperetur pro vero Christi corpore: at pro vero Christi corpore accipi patet ex adiunctis, *quod pro vobis datur* Luc. quia non dixit, quod vobis datur, quod dicendum erat si figuratum dedisset corpus. dabat igitur illis aliquid quod pro ipsis offerretur in remissionem peccatorum, qualis profecto figura corporis esse non poterat: Solum enim verum Christi corpus pro nobis datum est. Qui hoc ad crucem referunt, vim & artificium verborum Christi non intelligunt. Acceperat Christus panem, benedixerat, fregerat; porrigebat Apostolis dicens: *Hoc est corpus meum.* Addit

quod

quod pro vobis datur. Quis non videt his extremis verbis vim, & pretium & fructum eius rei quam porrigebat commendare voluisse; dabat enim corpus suum non apertum sed Sacramento velatum; poterant Apostoli putare se solum panem accipere, soli ventri profuturum, & minori quam par erat habere in pretio. Christus affirmat se non panem, sed corpus suum dare: & corpus suum quod pro ipsis tunc oblatum remissionem illis peccatorum afferret. Non commendat fructum crucis, de quo non agebat vt notat Mald. sed fructum Sacramenti, de quo agebat: deinde eodem modo nomen corporis hic accipiendum est, quo apud Ioan. 6. nomen carnis accipitur *Panis quem ego dabo, caro mea est*; quia quod illic promiserat hic tradidit, & nomen panis declarat quod non accipitur pro corpore Christi, nisi quatenus sub specie panis datur; quasi dicat caro mea est panis ille quem ego dabo: opponit enim panem illum, vero & naturali pani: ergo cum dicit: Hoc est corpus meum, nulla in corpore figura est: sed nomen corporis verum significat corpus Christi. Præterea, si figurate locutus fuisset aliquis Euangelistarum aut D. Paulus figuram expressisset. vt Ioan. 2 *Soluite templum hoc*, explicant *ille autem dicebat de templo corporis sui* Et quia prudens Testator vltimam suam voluntatem non obscuris aut figuratis verbis declarat. Ad hæc cur 1. Cor. 11. rei sunt si verum corpus & verum sanguinem non accipiunt? Paulus rationem reddit non diiudicans, inquit,

corpus] Domini : propterea sibi iudicium manducat & bibit, quia reus est corporis & sanguinis Domini, non dijudicans, idest non alia accipiens reuerentia quam alium panem. Adde si Christus voluisset dare verum corpus & sanguinem suum an clarius & apertuis loqui potuisset ? & hæretici suis figuris obscurare volunt. Non sic Patres, Cypr. l. de cœna Domini. Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat non effigie sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro Christi. Sic Cyril. Catech. 4. Qui videtur panis non est panis, etiamsi gustu ita appareat ; sed corpus Christi. sic Chrysostom. hom. 83. Amb. l. de his, qui initiantur c. 9. Hil. l. 8. de Trinit.

27. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens : bibite ex hoc omnes.*] Diximus de verbo gratias agere solum notandum Christum separatim calicem & panem benedixisse. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Quia calicem vni tantum tradidit, ne videretur velle vt ille solus biberet : clarius dixit Lucæ 22. *Diuidite inter vos, bibite ex eo omnes.* Hoc vero de corpore non dixit, quia corpus singulis sigillatim porrexisset: vnde non est, quod calumnientur nos Caluinistæ quod populum altera specie defraudemus : & si hoc ad omnes extenderetur etiam infantes & excommunicati sanguinem sumere deberent.

28. *Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*] Lucas c. 22. & Paulus 1. ad Cor. 11. legũt. *Hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine* credendũ est vsum potius fuisse Matthæi verbis

verbis qui aderat & à Christo didicerat quam Lucæ & Pauli, quia non erat Christi intentum vt nouum Testamentum sed vt sanguinem suum traderet. itaque Christus dixit *Hic est calix sanguinis mei*, qui calix nouum Testamentum est. Et ad hunc modum verba D. Pauli quamuis transposita sint, redigenda sunt: scribit: *Hic calix nouum testamentum est*, ideſt, hic est calix nouum Testamentum. Cur autem noui Testamenti sanguinem Christus appellauerit; solebant omnes fere Gentes victimarum sanguine sancire fœdera, aliquando etiam tractum ex propriis venis sanguinem alterum alteri tradere. Hoc Christus fecit dato ad bibendum Apostolis sanguine suo qui omnis Ecclesiæ cum qua fœdus inibat personam repræsentabant. Alludit etiam ad veteris Testamenti institutionem quod sanguine vituli sacrificati sancitum fuerat Exod. 24. & ad verba Moysis qui sumpto aspersoque sanguine in populum, dixit: hic est sanguis fœderis quod mandauit ad vos Deus. Nouum autem Testamentum appellat nouum pactum quod non iam cum Iudæis vt prius, sed cum omnibus omnino gentibus quæ Euangelium receperint confirmauit. Deinde colligitur Christum ibi nouum Testamentum constituisse, non in cruce vt hæretici contendunt: non enim sensus est: hic est sanguis quo sancietur, sed quo sancitur nunc nouum Testamentum. Et quidem cum initur fœdus partes præsentes esse oportet, aliqua miscere verba, aliquod dare symbolum. In cruce nihil tale factum est vt notat Maldonat. vnde & illud colligitur eum

tunc sacrificium obtuliſſe ſine quo iniri fœdera non poterant. Cum ergo ſanguinem ſuum Apoſtolis tradidit in poſſeſſionem noui Teſtamenti eos mittit. Colligitur etiam verum dediſſe ſanguinem quem opponit ſanguini vitulorum. Lucas & Paulus legunt *qui pro vobis effundetur*. Quod potius dixiſſe Chriſtum veroſimilius eſt, quia cum ſolis Apoſtolis loquebatur: & quia munus verbis ornatum illis commendabat. Quare ex verbis Lucæ & Pauli Matth. & Marci verba exponenda ſunt. vt idem ſit *qui pro multis*, & *qui pro vobis* effunditur: non vt idem ſit qui pro multis atque pro omnibus aut pro prædeſtinatis. Quinimo nec pro omnibus qui aderant. Sed pro pleriſque: nam multos opponit omnibus qui aderant. Cum ergo Chriſtus dixiſſet: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur, quia certum erat noluiſſe Iudam etiam comprehendere pro quo eius ſanguis quoad effectum & fructum attinet non effundebatur, Matthæus & Marcus vt id explicarent optimo conſilio non verba ſed ſenſum referentes dixerunt *Qui pro multis effundetur*. Et Eccleſia vtrumque coniunxit: *qui pro vobis & pro multis* in dubio an Chriſtus vtrumque dixiſſet. At quo modo dixit tunc ſanguinem ſuum fundi. Sunt qui dicunt *qui effunditur* ad bibendum, vnde dicimus fundi vinum in menſa. Melius alij funditur, ideſt offertur, ſacrificatur, quia non dixit qui vobis funditur: vt dicendum erat ſi ad bibēdum funderetur, ſed *qui pro vobis funditur*, quod cum ſacrificio bene conuenit: nam non hominibus, ſed pro hominibus offertur.

&

& quia eodem sensu dictum est de corpore *quod pro vobis datur*: at sensus non est pro vobis datur ad edendum sed pro vobis sacrificatur Ergo & cum de sanguine dicitur qui pro vobis effunditur.

29. *Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitu vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*] Hoc genimen seu generationem seu fructum vitis Caluinistæ dicunt esse vinum vt vbique panem & vinum asserant, & Christi corpus & sanguinem excludant. Melius Origen. Cyprian. Chrysostom & Aug. qui aiunt Christum sanguinem suum vocasse vinum, sicut carnem suam apud Ioannem panem appellauerat, & per periphrasim genimen vitis, quia ipse erat vitis. Sed dicendum non de eo calice dixisse, quo sanguinem suum dedit, sed de eo qui in cœna Agni Paschalis vt supra dictum est a Patrefamilias inter accumbentes distribui solebat. Et quia non reddit Christus rationem cur sanguinem suum dederit: nam dato sanguine aliam rationem reddiderat *qui pro vobis effunditur*: sed reddidit causam cur desiderauerit eam cœnam cum Apostolis agere, quia vltima futura erat, & consueto more locutus est hominum, qui ab amicis longe discessuri ita dicere solent: non bibemus amplius simul. Id autem non dixisset de sanguine suo, qui etsi verus erat, dabatur tamen sub ceremonia atque sacramento, sed dixisset de vera & iusta cœna cui magis verba illa conuenichant. *Bibam vobiscum nouum* quasi dicat donec renouatus, id est glorificatus illud bi-

bam. Alij melius non quod nouo modo bibendum sit, sed quod alterius generis, ideſt præſtantius atque iucundius futurum sit, quale erit quo omnes beati in cœlo inebriandi esse dicuntur Psal. 35. nam Hebræi quod præstantius est, nouum appellant Psalm. 95. *In regno Patris mei*, ideſt initio noui Testamenti quod in ipsa cœna cœpit vt nouum genimen Christi sanguis intelligatur. Alij Ecclesiam vocari putant vt Hieron. Alij tempus quadraginta dierum quibus post resurrectionem cum Apostolis sæpe edit ac bibit ex Chrys. Alij melius cœlum quod solus Pater numquam videatur de cœlo descendisse; & quia quotiescumque de esu & potu regni cœlorum scriptura loquitur, regnum cœlorum, nec pro Ecclesia nec pro Euangelio sed pro vita beata poni soleт vt Matth. 18. Luc. 14. & 22. Apocal. 19. & notat Mald. pronomen *hoc* accipi pro vero vino: *illud* pro metaphorico.

30. *Et hymno dicto exierunt in montem oliueti.*] Cum laudem Deo decantassent. Hinc colligit Chrysostom. neminem debere ante gratiarum actionem quæ in fine fit ab Ecclesia discedere. Sunt qui dicunt Christum nouum hymnum composuisse, alij septem psalmos solitos recitasse à 112. ad 118. Ioannes 14. tradit multa & grauissima verba fecisse Apostolis ante sacramentorum exhibitionem, & egressum Christi ex cœnaculo vel ex vrbe: & contentionem inter Apostolos quis eorũ maior esse videretur: recensẽt Luc. & illa c. 22. *vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Ex quibus infertur antequã Christus exiret è domo exiisse Iudam.

31.

31. *Tunc dixit illis Iesus: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.*] Hæc dicit quia se erant deserturi non fidem perdituri, aut in fide vacillaturi aut negaturi, cum nemo Apostolorum fidem perdiderit, ne Petrus quidem ipse qui negauit vt quidam putauerunt: qui non distingunt fidei confessionem à fide, & negationem Christi à fidei amissione; quasi dicat cum videritis me indigna patientem, occasionem me deserendi accipietis; hoc est scãdalum patiemini in me, idest propter me. Ex Zachariæ vaticinio, quod ad veteres sacerdotes pertinebat ad se accommodat, non vt doceat necessario euenturum esse vt se Apostoli deserant, eosque euentus necessitas à culpa excuser: sed vt doceat id sibi nouum non fore sed se iam scire. Septuaginta legunt *percute*, sed sententia est eadem, Deus enim est qui pastorem percuti iubet, & qui per alium facit ipse facit: indicat enim se esse qui filium suum percutit, qui ad mortem tradit.

32. *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*] His verbis solatur discipulos.

33. *Respondens autem Petrus ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.*] Ex hac Christi responsione colligitur quod supra dixit tantum se deserturos.

34. *Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.*] Marc. 14. ait *Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus* conciliantur sic: quia

quia ante auroram quod propriè gallicinium aut galli cantus dicitur, Petrus ter Christum negauit, vt Matth. Luc. & Ioann. scribunt, & quod idem est, antequam gallus bis cantaret, semel ad mediam noctem, iterum ante auroram, ter Petrus negauit vt scribit Marcus ex Aug.

35. 36. *Ait ei Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt: Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani.*] Prædium seu hortum fuisse constat ex Ioann. 18. non vt se absconderet sed potius vt facilius à Iuda & cohorte militum inueniretur, cum sciret eo solitum ire orationis causa. Luc. 22. Dicitur Gethsemani, ideſt. octauus aut pinguis. Octauus ex distantia qua ab vrbe aberat: nam multi erant circa Hierosolymam horti amœni; & alius primus alius secundus dicebatur. Pinguis vero quia fertilis erat, vt sicut in paradiso a Diabolo capti fueramus, in paradiso libertatis initium fieret ex Cyril.

37. *Et dixit discipulis suis, sedete hic donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedei cœpit contristari & mœstus esse.*] Vt testes haberet orationis suæ, tristitiæ & lethalis sudoris; & quia hi tres gloriam transfigurationis viderant, & timendum ne alij qui non viderant, Christi infirmitate offenderentur. Vel potius quia plus illis confidebat, ad omnia secreta adhibebat. Marc. 14. cœpit pauere & tædere, ideſt grauiter angi penéque exanimari ac deficere præ mœrore. Quod certe magnitudinem tristitiæ declarat.

clarat. Sunt qui negant veram in Christo fuisse tristitiam vt Chrysostom. Alij secundum diuinitatem passionem ac dolorem sensisse, stulte de diuinitate loquentes. Alij istam tristitiam non passionem fuisse sed propassionem. Hoc inter passionem & propassionem est discrimen, quod passio sit affectio aliqua casualis quæ voluntatem aliqua ratione turbat, & aliquem quamuis imperfectum voluntatis consensum extorquet. Propassio vero quæ hominem quidem mouet, & aut doloris aut delectationis sensum aliquem affert, sed animum de sua quiete non deiicit ex Augustin. & Hieronym. & ideo dictum cœpit, quasi cœperit quidem sed non finierit, quia propassio vsque ad passionem non peruenit. Vel hoc verbum significat Christum non coactum cum periculum obiectum est, sed sponte, quando voluit quantum voluit, & quomodo voluit tristatum fuisse ex Aug in Psal 87. non conditionis necessitate sed miserationis voluntate. passiones in nobis præueniunt actionem, in Christo sequuntur.

Quæres cum Christus beatus fuerit, quomodo tristitiam habere potuerit? Respondent quidem beatum fuisse superiore tantum animæ parte; corpus enim illius nondum fuisse beatum, tristitiam autem fuisse in inferiore parte quæ in corpore est: at Christus animam suam vsque ad mortem tristem esse ait; & paulo post dicit non mea voluntas sed tua fiat; vbi significat se etiam voluntate quæ superior animæ pars est fuisse tristatum mortémque refugisse: & ex hoc loco pro-

bat

bat sexta synodus duas in Christo voluntates diuinam & humanam; itaque hoc de appetitu sentiente dici non potest. Melius igitur alij dispensatione quadam factum fuisse vt cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit: nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit ne defluereet in corpus vt pati posset: ita premere eam potuit, & quodammodo eam occultare vt ad tempus, tristitiæ cederet. Tristatus autem est non metu mortis sed discipulorum commiseratione; quod scandalum passuri essent. Hilarius nominatim propter Iudam tristatum putat, quod perditum sciret. Melius vt supra diximus sponte & libere, timuisse vere, ideoque martyribus fortiorem fuisse non timidiorem. At si voluntate sua timuit, cur timere voluit? vtique pro nobis, & pro nobis doluit. Augustinus vt se verum hominem ostenderet: & ne eius membra, ideſt fideles si quando tristarentur, putarent id esse peccatum. Quod vero tanta fuerit tristitia vt sanguinis grumi in terram caderent, etsi sint qui miraculo factum putent, tum etiam mysterio quodam vt totum eius corpus quod est Ecclesia, ipsius sanguine perfundi videretur, potius naturalem fuisse sudorem putat Mald. sed quia insolens est, miraculo fuit similis. Aristoteles ait id aliquando contigisse in hominibus teneræ & delicatæ complexionis; & vt videmus omnes subito correptos metu sudare, ita Christum naturaliter apprehenso ignominiosissimo genere mortis, vel potius concepta mortis causa, omnium hominum peccatis

sangui

sanguinem sudauisse. Ex D. Thoma.

38. *Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hic & vigilate mecum.*] Id est adeo tristis vt tristitia mihi mortem afferre videatur. vel tam tristis quasi si iam morerer. vt Psal. 11. Alios sedere iusserat, hos autem, vult vt futuros testes in statione esse & vigilia & oratione.

39. *Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi si possibile est transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*] Luc. *quantum iactus est lapidis.* Secessit vero oraturus vt sequeretur quod præcepit cap. 6. & vt cõsuetudinem & verecundiam seruaret, pudet enim coram aliis multa interioris affectus exteriora signa ostendere. Ex D. Thoma. Et doceret in oratione animũ profunde coram Deo submittendum in eo quod *procidit* in terram. Ex Marco vel *positis genibus.* Ex Luca. quod indicat non fuisse omnino in terram prostratum, vel vtroque modo orasse: *Si possibile est*: noverat absolute possibile esse Deo, sed posito decreto diuino vt pro nobis moreretur sciebat esse impossibile: Orabat tamen quia relinquebat naturam humanam partes suas agere, vt egisset si neque cum diuinitate fuisset coniuncta; nec de diuino decreto quicquam sciuisset. Idem enim valet *si possibile est*, & *si vis* Ex Aug. l. 3. de cons. Sciebat omnia possibilia, de voluntate autem dubitat, ideſt quasi homo dubitans loquitur. *Abba Pater* ad emphasim, vel ad explicationem facta duplicatio, idem enim significat Chaldaice quod Pater. Incipit à blanda inuocatione Dei, & laude: *Transeat à me* passio, mors ista terribilis:

cui

cut calix dicatur dixi cap. 20. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Non vt quidam putant hæc verba sunt Christi iam secundum rectæ rationis dictamen loquentis, cum priora fuerint eius quasi iuxta carnis infirmitatem rogantis; quia Christus secundum Spiritum & rationem non habuit voluntatem diuersam à Dei voluntate, vt quatenus talis dicere potuerit non mea voluntas sed tua fiat: sed rogat ac si prorsus fuisset homo, cui neque diuina voluntas cognita esset, neque satis esset fortitudinis ad mortem superandam: relinquebat enim naturam humanam veluti solam compressa diuinitate, vt plenius officio suo fungeretur; inter homines autem non quisquis contra diuinam voluntatem aliquid vult, continuo peccat, sed qui vult, dicit aut facit contra voluntatem Dei sibi cognitam; sicque humana voluntate Christus mortem recusabat cum Deus vellet vt moreretur. Præterea magis erat declaratio desiderij naturalis quam absoluta oratio, & conditionalis quam plena & perfecta. Nec enim dicebat apud se nolo mori, sed nollem mori si fieri posset, quæ voluntas peccatum non est adhibita honesta conditione, ideoque dici potest semper exauditum fuisse pro sua reuerentia.

40. *Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes: & dicit Petro sic? non potuistis una hora vigilare mecum.*] Non ab eis consolationem accepturus sed vt mœrore sopitos excitaret & moneret, & ter ad orationem se conuerteret. Marcus non omnibus sed soli Petro quæ sequuntur dicta ait *non potuisti una hora vigilare mecum*, vt notat Hier. & Chrysost. atque ita Chri-

Christum dixisse verosimile est: sed quia quod Petro dicebat tanquam cæterorum duci, omnibus dicebat. Hebraica phrasi vna hora pro vno momento temporis significatur, nõ enim constat Christum integram horam potuisse in oratione sed voluit tantum discipulorum negligentiam exaggerare: nec propterea indicat se per vnum tantum temporis momentũ orauisse. *Mecum*: quasi dicat me non solum vigilante sed etiam orante, sudante, pugnante cũ morte, vos qui me dormiente pugnare debebatis, nec vigilare quidem momento potuistis.

41. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est caro autem infirma.*] Non vt in tentationem non incidatis sed vt eam superetis. Ex Hier. Vel ne in pericula veniatis infirmitatis conscij, quia tutius est non pugnare quam vincere: sic oramus ne nos inducas in tentationem, reddit causam, quia etsi voluntas non desit vires tamen non suppetunt: Spiritum enim vocat non Spiritum sanctum sed discipulorum voluntatem, qua singuli vocem Petri secuti dixerunt: *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*, quam non improbat, sed ea potius laudata infirmitatis carnis admonet vt doceat orare.

42. *Iterum secundo abiit & orauit: Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*] Tantum valent duæ illæ actiones Hebraicæ ac si dixisset: Et reuersus secundo orauit.

43 44. *Et venit iterum, & inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati: Et relictis illis iterum abiit, & orauit tertio eundem sermonem dicens.*

dicens.] Quia quod ter fit, omnino perfecte, ac semper fieri videtur. Ex Chrysost. & docuerat nos semper orare, Luc. 18. Et quia ter Petrus negauerat: Et quamuis ter orauerit, huius tamen conditionis *non sicut ego volo sed sicut tu*, non est oblitus; *eundem sermonem dicens* ideſt nihil noui petens. Ideo forte Lucas vnius tantum orationis meminit, & statim narrat Angelum ei apparuisse, per ὕστερον πρότερον intelligendum est, & vt ex tribus Christi orationibus vnam ita ex tribus Christi cum discipulis colloquiis vnum fecit, & ea quæ in tertio colloquio acciderunt Iudæ scilicet cum cohorte ingressum cum primo coniungit.

45. *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: dormite iam & requiescite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.*] Sunt qui per ironiam & irrisionem somnolentiæ eorum dictum putant, vt Chrys. Alij serio quia apud Marcũ dicit *sufficit*, quasi dicat sufficit quod hactenus vigilastis, nunc dormire potestis. Ex Aug. l. 3. de conſ. cap. 4. metum demit ait Hilar. Per peccatores, Gentiles intelligit, vt ad Gal. 2. Nam Hebræi Gentiles peccatores appellabant, vt Luc. 24.

26. 27. *Surgite eamus: Ecce appropinquauit qui me tradet. Adhuc eo loquente ecce Iudas vnus de duodecim venit; & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à Principibus & Senioribus populi.*] Sic Marcus & Lucas vt doceant veram fuisse prædictionem Christi qua dixerat, *Surgite eamus, ecce appropinquauit qui me tradet*, idipsum & Ioannes aliis verbis dixit. Lucas prius turbam nominat, quod prius forte apparuerit, quam Iudas dux cohortis: ideo multi

veniunt,

veniunt, quia putabant maleficiis posse fugere ait Orig.

48. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*] Etsi Christus satis notus esset omnibus, tamen quia maior pars qui eum comprehensuri venerant, erat milites Gentiles qui eum audire non solebant, signo opus fuit: Alij quia Christus fecerat sua potestate vt non solum milites, sed ne ipse quidem Iudas eum agnosceret. Ex Leontio. Hoc autem signo potius quam alio vsus est vt quo militibus prodebat, eodem proditionem suam Christum celaret, non celasset autem si inusitatum dedisset signum: Erat autem vsitatum vt osculo se Iudæi præsertim superiores salutarent. Et quicumque magnum erga eos quos salutabant amorem ostendere volebant Gen. 29. 33. 45. Exod. 4. 18. Act. 20. Rom. 6. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. 1. Thes. 5. 1. Pet. 5. Putabat enim miser posse se Christo celus suum occultare, nec enim vere in eum crediderat: sed omnia miracula quæ viderat magicis artibus facta putabat quod Christus indicat Ioan. 6. *Sed sunt ex vobis quidam qui non credunt.* Quod propter Iudam dixit. Origenes aliam affert causam quod eum adhuc reuereretur, nec omnem adhuc pudorem exuerat ex Leont. Marcus addit. *Et ducite cautè.* Sciebat enim illum sæpe euasisse vt Luc. 4. Io. 8. metuebat ne promissa mercede fraudaretur. Ioannes ait: *Iesus autem sciens omnia quæ ventura erant super se, processit obuiam hostibus suis, & dixit eis: Quem quæritis?* Non quod ignoraret quem quærerent: sed vt data eis responsione conuenientem haberet

beret sese prodendi occasionem. Et palam faceret illos multum licet luminis afferentes, tamen se etiam præsentem, & cum ipsis loquentem ne agnoscere quidem posse, multo minus comprehendere nisi vellet agnosci & comprehendi. Itaque vox illa *quem quæritis* non est metuentis sed interriti & lacessentis. Ex Leont.

49. *Et confestim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi & osculatus est eum.*] Prius osculo & verbis scelus dissimulans, Christum salutauit quam vt Ioannes ait milites interrogaret *quem quæritis.* Bis quoque oportuit Christum eos interrogare antequam agnoscere possent: Si enim eos prius Christus interrogasset quam Iudas signum dedisset, opus non fuisset signo cum bis iam Christus dixisset: *Ego sum.* Ex Aug. l. 3. de cons.

50. *Dixitque illi Iesus: Amice ad quid venisti. Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.*] Declarat se scire ad quid venerit, & se proditorem suum verecundantem excitare, vt illi dixerat Ioan. 13. *Quod facis fac citius.* Et credibile est prius Christum dixisse *osculo filium hominis tradis.* Luc. 22. deinde *Amice ad quid venisti.* Mat. & Mar. postremo *quem quæritis* Ioan. 18. Ex Aug. l. 3. de cons. cap. 5. contrarium sentit Leont. *Tunc*, non est referendum ad proxima verba *amice ad quid venisti*, sed ad ea *Ego sum.* Ioan. 18. his enim potestatem illis comprehendendi sui fecit.

51. *Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.*] Hic erat Simon Petrus. Ioan 18.

Lucas

Lucas omnes discipulos qui aderant ad resistendum & armis pugnandum paratos fuisse indicat. Nec enim forte intellexerant, quod Christus dixerat Apostolis dicentibus: *Ecce duo gladij hic*, respondérat *satis est*, nec enim cum dixerat, *Qui non habet, vendat tunicam suã & emat gladium*, significauerat armis sibi opus esse aut iis discipulos vti oportere, sed tantum voluit indicare magnum sibi imminere periculum, quod non soleat ab hominibus nisi armis propulsari: Neque cum dicit *satis est*, significat duobus illis gladiis, hostibus esse resistendum, nec pluribus opus esse: sed dicit satis est; quia nec illis, nec aliis gladiis sibi opus erat: Cum ergo omnes interrogassent *si percutimus in gladio*, Petrus antequam Christus responderet, seruum Pontificis cæteris audaciorem percussit vt maiori audacia eum repelleret: Lucas indicat Malchi auriculam non omnino decisam, quia Christus non dicit eam reposuisse sed cum tetigisset eum sanasse. Ex Hier.

52. *Tunc ait illi Iesus: conuerte gladium in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.*] Quasi dicat digni sunt qui gladio similiter pereant, vt Gen. 9. Apoc. 13. Non enim omnes homicidæ gladio pereunt. Et de his intelligitur qui propria authoritate & voluntate illum accipiunt ad vindicandum. Ex Aug. 22. contra Faustum: nam Principes & iudices non ex seipsis accipiunt sed concesso à Deo gladio vtuntur. Ideo August. putat Petrum Christi permissu fecisse. Ex Luc. 22. *Sinite vsque huc*, quasi dicat sufficit auriculam abscidisse, de cætero mitte gladium tuum in vaginam.

nam. Verum Christus Petrum reprehendit, quia præter permissionem, imo & contra voluntatem fecit Ioan. 18. Et quia factum eius magis habuit speciem vindictæ quam defensionis, quid enim vnus contra cohortem?

51. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.*] Ex quo indicat se potuisse non mori si voluisset, contra Caluin. Et Deum duodecim legiones Angelorum quorum vnus sufficeret vt 4. Reg. 19. sibi mittere potuisse pro duodecim Apostolis, qui contra tantam turbam non poterant sufficere, nec tamen voluisse contra eundem, qui ait Deum non posse plura quam quæ actu vult, facere. Est autem legio agmen militare apud Romanos sex millium, vel peditum quinque millium, equitum trecentorum. Ex Hier.

54. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri.*] Luc. 24. Isa. 53. Dan. 9. Hoc dicit vt ostendat se non vi ad mortem trahi sed sponte ire, vt Patris decreto satisfaciat Ioan. 14.

55. 56. *In illa hora dixit Iesus turbis, tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis: hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ.*] Quasi dicat non eorum industria aut viribus se ab illis capi, sed Patris voluntate, & scripturarum decreto, vnde Luc. 22. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, ideſt nunc potestis facere in me quicquid libet, quia hora venit qua à Patre decretum est vt moriar.

Tunc

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.] *Omnes* pro plerisque dixit: nam Petrus & Ioannes sequuti sunt eum: Vel *omnes* dixit, quia paulo post vterque rediit cum prius diffugissent. Ex Theoph.

57. 58. *At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum vbi Scriba & seniores conuenerant: Petrus autem sequebatur eum à longè vsque in atrium Principis Sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris vt videret finem.*] Ioannes 18. ad Annam primum ductum fuisse ait: Et primam negationem Petri, primam examinationem de discipulis & doctrina, & primam colaphisationem: sed ex aliis Euangelistis constat tres negationes in domo Pontificis accidisse: Ioannes autem tacite rationem reddit cur ad Annam primum duxerunt, quia erat socer Caiphæ, cuius consilio vtebatur. Et verosimile est in via fuisse domum Annæ. Ex Aug l. 3. de Cons.

59. 60. 61. *Principes autem Sacerdotum & omne consilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cum multi falsi testes conuenissent: Nouissimè autem venerunt duo falsi testes & dixerũt: Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.*] Quid falsis testibus opus erat cum vellent eum siue iure siue iniuria damnare? quia volebant iuris speciem obtendere coram iudice Pilato. Falsos testes vocat, quia quod Christus dixerat, & malo animo & diuerso sensu, & aliis verbis recitarunt Ioan. & Mar. 14. Ex Orig. Chrysost. & Hier.

62. *Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi:*

nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat.] Non debebat Iudex surgere sed sedere, sed non loquitur tanquam Iudex in Tribunali sedens, sed tanquam Sacerdos in synagoga, vbi quisquis loquebatur aut legebat, solebat surgere Luc. 4. *Tacebat* autem Christus, quia sciebat etiam illorum iudicio non esse cõuenientia testimonia, contra se prolata. rursum sciebat in calumniam vertendum quicquid responderet.

63. *Et Princeps Sacerdotum, ait illi: Adiuro te per Deum viuũ vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.*] Vt te vulgo doces & sæpe nuncupas, ea enim de causa voluerunt Iudæi Christum lapidare Ioan. 10. Ideo credunt se meliorem causam non posse reperire vt ad mortem damnarent, quam si conuinceretur aliquando blasphemasse. Erat autem eorum iudicio magna blasphemia, si quis se Dei filium appellasset, quia non poterat naturalis filius Dei esse quin Deus esset, quod iudicium Arianos confutat. Lucas ait hæc ipsa accidisse facto iam die. Adiurandi autem ritus celebris fuit in veteri lege Num. 5. Ios. 2. quo abusus est hic Caiphas in vanum.

64. *Dixit illi Iesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.*] Mar. *Ego sum.* Lucas aliter respondisse ait *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Et vero simile est bis Christum de ea re interrogatum fuisse. Ex Aug. Et amplius quam interrogatur respondit, melius rebus quam verbis, quasi dicat, deinceps non videbitis me habitu rei vt nunc, sed habitu filij Dei sedentem

à dex

à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli, ideſt oſtendentem diuinitatem Hier.

65. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus: Ecce nunc audiſtis blaſphemiam.*] Gentes in luctu & indignatione: Iudæi autem in luctu, veſtimenta ſcindebant vt Gen. 37. 34. 44. Num. 14. 1. Reg. 4. 2. Reg 1. Deinde quando contra Deum blaſphemiam audiebant vt 4. Reg. 19. Putabat autem Caiphas magnam eſſe blaſphemiam quod Chriſtus filium Dei ſe eſſe diceret, ideoque clamat *blaſphemauit*. Ex Hier. & Chryſ.

66. *Quid vobis videtur: At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis.*] Accuſatores iudices facit, & accuſatoris partes ſuſcipit contra iuris ordinem. Lex iubebat lapidare blaſphemũ Leuit. 24. ideoque eum lapidare voluerunt. Ioan. 10. Ex Chryſ.

67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: Alij autem palmas in faciem eius dederunt.*] *Tunc* refertur confuſe ad totum tempus illius noctis, quia interrogatio Caiphæ de die facta eſt ex Luca 22. Et quæ hic narrat Matth. vt Petri negationem ile nocte facta ſunt, in domo Caiphæ. Ex Aug. l. 3. de conſ. Euang. Mar. & Luc. aiunt faciem eius prius velauiſſe, Ioannes autem prius quendam ex aſtantibus alapam dediſſe quaſi irreuerenter Pontifici reſpondiſſet, vide vt diligenter Euangeliſta opprobria exponat, gloriam maximam exiſtimans Dominum orbis talia pro nobis ſuſtinere vt ait Chryſ.

68. *Dicentes: prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.*] Quia vulgo inſignis Pro-

pheta habebatur cap.21. Et quia se filium Dei dixit per irrisionem eum velatis oculis cædentes sic interrogabant.

69. *Petrus vero sedebat foris in atrio: Et accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo erat.*] Foris quia non erat in interiori domo, sed in atrio & sub dio cum militibus prædiariis & famulis Pontificis & seniorum. hunc enim introduxerat Ioannes. Ex cap.18. Non appropinquabat Iesu ne aliqua suspicio ministris oriretur. Ex Hier. Lucas vero ait ad ignem tunc sedisse: erat enim ignis accensus in atrio: quem cum ancilla melius cognouisset, accessit, & Galilæum ignominiosè vocat, vt Iulianus omnes Christianos. Ex Socrate l.3. Hist.c.12. Ioannes ait ancillã interrogasse. *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius.* Lucas vero: *Et hic cum illo erat.* Itaque credibile est ancillam hæc omnia dixisse. Per fœminam seductus Adam, & princeps Ecclesiæ.

70. *At ille negauit coram omnibus dicens: nescio quid dicis.*] Sic respondere solemus cum longe nos abesse significamus ab eo crimine quod nobis obiicitur. Ioan. *Non sum.* Luc. *Non noui illum* Marc. *Neque scio neque noui quid dicas.* Credibile est Petrum hæc omnia dixisse. Hæsitare permissus est vt in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo de sua virtute confideret ait Leõ serm. de Pas.

71. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno.*] Exeunte foras, ante atrium in vestibulum, tunc gallus cantauit. Ex Marco, vnde infertur circiter fuisse mediam noctem, quia dixit antequam gallus bis vocem dederit,

ter

ter me negaturus es. Et vt Lucas ait *post pusillum*, ideſt, poſt tres horas ad minimum ad ignem rediiſſe, ne fuga cõfiteri videretur quod ſibi obiiciebatur. Iterum negauiſſe circiter horam quartam, & poſtea gallum cantauiſſe paulo ante auroram, vt ſolet, cum inter ſecundam & tertiam negationem fuerit vna hora ex Luca, ſequitur ſecundam negationem accidiſſe circiter horam tertiam, in qua à multis interrogatum fuiſſe Petrum ſcribit Ioannes. Marcus vero ita loquitur quaſi ab eadem ancilla fuerit interrogatus, vnde multi in eum errorem adducti vt ſepties Petrum negaſſe Chriſtum dixerint, contra Chriſti expreſſa verba ter me negabis. Credibile eſt ancillam etiam dixiſſe: *Nunquid tu ex diſcipulis eius es?* vt ait Ioannes. Et cum Petrus negaſſet affirmanter addidiſſe: *Et tu de illo es*, vt ait Lucas: deinde ad eos qui aderant conuerſam dixiſſe: *Et hic de illo eſt*: vt ait Marc. *nam cum Ieſu Nazareno erat*, vt ait Matth.

72. *Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.*] Probabile eſt prius dixiſſe *non ſum* vt ſcribit Ioannes: deinde cum ancilla aut ij qui aderant inſtarent, addidiſſe quod ait Lucas, *ô homo non ſum.* Poſtremo cum adhuc vrgerent; iuramento auxiſſe crimen vt ait Matth. *quia non noui hominem.*

73. *Et poſt pusillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro, vere & tu ex illo es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.*] Lucas vero ait: *alius quidam affirmabat dicens: vere hic cum illo erat.* Ioannes ait fuiſſe cognatum eius cuius Petrus abſciderat auriculam, qui affirmauit ſe Petrum in horto cum Chriſto vidiſſe, quem alij ſerui

secuti sunt Ex Aug. l. 3. de cons. Euang.

24. *Tunc cœpit detestari & iurare quia non noui hominem : Et continuo gallus cantauit.*] In prima negatione dixit *non sum.* deinde, *non noui illum.* postremo, *nescio quid dicas.* In secunda admisit iuramentum, in tertia execrationem, qua Christum aut seipsum potius diris deuouebat. *Et adhuc eo loquente*, vt ait Lucas *gallus cantauit*, vt appareat veram fuisse prædictionem Christi.

75. *Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat, prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.*] Cur non ante ad mediam noctem cum gallus cantasset ; forte galli vocem non audierat, aut quia semel tantum cantauerat sperabat se iterum non negaturum, aut quod verissimum non solo galli cantu, sed maxime Christi aspectu admonitus est vt ait Lucas. Ex Chrys. Sunt qui dicunt Petrum fidem perdidisse cum tantum negauerit: Alij nec mentitum quidem fuisse, sed salua veritate ambigue locutum ; quasi dicat non noui tanquam solum hominem sed tãquam Deum. Ita Hil. & Amb. Verius est peccasse quidem sed fidem seruasse : & magnam pœnitentiam egisse : nam quoties gallus cantauit toto vitæ suæ tempore in genua procidens lacrymas fudit. Ex Clem. *Egressus foras* quia pudebat in atrio vbi peccauerat pœnitentiam agere, vel ex Christi verecundia.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Condemnatus, crucifigitur, & sepelitur.

1. *MAne autem facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent.*] Vt factus est dies ex Luca. Ex quo intelligitur priorem illam congregationem ante noctis finem dissolutam fuisse vt facto iam die rursum congregati fuerint. Vide quam sollicite in malo tota nocte vigilauerunt vt patrarent homicidium.

2. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.*] *Cum ligassent.* Ex Marco, etsi fieri etiam potuerit vt vincula semel Christo iniecta, ad horã fuerint in domo Caiphæ relaxata, ac deinde rursum ei iniecta cum ad Pilatum deducendus esset, aut vinctus quidem tenebatur, sed non manibus. Mos erat vt quem morti adiudicassent ligatum iudici traderent. Ex Hieron. Ideo autem Pilato tradiderunt, quia dies erat festus. Ex Chryſ Vel quod affectati regni accusaretur. Ex Theoph. Vel quia Romani illis abstulerant potestatem iudicandi de capitalibus causis: Vel quia illis non licebat quemquam crucifigere sed aut lapidare, aut strangulare, aut vrere, aut gladio iugulare, vt cap. 5. volebant autem omnium ignominiosissimo supplicio occidere.

3. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & senioribus*] Quasi diceret nullã suæ salutis spem superesse: sed hoc ad Christum referendum quod cum damnatum videret retulit 30. argenteos non ad Sacerdotes qui erant in templo, sed ad Principes Sacerdotum qui erant in prætorio: quos cum accipere nollent in templum proiecit, μεταμεληθεὶς de peccato anxius, & non μετανοηθεὶς dolens & emendans quod fecit Petrus, quos Sacerdotes accepisse verosimile est donec Principes Sacerdotum decernerent quid de illis esset faciendum. hi autem dicuntur Christum morti tradidisse quia Pilato ad mortem damnandum tradiderunt clamantes *reus est mortis.* Ex Luc.

4. *Dicens: peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt quid ad nos, tu videris.*] Quasi dicat cupio vt receptis argenteis vestris, liberũ dimittatis quem innocentem confiteor: atque in quo prodendo peccasse me agnosco: sic Deus ordinauit vt innocentiæ testimonium omnes Christo redderent, Iudex, Iudicis vxor, & ipse proditor. Notanda excæcatorũ & amentium Principis Sacerdotum vox. Ex Amb.

5. *Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiit laqueo se suspendit.*] Conscientia non sinente vt iniuste partam retineret mercedem: præceps factus crepuit medius. Act. 1. cum forte rupto laqueo superuixisset. Ex Oecum. aut se præcipitem dedisset ex edito loco in quo se suspenderat in ficu, siue post Christi Resurrectionem: vel vt credibilius statim proiectis argenteis.

6. *Prin*

6. *Principes autem sacerdotũ acceptis argenteis dixerunt: non licet nobis mittere in corbonam quia pretium sanguinis est.*] Quia quæ in templo proiiciebantur Deo videbantur offerri: prius autem accipere noluerant ne viderentur rescindere venditionem & cogerẽtur Christum illi reddere. *Corbona* erat gazophylacium seu sacrum ærarium vbi templi oblationes recondebantur. *Mittere* pro remittere, quia inde elati fuerant: vnde publici sumptus ad templi causam & religionem pertinentes fiebãt, cuiusmodi causam esse putabant vt Christus qui se Dei filium dicebat occideretur; & verentur hoc sanguinis pretium accipere, & non verentur ipsum sanguinem effundere.

7. *Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.*] Non statim sed postquam crucifixus est, & forte post festum Paschæ sicque per anticipationẽ dictum. Bene expenderunt in sepulturam peregrinorum affatim confluentium Hierosolymam: pretium enim sanguinis conueniebat in mortuos impendi ad gloriam Christi, Spiritu sancto sic operante.

8. *Propter hoc vocatus est ager ille Aceldema, idest, ager sanguinis vsque in hodiernum diem.*] Idest, emptus pecunia qua hominis mors empta fuit; quod significat Christi morte cõparatam veram requiem iis qui velut peregrini degunt, ius supernæ ciuitatis consecuti: vel sanguinem Christi potissimum aduenis Gentibus profuturum percuntibus Iudæis in sua impietate.

9. *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: & acceperunt triginta*

argenteos. Pretium appretiati quem appretiauerunt à filiis Israel.] Non extat; sed apud Zachariam c.11. siue quia à Iudæis maligne deletum est; vel scriptum esset in his libris qui perierunt. vel in Apocrypho sicut Paulus de Ianne & Mambre citat ex Apocryphis. Sunt qui Zachariam binominem fuisse aiunt vt August. & Ieremiam etiam appellatum. Alij qui Ieremiæ prophetiam citari putant non quidem scriptam, sed per traditionem acceptam vt illud Luc. 13. de turri Siloe Christus citauit. Melius alij, Euangelistam nullius prophetæ nomen posuisse sed tantum dixisse: *Tunc impletum est quod dictum est.* Scriptorem vero aliquem cum putaret citari Ieremiam ad marginem posuisse, postea aliquem alium in textum inseruisse, quia in Syriaco nō habetur *pretium appretiati.* Hebraicè est decus pretij aut pretium æstimationis quem æstimauerunt à filiis Israel, ideſt, iis qui erant ex filiis Israel.

10. *Et dederunt eos in agrum figuli sicut constituit mihi Dominus.*] Hæc verba apud prophetam non habentur sed sensus.

11. *Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses dicens: Tu es Rex Iudæorum. Dicit illi Iesus: tu dicis.*] Erat inquit Ioannes *mane* quo significatum est eos Christi sanguinis fuisse sitibundos: metuebāt ne mora aliqua intercedente Dominus ipsis eriperetur, aut à populo tumultus fieret, metuebant ne non liceret sibi agnum paschalem quieta mente & religiosè sumere, si ante illius esum, non esset satisfactum illorum voto Eadem de causa ipsi nō introierunt in prætorium, ne contaminarētur ingressa domus gentilis: propterea Pilatum ad

eos.

eos foras exiſſe & interrogaſſe: *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?* quaſi dicat innocentem: ideo Iudæi reſpondent: *ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eū.* Poſt quæ verba cœperunt illum accuſare dicentes: *hunc inuenimus ſubuertentem gētem noſtram*, &c. Luc. quibus ſubiungenda verba Ioannis: *accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.* Dixerunt Iudæi: *nobis non licet interficere quemquam.* Addit Ioannes ideo hoc factum eſſe *vt impleretur ſermo Ieſu quem dixerat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Nēpe ſermo ille Matt. 20. *Filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum*, &c. Et tradent eum gentibus, ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum. Significat ergo Ioannes propterea Iudæos poteſtate ſibi à præſide facta vti noluiſſe quod ſecundum legem neminē crucifigere liceret, quo maximè genere mortis Chriſtum mori cupiebant, & Chriſtus ipſe ſe moriturum prædixerat. Poſt hæc vt ait Ioannes Præſes in prætoriū ingreſſus eſt, & foris manentibus Iudæis Chriſtum ad ſe vocauit, rogauitque: *Tu es rex Iudæorum?* ſi enim Rex erat, dubitari nō poterat quin tributa Cęſari dāda eſſe negaret. Hæc enim duo inter alia Iudæi Chriſto obiecerāt quæ ipſorūmet teſtimonio refelli poterant, à quibus interrogatus reſpōderat: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, &c. Et ipſum quoque ſoluere ſolitum, teſtes Romani erant aut Iudæi publicani. Et præmittenda reſponſio *à temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* quaſi dicat tu vtique ſcis me Iudęorum Regem non eſſe, terrenum videlicet: ſed iſta quæ rogas Iudæorum poſtulatione rogas. Reſpondit Pilatus: *Numquid ego Iudæus ſum?*

gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. quid feciſti? quaſi dicat cum, vt notum eſt, Iudæus non ſim ſed Romanus, rerum Iudaicarum ignarus ſum, neſciens quid ſit de rege quem expectare dicuntur. vnde ex me nequaquam profecta videri poteſt mea de rege Iudæorũ interrogatio ſed ex ipſa tua gente. Hæc ipſa & *Pontifices eius tradiderũt te mihi* Et hi te huius accuſant. Quid ergo feciſti. Reſpondit Ieſus: *Regnum meum non eſt de hoc mũdo, ſi ex hoc mundo eſſet regnũ meum, miniſtri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.* ideſt non eſt mundanum, nõ eſt terrenum, non eſt temporale ſed cœleſte, & ſpirituale. Regnum ſuum non ſolum beatorum ſocietatẽ ſed fidelium etiam in terris congregationem, ideſt Eccleſiam appellans quæ etſi in hoc mundo eſt, tamen de hoc mundo non eſt: & quia non ex terra, ſed ex cœlo originem habet, cũ eius caput Chriſtus à quo congregata & formata eſt, & charitas quæ eius vinculum, & ſpes, quæ præmia illi promittit, de cœlo dentur ſicut Chriſtus ait Ioan. 8. *Ego de ſupernis ſum.* Et quia eius conuerſatio in cœlo eſt, neque putat ſe hic habere ciuitatem permanentem ſed à Domino peregrinari quatenus homo eſt, quatenus autẽ Deus eſt, non ſolum ſpiritualis ſed etiam temporalis totius mundi & ſuperioris & inferioris Rex eſt, qui ideo habet in femore ſcriptum *Rex Regum & Dominus dominantium* Apoc. 19. Hac occaſione Pilatus intulit *Ergo rex es tu?* tunc reſpondit quod hic Matthæus: *Tu dicis*, non ambigue ſed modeſte ſe regem eſſe ſignificans ex Aug.

12. *Et cum accuſaretur à Principibus ſacerdotũ*

&

& senioribus nihil respondit. Luc. 24. ait Pilatum postquam Christum interrogasset an ipse Rex esset vt ait Ioan. 18. ad Iudæos qui extra prætorium expectabant exiisse, dixisseque: *Ego nullam inuenio in eo causam*, ideſt culpam, vt flagellatus ita modo ſilet accuſatus, vt patientiæ det exemplum ait Hier.

13. *Tunc dicit ei Pilatus: non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehemēter.*] Lucas refert hæc teſtimonia, vt *commouet populum*, ideſt facit ſeditioſum. *Incipiens à Galilæa vſque huc. & vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus.* Herodem autē viſo Chriſto gauiſum eſſe: & cum nihil reſponderet contēpſiſſe eum, & veſte alba, per opprobrium, indutū ad Pilatū remiſiſſe, factos amicos Pilatū & Herodē ex eo die cū ante inimici eſſent. Cum Chriſtus ad Pilatum remiſſus eſſet, Pilatū conuocatis Principibus ſacerdotum, & magiſtratibus atque plebe dixiſſe: *Obtuliſtis mihi hūc hominem quaſi auertentē populum; & ecce ego coram vobis interrogans nullā causam inueni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis, ſed neque Herodes, nam remiſi vos ad illum. Et ecce nihil dignum morte actum eſt ei: Emendatum ergo illū dimittam:* caſtigatū dimittam quod aut de verbis aut de verberibus poteſt intelligi. Ad hanc Pilati vocē cœperunt Iudæi vehementius inſtare, & accuſare Chriſtum, & tunc Pilatum dixiſſe: *non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia*, vt hic refert Matth. Tacet autem nunc, quia non iam de ſumma rei ſed de commotione populi, de doctrina & aliis huiuſmodi agebatur,

quas

quas cum palam feciſſet nemo poterat ignorare. Et quia ſi reſpondiſſet, ſciebat Iudæos non credituros. ex Chry. aut ad iracundiam lapſuros & ſuam culpam aucturos. 3. ne ſi crimina diluiſſet dimitteretur, & crucis fructus, ideſt ſalus noſtra periret, ex Hier. 4. quia defenſione non indigebat ex Amb. 5. vt prophetia impleretur Iſa. 53.

15. *Per diem autem ſolemnem conſueuerat præſes populo dimittere vnũ vinctũ quem voluiſſent.*] In memoriã populi liberati ex Ægypto vinctũ die Paſchæ è carcere liberabant ex Orig. vel à Romanis, vt ſibi populi gratiam conciliarent, conceſſum vel confirmatum hoc priuilegium.

16. *Habebat autem tunc vinctum inſignem qui dicebatur Barabbas.*] Nobilem ſcelere, & improbitate latronem. Ioan. 18.

17. *Congregatis ergo illis dixit Pilatus: quem vultis dimittã vobis, Barabbam an Ieſum qui dicitur Chriſtus.*] Pilatus nullam occaſionem abſoluendi Chriſtum prætermittit vt ſupra dictum eſt. Prius interrogauit *quam accuſationem affertis?* quaſi dicat quid huic homini iuſto obiicere poteſtis. Deinde dixit: *nihil inuenio cauſæ* Luc. 3. remiſit ad Herodem. 4. cum hoc Iudæorum rabiem non mitigaret, caſtigare voluit verbis aut flagellis. Luc. Nunc proponit vt ſaltem ſolemnis feſti reſpectu ſicut alij facinoroſi dimitti ſolent Chriſtus dimitteretur, & ſaltem Barabbę omnium ſceleratiſſimo præferretur. Poſt hæc etiam Chriſtum dimittere conatus eſt: cum enim vrgerent Iudęi: *Tolle, tolle, crucifige eum.* reſpondit: *Regem veſtrum crucifigam?* Ioa. 19 quaſi ipſorum honori cõſuleret. Multo vero magis cum ad eum vxor nuntiũ miſiſſet,

nihil

nihil tibi & iusto illi. Et cum ex Iudæis audiuit filium Dei se facere. prius enim religione & æquitate, post etiam metu absoluere conatus est.

18. 19. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem eo pro tribunali misit ad eũ uxor eius dicẽs: nihil tibi & iusto illi.*] Idest, ne te eius negotio immiscas, ne eũ cõdemnes, ne quid tibi mali eueniat, vel ex pietate qua forte ante, vel tunc primum edocta credidisset.

Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.] Quid viderit aut audierit in somniis non exprimit Matth. vnde nihil certi de eo proferre possumus, nisi quod grauiter fuerit afflicta, & Christum innocentem, & filium Dei esse cognouisse, & ea prospexisse mala quæ erant euentura Hierosolymis. Somnium autem hoc non à natura sed à moribus vel à diabolo ex Ignat. vel à Deo immissum ex Origen. qui saluam fuisse ait: tum vt ab vtroque sexu testimonium Christus haberet suæ innocentiæ: tũ quod non creditum fuisset Pilato qui videri potuisset ad gratiam loqui, ideo coniugi potius quam Pilato Deus iniecit, ex Chry.

20. 21. 22. 23. *Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autẽ Prases ait illis: quẽ vultis vobis de duobus dimitti? at illi dixerũt Barabbam. Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? dicunt omnes, crucifigatur. At illis Prases: quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: crucifigatur.*] Quasi dicat si vultis vt crucifigatur, causam reddite. Post hæc quæ Matthæus & Marcus narrant scribit Ioannes verberibus cæsum, spinis coronatum, purpura indutum, & ad

Iudæos

Iudæos productum fuisse, dicente Pilato. *Ecce homo*, vt vel miserabili spectaculo feroces animi Iudæorum placarentur. Ioann. 19. Sunt etiam qui bis Christum dicunt flagellatum, primum hoc loco ad mitigandos Iudæos; deinde cum iam condemnatus esset, eo quod Romanorum esset consuetudo vt neminem nisi prius flagellatum crucifigerent ex Hier.

24. *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo dicens: innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis.*] Non excusat Pilatum sed Christum, dum ait, non vllo probato crimine, sed solo metu seditionis Christum damnauisse, & ita vt damnando absoluerit. Mos autem erat Iudæis innocentiam suam testari ablutione manuum. Deut. 21. Psal. 25. At graue scelus Pilati hac ceremonia non abluebatur. nec verbis quibus se innocentem dicit, quia damnato iusto, innocens non erat.

25. *Et respondens vniuersus populus dixit: sanguis eius super nos & super filios nostros.*] Nos & filij nostri, si culpa est, pœnam luemus. perseuerat adhuc hæc imprecatio super Iudæos ait Chrys.

26. *Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur.*] Ex spinis, funiculis, aut loris vel potius virgis more Romanorum, quorum legibus crucifigendus prius verberabatur. ex Hier.

27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.*] Quasi dicat, sub idem tempus, paulò ante, factum enim est ante condemnationem

tionem ad crucem, vt in tribunal Prætoris quasi Rex irrisionis causa collocaretur, ideo corona illi imposita, purpura induitur, & pro sceptro arundo ei datur, & vniuersa cohors.

28. *Et exuentes eum chlamydem coccineam circunderunt ei.*] Purpuream quæ erat Regum habitus 3. Esd. 3. Mach. 10. & 11. ex Hier.

29. 30. 31. *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genuflexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum, & expuentes in eum acceperunt arundinem & percutiebant caput eius: & postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent.*] Hæc faciunt vt significent non verum sed ridiculum Regem esse. Ex Hier.

32. *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.*] Quid sit angariare diximus c. 5. Ioannes 19. scribit Christum crucem suam baiulasse scilicet per totam vrbem, in exitu vero vrbis angariatus est Simon Cyrenæus siue Gentilis seu potius Iudæus vt cum eo vsque ad locum vbi crucifigendus erat portaret; quia & vigilia, & flagris adeo fatigatus erat, vt vltra portare non posset. Lucas ait mulieres secutas fuisse Christum, magnámque populi multitudinem quæ plangebat & lamentabantur eum, quas verat propter se flere, indicans se non vi sed sponte ire ad mortem. Iubet autem eas propter seipsas flere, quod ipsæ essent pœnas mortis suę luituræ, cuius causa Hierosolymitanum excidium immineret. Non quod illę ipsæ forte calamitatem subituræ essent, sed quia tunc futuræ erant.

33. Et

33. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.*] Quod rotundus esset Cranium appellatũ, quod ibi Adam primi hominis caput repertum esset. vel potius quod ibi facinorosi homines decollarentur; ideoque humanis capitibus plenus esset, ex Hier.

34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.*] Myrrhatum vinum Mar. 15. non felle infectum. Probabile vinum myrrha, & felle simul fuisse permistum: sed constat fuisse diuersum: nam Matth. & Marc. non obscure significant antequam in crucem tolleretur myrrhatum illi vinum datũ fuisse, quo crucis dolorem minus sentiret. Lucas vero & Ioannes non solum iam crucifixo, sed etiam extremum exhalanti spiritum, cum omnes iam cruciatus perpessus esset illum alitũ potum porrectum fuisse tradũt: deinde Matth. & Marcus vinum fuisse dicunt: Lucas vero & Ioannes acetum, hoc spongia, illud vase, hoc petenti in cruce & dicenti *sitio*; illud non petenti datum, vt notat Baron. tom. 1. Marcus ait non accepisse, idest, non bibisse, gustasse tamen ne contemnere datum de more vinum videretur: vt autem ostenderet se ad ferendos crucis dolores eo medicamento non indigere, bibere noluisse, vt notat Aug. l. 3. de cons.

35. 36. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes, vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: & sedentes seruabãt eum.*] Lucas ait dum crucifigeretur pro crucifigentibus orasse *Pater dimitte illis, &c.* Ex Ioanne patet non omnes Christi vestes, sed solam tunicam

tunicam sortitione distributam, eam videlicet inconsutilem, quam à matre adhuc puero factam acceperat. Magna Christi abiectio, diuisio enim vestimentorum fit in vilibus, & nihil aliud habentibus, ex Chrys.

37. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam : Hic est Iesus Rex Iudæorum.*] In tabella tribus linguis magnis characteribus, vt à prætereuntibus legi possent. Credibile etiam est latronibus positum fuisse titulum. Ex Ruffin. l. 1. hist. c. 7. ex alijs Euangelistis: *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum :* vt ex illo ipso titulo quo Iudex declarare voluit merito damnasse ; immerito damnasse declararet.

38. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & alter à sinistris.*] Vt impleretur Prophetia Isa. 53. & vt Pilatus iniquitatis suæ velamentum quæreret; vt quem admodum pœnæ, ita etiam culpæ similitudine Christus vna cum latronibus damnatus esse videretur. & vt ignominiosior esset mors, ex Hier. in medio autem crucifixus est; quia omnes ad se peccatores vocat; & vt doceret Ecclesiam mediũ inter Hæreticos tenere: & omne humanum genus ad passionis Sacramentum vocari, ex Hil.

39. 40. 41. 42. *Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua ; & dicentes ; Vah qui destruis templum Dei & in triduo illud reædificas : Salua temetipsum : Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes sacerdotũ illudentes cum scribis & senioribus dicebant: alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.*] In signum irrisionis, non commiserationis aut admirationis mouebant capita dicentes ; si Messias

&

& filius Dei est, qualem se professus est, descendat de cruce, &c.

43. *Confidit in Deum: liberet nunc si vult eum: dixit enim: quia filius Dei sum.*] Hoc Dauidis testimonium proferunt contra seipsos, quasi dicerent, liberet eum Deus quem amauit. *Si vult*, idest si eum amat. Et sua irrisione verum esse Christum, eum esse probant, dum Dauidis de illo Prophetiam implent. Quasi vero Prophetæ & iusti non fuerint, quos Deus à periculis non eripuit, ait Hier.

44. *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant.*] Lucas vero vnum latronem hæc cõuitia iactasse dicit, sed Matth. & Marc. plurali per syllepsim vti sunt. vt Ps. 21. Reges pro Herode, ad Heb. 11. obturauerunt ora leonum, de solo Daniele: & secti, de solo Isaia. Lucas ait alium latronem respondisse, & eum qui blasphemabat reprehendisse. *Neque tu times Deum?* quasi dicat, non solum non reuereris, sed ne quidem times Deum; vel non solum homines, sed nec Deum times. Sensus erit sic, non solum isti qui cum pœnæ nihil patiantur, nulla commiseratione pœnarum istius hominis mouentur, quin potius metus Dei obliti contumelias in eum iaciunt, sed ne tu quidem, qui cum eadem pœna afficiaris, non conuitiari sed misereri debuisti, *Deum times*; sed eius potius sicut cęteri timoris oblitus, afflicto afflictionem addis: hoc est; *neque tu times Deum qui in eadem damnatione es.*: Fit enim comparatio inter latronis & Christi pœnam, non inter alterum latronem aut Iudæos. Et hic sensus recte cadit in hunc locum. *Et nos quidem iustè, hic vero nihil mali gessit*, prudenter se cum altero latrone

latrone connumerat, vt melior fit reprehensio. Et dicebat ad Iesum: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, non ad regnandum sed iam regnans, non ad acquirendum regnum, sed regno iam acquisito, & Regem & Deum confitetur, & resurrecturum indicat: credebat etiam post mortem peccata remitti, quod alibi quam in purgatorio fieri non potest. Aug. l. 6. cont. Iul. c. 5. videbat enim se paulo post moriturum esse, & orauit tamen Christum vt sui post mortem memor esset, idest, sibi peccata condonaret. Et dixit illi Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quasi dicat, non solum tibi peccata remittam, sed optimo te loco collocabo, hoc est, in paradisum inducam, idque *mecum*, iuxta me; vbi ego ero, in Paradiso, idest, in cœlo, quia Christus quatenus est Deus, est vbique ex Cyril. Chrys. hom. 2. de cruce. Alij in loco Adæ vbi fuit terrestris Paradisus: vel potius in sinu Abrahæ; quia in eum locum eodem die Christus descensurus erat. Ad hunc locum referuntur quæ scribit Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus*, non commendat illi discipulum, sed ipsam discipulo.

45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.*] Marcus 15. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum;* vnde colligunt quidam cum tenebræ factæ sunt, Christum per tres iam horas in cruce pependisse. Ioannes videtur Marco contrarius, qui hora sexta à Pilato damnatum dicit: sed notandum vt diximus c. 20. Hebræos diem in duodecim horas quas Astronomi vsuales & inæquales vocant distribuisse: 12. rursus horas in 4. partes: sicut & horas noctis diuidebant

in

in quatuor vigilias. Quatuor autē partes diei, quarum singulæ tribus constabant horis: quia proprio carebant nomine, à fine præcedentis diei nomen accipiebant. Itaque totum trium horarum spatium quod inter solis ortū & horam diei tertiam interiectum erat, ab hora tertia quæ vltima erat hora, tertia vocabatur. Cōsuetudo tamen inualuit vt horæ sequentes ex præcedentibus nomen acciperent, sicut nos postquam meridianæ signum datum est, vsque ad horam primam meridianam horam appellamus, cum non propriè meridiana, sed prima pomeridiana sit: nam meridiana ea est quæ ab vndecima inchoatur, & duodecima finitur, itaque aliquando dicimus de spatio loquentes quod inter vndecimam est, esse horam vndecimam, aliquando esse duodecimam, nunc à principio, nunc à fine nomen accipientes. Eadem prorsus consuetudine Marcus & Ioannes locuti sunt. Nam quia Christus damnatus & crucifixus fuit eo temporis spatio quod est inter finem horæ tertiæ, quod idem sextæ initiū erat, & finem sextæ quod erat initium nonæ, Ioannes ex fine spatium illud appellās vocauit horam sextam. Marcus ex initio vocauit tertiam: vnde credendum est Christum post horam decimam & semis, si nostro more horas numeremus damnatū fuisse; vnde Ioannes ait: *quasi sexta hora* damnatum esse. Post vnam circiter horam nostram, ideſt hora vndecima & semis crucifixus est, quam Marcus horam tertiam appellat. itaque per dimidiatam horam crucifixio iam fuerat, cum tenebræ factæ sunt. qua dimidia horæ parte & vestimenta à militibus distributa, & conuitia à Iudæis in Christū iactata,

iactata, & latroni paradisus promissus. Vnde patet non per sex horas, ideſt, à nona matutina vsque ad tertiam prometidianam in cruce viuum pependisse, non potuit enim plus quam quatuor horis pendere. Cum post horam vndecimam crucifixus fuerit, hora nona, ideſt, tertia prometidiana, aut paulo post expirauerit. Exprimunt autem tres Euangelistæ sextam horam, ideſt, meridianam quo maius miraculum appareat: tunc cum maximè Sol vigeret tenebras fuisse factas, vt prædixerat Amos 8. c. Ex Mald. quales obscurato plena Eclypsi sole fieri solent, non quales media nocte: nam neque Christi mater, neque Ioannes, neque milites discesserunt: Quidam aiunt factas fuisse naturali eclypsi solis vt Aug. & Orig. Alij non quidem naturali, sed supra naturam, luna recedente retro & ad solis locum redeunte: alij per radiorum subtractionem, Solem obscuratū fuisse putant. vt Hier. Alij per nubium densarū oppositionem factas fuisse tenebras vt Exod. 10. ex Orig. Ad significandum Iudæorum cæcitatem, vel in tanti sceleris detestationem, vel ad declarandum iram diuinam sic Ierem. 15. Ezech. 32. Ioel. 2. Amos 8. Vel ad expergefaciendos Iudæos vt miraculi magnitudine cōmoti Christū agnoscerent. Vel potius vt Christi diuinitatē testarentur. Matthæus ait super vniuersum orbem factas fuisse tenebras. Alij super solam Iudæam vt Christi diuinitas & doctrina Iudæis testata esset. vt Orig.

46. *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli Eli lama Sabathani.*] Ideſt, circa tertiam pomeridianam nostram Exclamauit supra naturā moribundus, vt ostenderet se

se viuere, & magna in morte sua esse mysteria, & omnes qui aderant Psalmi verba recognoscerent; ex Chrys. & de quo ea scripta essent, credibilius est dixisse, Eli quam Eloi, vel Eloai: nam qui aderant, nutabant Eliam inuocare. Hæretici Christum de sua salute desperasse aiunt, cum dixit se à Deo derelictum. Quod ipso Christi morientis facto refutatur, dixit enim; *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Luc. 23. Nec vero necesse erat, nec potuit omnes damnatorum pœnas experiri. Sed hoc non sua sed nostra, id est, omnium peccatorum persona protulit: vel dicendum Christum tãquam hominem hæc verba dixisse, pro seipso; sicut dixerat: *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* quasi esset purus homo & se à Deo derelictum quereretur.

47. *Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.*] Iudæi, plebs, non sacerdotes, vel docti sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi ex Hier. vel Romani milites qui Christo acetum porrexerant. Luc. 23.

48. *Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto.*] De more ibi posito; quia hominibus crucifixis aut cruci affigendis dari solebat, vt citius morerentur, vel potius vt recrearentur qui exanimarentur metu mortis, quibus acetum hyssopum aceto mixtum porrigebatur, ex Baron.

49. *Cæteri autem dicebant: finite videamus an veniat Elias*] Marcus, non cæteros sed eum qui acetum daturus accurrerat, acetum ei dedisse ait: ne antequã veniret Elias moreretur, quem venturum sperabant ante Christi aduentum.

50. *Iesus*

50. *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit Spiritum.*] Quia iam ante voce magna clamauerat, vt ostenderet se non timide, sed confidenter mori, non ex infirmitate sed ex voluntate sua, vel vt Patri se esse concordem declararet; & quousque se propter peccata demisisset. Vel potius vt suam diuinitatem patefaceret, vt qui supra humanam naturam in ipso extremo spiritu tam magna voce clamaret, plus quam homo crederetur. Lucas expressit quid clamans dixerit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:* ne derelinquat in inferno animam, quò descensura erat; & ne det sanctum videre corruptionem; vel vt ait Mald. commendat tanquam qui confidat amico iter facturus quod domui suæ charissimum haberet. Prius voce clamauit, deinde caput inclinauit, & postea dixit; *consummatum est*, & denique *tradidit Spiritum*: quasi diceret, nihil mihi iam patiendum supereſt, tempus est vt animam ponam, ex Hier. Vnde ex hoc nihil habent hæretici ad tollendum Eucharistiæ sacrificium, vel bonorum operum satisfactionem, quamuis demus significari voluisse, se impleuisse omnes Prophetias, omnia veteris legis sacrificia,

51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt.*] Simul atque Spiritum emisit, Lucas per anticipationem iunxit cum tenebris veli scissionem, ex Aug. l. 3. de cons. quia nos ablato velo, reuelata facie contemplamur, ex Orig. 2. Cor. 3. Alij synagogæ abrogationem, ex Aug. Alij velum quasi vestem fuisse templi, & vt Iudæi in luctu vestem scinde-

bant; ita templum moriente Christo vestem suam discidisse, vt Eutym. Alij Iudaici populi in diuersas partes diuisionem, vt Hil. Alij propalatam esse sanctorum viam, Heb. 9. Origenes ait in sola Iudæa factum terræ motum, alij etiam in Thracia vndecim vrbes corruisse: quo declarabatur Christi diuinitas, & ira quæ Iudæis imminebat. vt Ioel. 3.

52. *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*] Viuente adhuc Christo, vt putat Chrys. Theophylactus, statim post mortem. Alij melius post Christi resurrectionem. Qui autem tunc cum Christo resurrexerunt, mortuos fuisse iterum putat Theoph. alij melius non iterum mortuos sed in cœlum euectos fuisse.

53. *Exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.*] Hierusalem sanctam vocant propter templum, & sanctum sanctorum. ex Hier. Apparent *multis* nō omnibus sed quibus oportebat Christi] resurrectionem confirmare; vt Christus solis Apostolis & tantum alijs fidelibus visus est, quia non generalis erat resurrectio: ait Hier.

54. *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes verè filius Dei erat iste.*] Marcus ait validū Christi morientis clamorem, & factas in vniuersa regione tenebras, &c. Centurionem mouisse, vt glorificaret Deū, id est, veritatem confiteretur, Christum esse Dei filiū. Et vt Lucas ait, verè hic homo iustus erat, & verosimile est vtrumque dixisse, & iustū pro Dei filio posuisse. Ex Aug. l. 3. de cons. c. 20.

55. *Erant*

55. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei.*] Seruientes ei, & de facultatibus necessaria suppeditantes. Mos enim erat Iudæis, vt mulieres victum & vestitum præceptoribus ministrarent, quod ne scandalum faceret, Paulus abiecit vt notat Hier.

56. *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.*] Lucas ait, *stabant autem omnes noti eius à longe*, quod de mulieribus, & alijs qui ibi erant, non de discipulis intelligendum, qui fugerunt, neque de Ioanne & Christi matre, quæ stabat iuxta crucem, seruientes ei, & de facultatibus necessaria suppeditantes, sicque mulieres mortis & sepulturæ Christi testimonium dederunt: Apostoli Resurrectionis. *Ioseph mater* erat soror matris Domini c. 12. *Et mater filiorum Zebedæi* quæ Salome vocabatur, Matth. 4. Ad hunc locum referenda sunt, quæ Ioannes à cæteris Euangelistis prætermissa exponit. *Iudæi ergo quoniam Parasceue erat vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Die Parasceues & de magno illo die diximus c. 26. Innocentem occidere non ducunt religioni, ducunt vero mortuum in cruce relinquere. Addit Ioannes: *Venerũt ergo milites & primi quidem fregerũt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.* Ex quo colligitur morem fuisse vt crucifixis, quo citius morerentur aliquando frãgerentur crura: sed vnus militũ lancea latus eius aperuit, & cõtinuo exiuit sanguis & aqua; ideoque cum videt se viuo illudere non posse,

illudit mortuo : quod diuino consilio factum est, vt inde sanguis & aqua emanaret, nostræ salutis symbolum, quibus duo præcipua Sacramenta significat, ex Cyril.

57. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, qui & ipse discipulus erat Iesu, nomine Ioseph.*] Cum iam dies ad vesperum inclinata esset, quia si vesper fuisset nõ licuisset hominibus iustis Christũ de cruce deponere, & sepelire : quia Sabbatum etiã à vespere incipiebat : dicitur *diues*, quia huiusmodi homines apud Præsides & Iudices gratiosi esse solent, ex Aug. l. 3. de cons. c. 22. Lucas addit nõ consensisse consilio, & actibus Iudæorum, de capiendo, & crucifigendo Christo. ex Hier.

58. *Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu : Tunc Pilatus iussit reddi corpus.*] Antequam Sabbatum veniret, Marcus admiratum fuisse Pilatum, cum audiret tam cito mortuum esse Christum, & petiuisse à centurione num verè mortuus esset, vt de eius morte postea testis esset, ne quis postea diceret, non vere surrexisse, qui vere non fuisset mortuus ; sed viuus adhuc de cruce sublatus, & in sepulchrum inclusus.

59. 60. *Et accepto corpore, inuoluit illud in sindone munda. Et posuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.*] Hoc ad sepulturæ Christi honorẽ facit, nõ enim solent in huiusmodi sepulchris, nisi magni viri & nobiles sepeliri. Ioãnes addit Ioseph um aromatibus etiam Christi corpus condijsse, *sicut mos est Iudæis sepelire*, quia primarij viri ita sepeliebantur, ex Hier. & Orig.

61. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum*] Mater Iacobi & Ioses ; quæ obseruabant vbi Christi corpus

corpus poneretur, vt elapso die Sabbati rediret, & illud vngerent cum aromatibus.

62. *Altera autem die, quæ est post Parasceuen: conuenerunt Principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum.*] Id est, die Sabbati quo eo anno Iudæi Pascha etiam celebrabant. Inquieta ipsa malitia, quia quem ad mortem perduxit necdum tamen quieuit, etiam post mortem virus exercet, ait Hier. Nam sibi magis metuentes, solliciti sunt, quo modo & Resurrectionis eius gloriam supprimant, Deo se volēte in suam & Christi sui gloriam, & Iudæorum confusionē.

63. *Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: post tres dies resurgam.*] Impostorem, deceptorem vocant pro veneno suo in illum odio: Non sufficit scelus mortis nisi post mortem famam eius lacerent, ait Hier. Intra tres dies. dixerat enim se tertia die resurrecturum non autem post tres dies.

64. *Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.*] *Vsque*, non significat initium sed finem tertij diei; quasi dicat: iube custodiri sepulchrum donec elapsus sit tertius dies, ne furentur eum nocte, & erit error nouissimus, si discipuli populo persuadeant eum resurrexisse, peior priore; quod Christus esset filius Dei, quia in posteriore, prior continetur.

65. *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam; ite, custodite sicut scitis.*] Habete, accipite, quasi dicat, quicquid militum habeo, in vestra est potestate; non enim loquitur de Iudæis militibus qui templum custodiebant, cum dixit; *habetis custodiam.* Quid enim opus fuisset, vt post resur-

rectionem copiosam pecuniam pollicerentur Principes sacerdotum militibus? Matt. 28. vt mentirentur Christi discipulos dormientibus se venisse, ac de sepulchro sustulisse corpus: sponte enim sua mentiti fuissent.

66. *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.*] Quanta stultitia, & infaelicitas signare sepulchrū eius quem viderant mortuum de sepulchro suscitasse, ait Hil. duplicitet munierunt: Nam & adhibuerūt circa sepulchrum militum custodiam, & lapidem, qui claudebat os sepulchri, obsignauerūt, & signillauerunt: ne quid fraudis esse posset vel in custodibus: ita dum resurrecturo conantur exitum occludere, miraculum, & fidem resurrectionis auxerunt. ex Hilar.

CAPVT XXVIII.

Resurrectio nuntiatur ab Angelo.

1. *VEspere autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum.*] Quoniam de accessu mulierū ad sepulchrū diuersimode loquuntur Euangelistæ quidam bis vt Hier. quidā quater, venisse putant. Matthæus mane *cum adhuc tenebræ essent*: vt Ioannes profundo adhuc diluculo seu *valde diluculo*. vt Lucas *orto iam sole*, vt Marcus: Alij alias putant fuisse mulieres, & duas fecerunt Magdalenas quarum altera *vespere*, altera *mane* venerit vt Amb. Verum vnam tantum fuisse Magdalenam patet, cum nihil ad eam distinguendam ab altera apponatur. Alij dicunt & easdem fuisse mulieres, & semel tantum ad sepulchrū venisse, ea saltem nocte quæ Sab

Sabbatum sequuta est. Vespere venire cœpisse peruenisse; veniebāt autem vespere quia ad veniendum se parabant, aromata comparantes ita Beda. Alij vesperam totā noctem a Matthæo appellatam dicunt. verum cum vesperam Sabbati vocat nō vespertinum tempus, quod inter diem & noctem est, sed totā noctem Heb. more intelligit cuius extrema parte, id est mane iam lucescente mulieres ad sepulchrum venerunt. nam nō dixit ἑσπέρας σαββάτων vespera autem Sabbati, sed ὀψὲ δὲ σαββάτων ideſt sero Sabbatorū, aut tarde Sabbatorū, si ita dicere licet. vt notat Greg. Naz. ideſt multo ante transacto Sabbato. vt 1. Reg. 20. vesperum diei tertiæ sequentē noctem appellat, & Exod. 12. Leuit 23. Num. 9 vnde patet cōsensus inter Euangelistas: nō enim vespertinū simul & matutinū tepus sed solum matutinū intellexit: dixit autem *quæ lucescit* cum tamen nox esset; quia Heb. lucescere tēpus dicitur cū incipit, translata ex die significatione, quia tunc incipit dies esse cum incipit illucescere, ideſt appetere, appropinquare Luc. 23. *in prima sabbati* Græce in primam, in vnam Sabbatorū. Sabbatū autem significat vel totam hebdomadā, vel diem septimū. Prima vero Sabbati est primus dies hebdomadæ seu nostra Dominica. quę & quia in ea creatus & postea redemptus resurgente Christo fuit mundus, loco Sabbati Iudæorum cœpta fuit celebrari. Quo modo autē Euangelistæ conueniant in descriptione tēporis quo mulieres venerūt ad sepulchrū, sant qui Marci locū corrigunt *orto iam sole* addita negatione οὐκ nondū orto sole sed sequēda cōmunis interpretatio vt mulieres *valde mane*, vt ait Marcus: Et *cū adhuc tenebræ essent*,

vt ait Ioannes domo egressæ fuerint; orto vero iam sole ad monumẽtum peruenerint: nam etsi nõ magno ab vrbe distabat spatio, tamẽ mulieribus satis magnũ erat vt cum adhuc tenebræ essent egressæ domo, non nisi iam oriente sole ad sepulchrum peruenerint, ex Mald. *Altera Maria* est vxor Cleophæ mater Iacobi Minoris & Ioseph c. 27. Nominat etiam Marcus *Salomem*, quæ mater erat filiorum Zebedæi Luc. 27. multo etiam plures; vnde quidam, vt Greg. Nis. Orat. 2. de Resur colligunt Christi matrẽ iuisse ad sepulchrum, quod tamen Euangelistæ non tacuissent, sed primo loco nominassent. Ioãnes causam non refert: ex quo quidam inferunt bis venisse vt sepulchrum viderent: quod Matthæus: & vt vngerent quod Marcus: seu portantes aromata, quod Lucas ait. sic Hier.

2. *Et ecce terra motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo. Et accedens revoluit lapidem, & sedebat super eum.*] Terræ motus fuit ad declarandũ potentiam resurgentis, vt c. 27. & Ps. 113. Dei præsentiam; Et vt ad Angeli è cœlis descensum magis attenti fierent custodes, & mulieres, & cogerẽtur esse testes, ex Chrys. Angelus autem descendit vt lapidem è monumento reuolueret, & vt ostenderet Deum illic fuisse sepultũ, ex Chrys. & vt mulieres monerẽt Apostolos citissimè Christum surrexisse, nõ vero vt egresturo Domino ianuam aperiret vt volunt hæretici, sed vt egressus eius iam facti præstaret indicium & aditum in sepulchrum mulieribus aperiret. Qua autẽ hora surrexerit, nemo scire potuit ait Hieron. fingũt Caluinistę cessisse lapidem ad modum mollis materiæ, ne Christi corpus in Eucharistia esse posse concedere

cedere cogantur. Sedebat quasi aduentum mulierum expectãs: & indicans se esse qui lapidem reuoluisset, sedebat enim super opus suum.

3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.*] Lucas *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.* Ioannes *& vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput & vnum ad pedes vbi positum fuerat corpus.* Quia resurrectionis fidem faciebant decebat vt ea specie venirent, vt nemo eos Angelos esse dubitare posset, & vt resurgentis gloriam & gaudium demonstrarent. Quod autem Matth. & Marc. vnum, Lucas & Ioan. duos fuisse dicant sanctus Augustinus bis mulieres, non quidem vespere & mane, sed orto iam die ad sepulchrũ venisse ait cum primum venerũt vidisse vnum, cum secundo, vidisse duos. Alij primum quidem antequam in sepulchrum ingrederentur, vnum vidisse, deinde in sepulcrũ ingressas aut vnum alterum vt indicat Marcus aut duos vt Lucas & Ioannes vidisse intus: sed duos in monumento fuisse lapides ait Mald. alterum foris quo totius monumenti ostium claudebatur; alterum intus quo claudebatur sepulchrum & vtrũque ab Angelo fuisse reuolutum, primum vt mulieres ingredi possent, secundum vt vacuum sepulcrum viderent. Angelus ergo non super primum sed super secundum sedebat: si enim super primum sedisset, primo aspectu mulieres terruisset; neque ausæ fuissent in monumentũ introire. Et conueniebat non super primum sed super secundum sedere lapidẽ, & vt ostenderet se ideo lapidem sepulchri amouisse, vt mulieres vacuũ sepulchrũ videre possent: & vt ipso quasi digito locum vbi

Christus positus fuerat vacuum demonstraret. Cum ergo Matthæus dicit Angelum remouisse lapidem, vtrumque lapidem intelligit: cum dicit sedisse super eum, secundum intelligit, qui intra monumentum erat: nam cum super vtrũque sedere nõ posset, necesse est aut super primum, aut super secundum sederit. Matth. super primum sedisse non dicit. Mar. Luc. & Ioa. super secundum sedisse manifeste dicunt, cum dicant sedisse intus: ergo & Matt. cum dicit sedisse super eum, secundum lapidem intelligit, vnde sequitur etiam secundum Matth. Angelum non foris sed intus à mulieribus visũ esse. ideoque cum dixit: *Venite, videte locum* non ad ingrediẽdum sed ad veniendum, ideſt ad accedendum & videndum sepulcrhum inuitasse: nõ enim dicit introite, sed *venite*, iã enim erant intra monumentum vt Mar. & Luc. aiunt. Cũ enim ad monumentum venissent, & præter opinionem primum lapidẽ de quo erãt in via solicitæ remotum inueniſſent, audactet ingressæ sunt, cum intus essent, & Angelum super sepulchri lapidem sedẽtem vidissent, obstupefactæ restiterũt non audẽtes ad sepulchrum accedere. Angelus enim primum iubet timorẽ ponere: *nolite timere*, deinde inuitat ad accedendum & videndum sepulchrũ. ex quibus colligit Mald. duos fuisse Angelos sed vnum tãtum loquutum fuisse. obstat quod Ioan. ait dixisse Angelos Magdalenæ *mulier quid ploras* sed Syllepsis est vt c. 27. Quod autẽ Mat. Mar. & Ioa. sedisse Angelos, Luc. vero stetisse dicant. Respõdetur standi verbũ Latine & Græce non semper rectũ corporis habitum, sed solam aliquando præsentiam, vel quietem significare vt c. 16. Mar. 11 Luc. 7. & 18. & Ioan. 1.

Quæres

Quæres cur Ioan. solam Magdalenam Angelos vidisse dicat, cum cæteri Euangelistæ plures dicant, quæ viderunt fuisse mulieres, & cur solam Magdalenam ad monumentum venisse dicat, cum cæteri plures mulieres venisse dixerint? non fuit Euangelistis intentum omnia penitus recensere: plures iuxta crucem erant mulieres & multi viri Luc. 23. Matth. tres tantum nominauit quæ cæteris erant notiores & diligentiores: Ita Ioannes solam Magdalenam ad monumentum venisse ait, quia primas eius officij partes agebat. Quæres etiam quomodo Ioānes scribit Magdalenā cum primū ad sepulchrum venisset lapidem reuolutum inuenisse, angelū vero non vidisse nisi postquam viderat & discipulis Christi resurrectionē annunciauerat, cum Mat. Mar. & Luc. non solum cū primū venerunt vidisse Angelum, sed ab eo etiam iussas fuisse ire & discipulis annunciare, dicant. Respondetur Ioannem non seruasse rerum gestarum ordinem sed quæ simul gesta fuerunt, non simul, sed alia prius, alia posterius retulisse: simul & Magdalena venerat, & Angelos prius venisse, & lapidem vidisse reuolutum, post Angelos vidisse narrat: prudenter nolēs illis Angelorū, & Domini visionem exponere, sed ita narrare factum quasi sublatū solū de sepulchro Christum putaret, vt & eos ad visendū sepulchrū, & ad quærendum Christum magis accēderet, credēs fore vt si ad monumētum irēt, & Angelos sicut ipsa, & Christū viderēt, nec suo illis testimonio tam opus esset. Quid si propterea Petro & Ioanni se Angelos & Dominū vidisse nō dixit quod illi simul atque primum audierunt verbum, non expectatis pluribus ad sepulchrum cucurre-

tunt : sunt qui aiunt ideo nihil de visione dixisse, quod se delusam esse crediderit, nec veros fuisse Angelos; propterea non dixisse Christum resurrexisse, sed *tulerunt Dominum meum & nescimus vbi posuerunt eum.* Sic Gregor. Nis.

4. *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes & facti sunt velut mortui.*] Eius ideſt Angeli & terræ motus, exterriti videntes primũ ab ostio lapidem reuolutum & intus Christi corpus non esse in sepulchro antequam mulieres accessissent sed solos Angelos sedentes. Exanimes autem facti sunt custodes non tam humano quam diuino timore, ne immisso fulmine, aut dehiscente terra absorberentur, vt qui Iudæorum sceleri operam præstitissent. Timuerunt etiam mulieres viso Angelo Mar. 16. & Luc. 24. sed verecundo timore vt Daniel. 10. & Zacharias Luc. 1. Maria Virgo Luc. 1. ex Hieron.

5. *Respondens autem Angelus, dixit mulieribus, nolite timere vos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quaritis.*] Respondens, ideſt loqui exorsus. vt c. 11. & 22. quasi dicat timeant custodes ne pœnas dent qui malo huc animo quasi Christi resurrectionem impedituri venerunt, *non vos* quæ venistis vt pietatis officium exhibeatis sic Cyr. catec. 14 & Chry. Lucas alia Angelorum verba recensetˢ: *quid quaritis viuentem cum mortuis.* Ioannes vero *Mulier quid ploras.* Omnia dixisse Angelos putandum est : & primum mulieres cœpisse plorare cum sepulchri ostium apertum vidissent, existimantes Christi corpus sublatum fuisse Ioann. 20. *Maria autem stabat foris plorans*, vnam nominans, omnes intelligens Mox plorantes in monumentum ingressas esse, & Angelos illis dixisse: *quid ploratis*

Et

Et de sola Magdalena loquens, ait Ioannes Magdalenam vnam pro omnibus respondisse: *Quia tulerunt Dominum meum*, tunc subiecisse Angelum qui pro se, & pro altero loquebatur: *Nolite timere vos; scio enim, quia Iesum qui crucifixus est quaeritis, viuentem cum mortuu*, quasi amicis verbis earum incredulitatem reprehendat. Si enim Christi verbis quibus adhuc viuēs resurrecturum tertia die dixerat fidem habuissent, non quærerent viuentem cum mortuis, sed eum viuere pro certo habuissent. Tandem adiecisse *Non est hic, surrexit*, easque iussisse ad Apostolos ire & Christi resurrectionem illis annunciare.

6. *Non est hic; surrexit enim sicut dixit: venite & videte locum vbi positus erat Dominus.*] Quasi dicat; ideo non est hic non quod translatus, vt vos putatis aut furto sublatus, sed quia surrexit. Addit *sicut dixit* confirmans ex Christi verbis Resurrectionem ipsius & earum incredulitatem tacite notans; ipsoque visu & experientia nititur iam fidem facere. Quidam media nocte: alij sub auroram circiter galli cantum resurrexisse dixerunt. certū est quod Greg. Niss. & Hier. neminem mortalium scire posse qua hora Christus surrexerit, qui vt voluit, & quādo voluit resurrexit. in re tamen dubia putandum est sub auroram resurrexisse paulo ante Angelorum descensum & terræ motum.

7. *Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis: ecce praedixi vobis.*] Marcus addit, *& Petro*, ne propter negationem exclusus ab eo beneficio videretur, cito ire iubet vt recreentur, & vt nutans eorum fides sustineatur. Ex

Greg.

Greg. Hom. 21. in Euang. quasi dicat quantumcumque festinetis, præcedet vos in Galilæam; sciebat enim momento temporis huc, illuc volitare. Ignorabat vt videtur Angelus quod paulo post futurum erat Christū se mulieribus in vrbem redeūtibus ostensurum esse; ideo autē in Galilæa discipulis apparere voluit potius quam in Iudæa, vt liberius cū illis agere eosque docere posset. Ex Chrysost. In Iudæa enim Sacerdotū & Phariſæorū metus impedire poterat discipulos. Alij quia ibi plures discipulos fecisset quos volebat eadē opera confirmare: vel vt Galilæam vitiorum sentinam sua præsentia illustraret. Ex Hier. Non statim vero eo contendit quia vidit cunctantes adhuc Apostolos, nisi prius se illis vt eorum fidem firmaret, Hierosolymæ ostenderet. sicque non eorum fidem fefellit sed superauit. Ex Greg. Niss. & vt credant non phantasma non spiritum sed ipsummet Christum esse, cum experti fuerint Angelum vera prædixisse, ideoque non potuisse nisi diuinitus locutum esse subdit, *Ecce prædixi vobis.*

8. *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno currentes nuntiare discipulis eius.*] Timor enim & gaudium festinare cogit: timebant quia angelos viderant, gaudebant, quia audierant eum resurrexisse. Ex Hieronym. Marcus addit, & nemini quicquam dixerunt, intelligendum est in via mutas fuisse, vt neque iis qui occurrebant neque ipsæ inter sese quicquam dicerent: nam constat Apostolis dixisse se in monumento vidisse Angelos. Luc. 24.

9. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete,*

illæ.

illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.] Marcus videtur dissentire cum ait: *Surgens autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Quasi nec aliis tunc mulieribus apparuerit, nec Magdalenæ, ipsi ad discipulos eunti sed aliàs. Verum cum sibi proposuisset, dicere Christum mulieribus apparuisse, omissis omnibus circunstantiis dixit eadem die surrexisse Christum non de resurrectione loquens, sed de surrectione, quasi prius sedisset & Magdalenæ apparuisset. Quod autem solam Magdalenam nominat, aut ideo fecit quod soli Magdalenæ prius apparuerit, aut quod cum omnibus simul mulieribus apparuerit, tamen cum sola prius Mogdalena locutus fuerit. Ex verbis Ioannis obscurioribus sunt qui colligunt bis se Christū mulieribus demonstrasse, primo soli Magdalenæ adhuc iuxta sepulchrum hærenti & retro respicienti: deinde omnibus mulieribus quæ ad sepulchrum venerant, vt discipulis nuntiarent redeuntibus: nam cum omnes in monumēto essent, digressis vt abirent aliis, Magdalenam adhuc plorantem iuxta sepulchrum restitisse, cumque respexisset retro, vidisse Christum, ab eo interrogatam quid ploraret aut quid quæreret, hortulanum ratam respōdisse *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi: ego eum tollam.* Christum respondisse *Mariæ*, &c. quæ Ioannes refert, mox Magdalenam profectam inde, cæteras quæ præibant mulieres curriculo consecutam, eumque vna cum illis pergeret, Christum illis iterum simul euntibus apparuisse. vt hic Matth. ait. Alij duas sed aliter factas apparitiones putant, prius enim

Magdalenam

Magdalenam solam ad monumentum venisse, atque tunc illi vt ait Ioannes visum fuisse Christum: deinde vna cum cæteris mulieribus ad monumentum vidisse, & inde rursus ad Apostolos cum reuerterentur Christum illis in via occurrisse vt ait Matth. Maldonatus autem non putat Magdalenam bis ad monumentum venisse, aut bis illi Christum apparuisse, cum Matthæus apertè significet omnes simul mulieres ad sepulchrū venisse, & omnes simul rediisse; & omnibus simul redeuntibus, Christum occurrisse. Nam quod Marcus ait visum fuisse prius Magdalenæ, id quidem verum non prius quam cæteris mulieribus, sed prius quam Apostolis: nam & matri suæ prius apparuisse pie creditur. Quod autem Ioannes ait Magdalenam stantem atque plorantem conuersam vidisse Christum, sic intelligi potest vt conuersam dicat non respicientem sed redeuntem. Quod autem Christum illam interrogasse ait: *quid ploras?* putandum est etiam cum reuerterentur omnes, maximéque Magdalenam plorauisse, quia affirmanti Angelo Christum surrexisse non satis credidit: nam postquam id affirmauit adhuc plorat, adhuc dicit *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi*: adhuc dicit Apostolis *tulerunt Dominum de monumento*. Auete idest gaudete, pax vobis, quasi dicat bono estote animo, non aduersarius, sed amicus vobis venio. Ioannes ait Magdalenam Christi pedes non tetigisse prohibitā à Christo. Quod si tadē fuit visio, dicendū Christū dixisse *noli me tangere* atqui forte cum hæc diceret iam tetigisse & forte Christo etiam prohibente tetigisse; adeo importunus amor! At sola

dicitur

dicitur Magdalena prohibita, verum quia de ea sola loquebatur; non quod non aliæ etiam sint prohibitæ tangere; omnes ergo prohiberi, & omnes tangere potuerunt: & quia hoc erat genus reuerentiæ, præsertim mulierum erga viros pedes tangere credibile est omnes præstitisse. vt Exod. 4. de Sephora. & 4. Reg 4. de Sunamitide. Alia tangendi ratio fuit vt experirentur, an verus esset Christus, an Spiritus aliquis: cur ergo Christus aut omnes aut solam prohibuit Magdalenam ne se tangeret. Rationem reddit ipse Christus: *Nondum enim ascendi ad Patrem*, quasi dicat, tunc ibi me tanges. Alij non omnino se tangi Christum prohibuisse putant, sed dumtaxat eo modo, quo ante mortē familiariter versabatur quasi hominem: sed more Spiritus, qui nec videtur nec tangitur, sed aliquando apparet, aliquando abit, sic Iustin. Alij prohibitam, quia indigna erat quæ de eius resurrectione testante Angelo dubitabat & viuentem cum mortuis adhuc quærebat vt Chrysost. & Hier. Alij mysterio factum vt Aug. per Magdalenam Gentium Ecclesiam significari quæ non ante credidit quod est Christum tangere, quam ad Petrum ascendisset. Male Caluinus hanc Magdalenæ pietatem stultum feruorem vocat. Sunt qui dicunt ita Christum tangere voluisse, quasi amplius eum non esset visura; ad hunc eius sensum Christus respondit, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem*, quasi dicat satis habebis temporis vt me sæpe tangas antequam ad Patrem ascendam: nunc *noli me tangere*, noli ad pedes meos hærere: *sed cito abi ad fratres meos, & dic vt eant in Galilæam vbi me vide*

videbunt. Quæres cur prius à mulieribus quam à viris visus est Christus: ratio est quia prius quæsiuerant. An autem plus habuerint studij & pietatis quam Apostoli, aliorum sit iudiciũ. Alia ratio redditur: quia vngere mortuos sicut lauare & inuoluere, non tam virorum quam mulierum erat officium. Et quia testes fuerant & mortis & sepulturæ, decebat vt essent & Resurrectionis. Ex Mald. & quia facilius erant credituræ quam Apostoli, voluit Christus eos, per eas paulatim præparare ad credendum.

10. *Tunc ait illis Iesus: nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.*] Forte putabant esse phantasma; donec propius recognoscerent, & loquentem audirent: ideo ait illis: *nolite timere*, quasi dicat illi timeant in quibus permanet incredulitas ait Hier. Et iubet idem facere quod Angelũ vt veram fuisse confirmet Angelorum visionẽ. Discipulos vocat *fratres* quia filij Dei erãt adoptiui Heb. 2. Psal. 21. & c. 12. Et vt blanda appellatione delectos animo attolleret, & inuitaret ad se visendum. sciebat Christus solo mulierum testimonio non ituros in Galilęam, sed quod fieri oportere sciebat, fieri iubet.

11. *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerũt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.*] Quomodo in terræ motu Angelus è cœlo descenderit lapidemque obsignatum reuoluerit, ac mulieribus ostenderit vacuum sepulchrum dicens Iesum Christum surrexisse: in quo testimonium alterum ab inimicis redditum est. Non omnes autem venerunt, aut quod cæteri animo

animo essent perterriti & quasi male functi officij pœnas daturi fugerint, vel delituerint, aut quod non ausi id Sacerdotibus nũtiare, nõ credituris quasi Christi corpus discipulis vendidissent, aut quod qui ad Sacerdotes venerãt, omnium nomine venerint: Non enim illis tãtum qui venerant sed illis etiam qui non venerant vt mentirentur pecunia data est: venerunt autem non spe accipiendæ pecuniæ à Sacerdotibus, sed vt officij sui rationẽ redderent.

12.13. *Et congregati cum senioribus consilio acceptо pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.*] Hic iam videre est inexcusabilem eorum peruersitatem: cum enim custodum testimonium plane esset irrefragabile, non tamen ab eo sunt superati sed pro sua contra Christum inuidia & proprij nominis gloria veritatẽ contra suam cõscientiam non solum occultare, sed etiam peruertere; idque cum magno pecuniarum dispendio & omnis periculi in se susceptione studuerunt: Et cuius vitam pecunia emerunt sibi tradendam, eius quoque Resurrectionem pecunia emerunt sileudam & peruertendam.

14. *Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.*] Apud Præsidem Pilatum. poterant milites merito à Præside timere, ne ab illo tanquam negligentes, aut prævaricatores punirentur. contra hoc periculum suam illis Sacerdotes vicissim mentiendi operam pollicentur.

15. *At illi accepta pecunia fecerunt sicut erãt edocti: Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem.*] Scilicet Christum

stum à discipulis furto fuisse sublatum, vel milites data à Sacerdotibus pecunia corruptos dixisse & diuulgasse, se dormientibus discipulos furatos fuisse corpus.

16 *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem vbi constituerat illis Iesus.*] Iam enim Iudas laqueo se suffocauerat, neque ausus fuerat ad Apostolorum redire consortium. Multa hic Matthæus prætermittit quæ Hierosolymis facta illic cõmorantibus Apostolis per octo dies. 1. Matri suæ apparuisse credendum est. 2. eodẽ die quo surrexit Mariæ Magdalenæ vel soli vel vna cũ aliis mulieribus. 3. omnibus mulieribus quæ ad monumentũ venerãt, simul redeuntibus apparuit. 4. Petro vel soli vel etiam Ioanni cum è sepulchro eodem die rediissent. Luc. 24. 5. duobus discipulis euntibus Emaũtem. Luc. 6. Eodem die decem discipulis sub vesperam abeunte Thoma. Ioan. 20. 7. octo post dies, vndecim simul præsente iam Thoma. 8. septem discipulis piscãtibus in mari Galileæ. 9. omnibus simul discipulis in monte Galileæ, iuxta mare Tiberiadis, vel Thabor, vt hic ait Matth. Cui 10. additur qua discipulis in cœlum ascendens visus 1. Cor. 16. Duæ aliæ apparitiones colligũtur, pluſquam quingentis fratribus & Iacobo, vt vltimo, Paulo post ascensionem: sicque 13. erunt apparitiones.

17. *Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerũt.*] Adoratione extrinsecus adhibita crediderũt non solum Christum sed verũ etiam esse Deum, non quod eodem tempore & adorauerint & dubitauerint ex Apostolis quidam vel ex aliis discipulis, sed quod ipsi qui nunc in monte adorauerunt prius Hierosolymæ

mæ dubitassent, nec solum Thomas sed omnes aut plerique putauerant se Spiritum videre. Alij dicunt quosdam ex Apostolis simul atque in monte Christum viderunt, adorabundos procidisse, alios cunctatos esse non quidem de resurrectione & diuinitate dubitantes, sed an ille quem videbant, quemque alias post resurrectionem sæpe viderant Christus esset. Ex Chrysost. Alij quod dicit Matthæus non ad hanc visionem quæ facta est in monte, sed ad eam quæ Hierosolymæ acciderat referendum putant vt Beda.

18. *Et accedens Iesus locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*] Nunc postquam de morte triumphaui. Sicque exhibet quasi literas quibus constat qua eos authoritate Apostolos creet: quam potestatem accepit vt homo, quam vt Deus naturaliter habebat, vel potestatem accepisse sicut & naturam à Patre vt Deus, verum non loquitur de potestate quam vt Deus, nec de ea quam vt homo, sed de ea quam vt redemptor idest de potestate regni sui spiritualis acquirendi habebat, quamque per mortem & resurrectionem suam sibi comparauerat; quia enim omnes homines suo sanguine redemerat, ius habebat eos in regnum suum congregandi & veluti subditos suos efficiendi: De ea ergo loquitur potestate de qua illi à Patre dictum est Psal. 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, &c.* & Ps. 109. Dan. 7. de qua dicit Ioann. 16. *confidite ego vici mundum.* Hanc sibi datam per mortem & Resurrectionem suam dicit, quia eam meruit, *propter quod exaltauit illum, &c.* Qua potestate Apostolos suos mittit ad propagandos regni

sui fines. Pars quæ erat in cœlo erat pacata, quæ vero in terra erat bello spirituali acquirenda.

19. *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*] Mar. in mundum vniuersum., in omnem terram non in Iudæam solum vt cap.10. Tunc enim quasi hæreditario iure ad solos Iudæos mittebat, nunc acquisita potestate, ad omnes Gentes, dicens *docete* non humanam sapientiam sed diuinam, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ex hoc male inferunt Anabaptistæ infantes non esse baptizandos, nisi in mortis articulo. Non enim vetat Christus eos baptizari qui doceri non possunt, sed tantum iubet omnes qui prius docti fuerint baptizari, reliquos vero qui non sunt doctrinæ capaces, si saluos esse velimus, baptizari oportere Ioan.3. Et in locum circumcisionis baptismum instituit, vt esset signum quo velut tessera militari nouus populus in vnum coaleseceret: non iam gratiæ acceptæ vt ait Caluin. sed tanquam fidei & doctrinæ signaculum: quæ item gratia à peccatis emundans efficaciter mentibus hominum infunderetur & certo infundi agnosceretur. βαπτίζειν vero est aqua mergere, lauare, abluere, tingere. Ex qua verbi proprietate materia declaratur huius Sacramenti, vt Ioan.3. Constat etiam Apostolos numquam nisi aqua baptizasse Ioan.3. Act.8.& 10. 1.Corinth.10. 1.Petr.3. forma quoque baptismi his verbis declaratur, quorum sensum Ecclesiæ traditio interpretatur cum dicit: *Ego te baptizo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et quotquot alia forma baptizarunt eos damnauit:

nam

nam eo sensu à Christo dicta sunt vt Apostoli cum baptizarent dicerent: *Ego te baptizo, &c.* Et Act. 2. non significatur in baptizando expressum tantum nomen Iesu Christi, sed eos in fide Christi, aut in merito eius & efficacia passionis baptizatos. Et Trinitatis mysterium. ex hoc loco Patres probauerunt.

20. *Docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.*] Indicat neque fidem, neque baptismum ad salutem satis esse, nisi Dei etiam præcepta seruemus.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.] Quasi dicat simul atque vobis opus erit, adero vobis improuisus. Ego qui vici mundum & diabolum. Sunt qui de diuina natura quæ vbique est loqui putant, vel de diuina prouidentia, vel de missione Spiritus sancti suo loco; vel de præsentia quatenus homo, non quod corpore præsens futurus esset sed quod fauorē & auxilium suum præsentiam appellet vt Act. 3. nec solis Apostolis sed successoribus etiam præstiturum in terris, vsque in finem.

Laus Iesu Christo & Mariæ Virgini.

MANVA

MANVALE IN SANCTVM

IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM SECVNDVM

MARCVM.

CVM Marci Euangelium sit veluti compendium Matthæi, non mirum videbitur si omittamus, vel paucis explicemus quæ fusius apud Matthæum. Marcus filius fuit Mariæ, ad cuius domum Petrum vinculis solutum ab Angelo refert Lucas Act. 12. Quem Petrus filium suum vocat. 1. Pet. 5. aut quod eum paterno & singulari amore prosequeretur; aut quod eum in Christo genuisset: Ab eo missus in Ægyptū prædicandi Euangelij causa, ibique mortuus.

CAPVT. 1.

Iesus baptizatur, tentatur, vocat discipulos.

1. *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei.*] Ideſt legis, vel historiæ Euangelicæ, vel titulus est

est libri, vel potius prædicationis Christi principium, quasi dicat Christi prædicatio tale habet initium, quale Prophetæ venturi Messiæ prædicationem habiturum prædixerant. Omissis vero iis quæ fecit aut passus est Christus vsque ad annum trigesimum, à sola prædicatione exordiri vt eum esse Messiam constaret, quæ Prophetæ prædixerant. Exorsus est autem à prædicatione breuitatis causa; & quia non tam historiam de tota vita quam cõpendium de eius doctrina & miraculis scribere voluit, cuius intentum fuit vt cæteris Euangelistis declararet Iesum Christum esse filium Dei.

2. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum.*] Expositio huius testimonij habetur Matth. 11. Isaiæ vero cap. 3. vox clamantis, vox enim illa in deserto clamantis, initium fuit Euangelij.

9. *Venit Iesus à Nazareth Galilææ.*] Vbi Christus post reditum ab Ægypto vsque ad annum trigesimum nutritus fuerat Matth. 2. Luc. 3.

11. *In te complacui.*] In quo mihi bene complacui Matth. sensu eodem: nam significatur Christum esse dilectum filium Dei.

12. *Et statim spiritus expulit eum in desertum.*] Matth. dicit *Tunc*; quia Spiritus sanctus moras non patitur, vt Act. 2. vel vt significet obedientiam Patris cito feciſſe, & forte diaboli diligentiam notauit, quia vt vidit Spiritum Dei descendentem explorare voluit num illa vox missa de cœlo vera esset. Quod autem Ioannes c. 1. dixit: *Altera die vidit Ioãnes Iesum venientem ad se*, loquitur de Christo non iam baptizato sed ad baptismum veniente: Vel *statim* & *Tunc* non momentum sed breue temporis in-

teruallum significat: nam probabile est saltem per vnum diem post baptismū Christum mansisse cum Ioanne, vt testimonium perhiberet ad baptismum venientibus.

13. *Et erat ibi in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana: Eratque cum bestiis, & Angeli ministrabant ei.*] Lucas non ait, *& noctibus.* Hæc secessio in desertum in exemplum solitudinis trahit. Et Mat. 5. 14. 25. & 17. & Mar. 3. 6. 9. Luc. 6. 9. patet sæpius solitudinem petiuisse & singulis noctibus, ideſt dimidia temporis parte Monachi vitam agebat. Luc. 22. per totos quadraginta dies tentatum ait. Hier. & illi ministratum ab Angelis peracta tentatione vel toto tempore.

14. *Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam prædicãs Euangelium regni Dei.*] Ioannes longè post quadraginta illos dies actos in solitudine factam fuisse hanc Christi fugam videtur significare, quia prius refert vocationem Apostolorum, sed per anticipationem locutus est: prius enim prædicauit in Iudæa & discipulos collegit qui eius nomine baptizarent, quam iret in Galilæam, & adeo multos collegit vt discipuli Ioannis viderentur inuidere Ioan. 3. Hinc colligit Mald. bis Christum simili de causa ex Iudæa in Galilæam profugisse; primo ob traditum in vincula Ioannem vt Matth. & Marc. aiunt. Deinde cum ex Galilæa collectis iam Apostolis in Iudæam reuertisset tantumque numerum discipulorum prædicando & baptizando ibi congregasset, vt Pharisæi magis ab eo quam à Ioanne timere inciperent Ioan. *de regno Dei.* Matth. 4.

15. *Pœnitemini & credite Euangelio.*] Agite pœni

pœnitentiam, sicque Ioannis consilium & officiū erat homines sensim à lege ad Christum traducere.

16. *Vidit Simonem & Andream.*] De Apostolorū vocatione quæ hic dicuntur vide Mat. 4.

21. *Et ingrediūtur Capharnaum, & statim Sabbatis ingressus in synagogam docebat eos.*] Capharnaum fuit quasi Euangelij sedes, quia ibi frequentius prædicabat, postea ascitis iam Apostolis Mat. 4. ait totam Galilæam peragrasse docendo & miracula faciendo, ita vt fama vsque in Syriam perueniret; quæ omnia Marcus præteriit, quia non ordinem historiæ sequitur sed mysteriorum vt notat Hier. *Statim* idest cum primum congregata fuit synagoga primo die Sabbati, in quo notatur Christi feruor in prædicando. Licitum autem erat omnibus qui in synagogis erant ad legendum legem Moysi per singulos dies Sabbati surgere & dicere si quid occurrebat Luc. 4. Act. 13. 1. Cor. 14. Ex Theoph.

22. *Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens tanquam potestatem habens, & non sicut scribæ.*] Quia Christus tanquam legislator, Scribæ tanquam interpretes loquebantur. Christus nihil nisi salutem hominum, non bona, non fauorem quærebat, scribæ contra, vt c. 12. & Mat. 23. & Luc. 10. faciebat quod docebat, non scribæ. Mat. 9. Luc. 5.

23. *Et erat in synagogis eorū homo in spiritu immundo & clamauit.*] Iussus iam & exire coactus, potius quam ad solam Christi præsentiam idque coram hostibus Christi multisque testibus.

24. *Dicens quid nobis & tibi Iesu Nazarene, ve-*

nisti perdere nos, scio qui sis, Sanctus Dei.] Vnus pro omnibus dæmonibus loquitur, aut pro omnibus qui in eo erant homine; quasi dicat quid nobis tecum commune, quid simile, vel quid nobis rei tecum est, vel potius quid tibi mali fecimus, quia bellum contra nos geris? quid nos torques? non te qui es *Sanctus Dei*, sed peccatores vexamus, & vt ad nos pertinentes ad infernum trahere conamur.

Quomodo dæmones Christum cognouerint diximus Matth. 4. An vero coactè vel voluntariè confessi fuerint, Beda coactè, alij voluntariè, nõ tamen ex charitate sed ex proprio amore & metu pœnæ; ne eos torqueret magis & in infernum mitteret. Non sanctum Deum, sed sanctum Dei vocant vt non Deum sed hominem confiteantur. Ex Chrys. At vero Theoph. notat non dixisse sanctus es; multi enim Prophetæ sancti fuerunt, sed ille sanctus adiectione articuli, ὁ, ille vnicus & prædefinitus quo Deus ipse quasi proprio nomine vocabatur sanctus Isa. 1. 31. 37. & 40. Dan. 4. Vocat autem sanctum Dei, quasi dicat, sanctum Dei filium. Luc. 1.

25. *Et comminatus est ei Iesus dicens: obmutesce, & exi de homine.*] Ideo iubet vt ostendat se eius inimicum, & os illi obstruit quia Euam lingua fefellerat: Vel ne calumniarentur Pharisæi illum cum dæmonibus consuetudinem habere vt Mar. 12. Vel melius, quia noluit à Patre mendacij testimonium accipere veritatis. Et forte voluit nõ intempestiue obtrudere diuinitatem suam, sed sensim ac paulatim eam hominibus insinuare prout eorum ingenium & fides patiebatur. Matth. 17. hoc prohibuit

Apo

Apostolis, multò magis dæmonibus.

26. *Et discerpens eũ Spiritus immundus: & exclamans voce magna exiit ab eo.*] Sine membrorum scissione, crucians contorquens, & tunc potius quam ante, vt astantes homines discant quanto malo liberatus esset, vel vt collati in eum beneficij magnitudo constet, vel quia videbat sibi discedendum esse, voluit quantum poterat homini nocere. Ex Chrys. *Exclamans* exiit vt omnes intelligerent non sponte sed coactum a maiore potestate exire.

27. *Et mirati sunt omnes itaut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quanam doctrina hæc noua?*] Et factus est pauor in omnes. Luc. 4. stupor seu metus religiosus cum admiratione coniunctus aliquid agnoscentes diuinitatis in illo. Lucas quod est hoc verbum quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus & exeunt? *Noua* quia in Scribis & Pharisæis non reperiebatur similis potestas cum doctrina coniuncta. Solebant Iudæorum exorcistæ dæmones eiicere sed non eo quo Christus imperio *exi de homine* vt notat Chrys.

28. 29 *Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ, & protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis.*] Nulla interposita mora sequuta sunt miracula quæ refert. Matth. 8.

32. *Vespere autem facto cum occidisset sol afferebant ad eum omnes male habentes.*] Non ante solis occasum, quia dies Sabbati erat quo laborare non licebat ante solis occasum. Ex Eutym. & Theoph.

33. *Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.*] Domus Petri vbi Christus erat, vt notet multos

fuisse testes miraculi, & summum desiderium Carphanaitarum audiendi verbum Christi, & forte quanta esset suos ægrotos offerentium multitudo.

34. *Et curauit multos qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa eiiciebat & non sinebat ea loqui.*] Multos ideſt omnes. Ex Mat. 8. & Luca 4. Et dæmonia multa ideſt omnia, sed ea omnia erant multa; & ad Christi gloriã pertinebat neminẽ incuratum relinquere, quãuis forte non omnes crederent in eum. *Et non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum* ex Luca 4. & nolebat tam aperte & tam cito diuinitatem suam aperire vt vitaret inuidiam Phariſæorum; vel quia nolebat veritatem niti mendacio. Ex Chryſ.

35. *Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.*] Orto die in desertum peruenit vt ait Lucas, qui auroram, diem vocat, quia diei initium est: fugit vero ante lucem vt multitudinem fugeret & in deserto latitaret, sic infans de nocte fugit in Ægyptũ. Mat. 2. vt oraret & vt post tot miracula humanam laudem fugeret, & vt idem faceremus nos edoceret. Ex Chryſ.

36. *Et prosecutus est illum Simon & qui cum illo erant.*] Cæteri Apoſtoli & discipuli quorum caput erat Petrus. Luc. 5. 4. non Apoſtolos sed turbam secutam ait, at vtrumque factum putat Eutym.

37. 38 *Et cum inuenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. Et ait illis eamus in proximos vicos & ciuitates vt & ibi prædicem, ad hoc enim veni.*] Tacitè respondet Christus non quærendũ esse applausum aut multitudinem auditorum,

sed

sed necessitatem spectandam esse. Capernaitis satis prædicatum, sat miracula facta si velint credere: aliis prædicandum Euangelium; ad hoc enim missus non vt vni sed omnibus ciuitatibus prædicet Luc. 4. Ex Chrys.

39. *Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia eiciens.*] Verbum imperfectum continuationem, & consuetudinem indicat, quasi dicat sæpius, per singulas synagogas prædicabat, quia ibi erant Iudæorum scholæ. Matthæus 4. aliis prætermissis quæ facta sunt in Capharnaum hoc tantum notauit.

40. *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.*] Multa prætermittit quæ Matthæus refert c. 5. 6. & 7 hoc autem habetur cap. 8. quia idem est. Ex Aug. l. 2. de cons.

45. *At ille egressus cœpit prædicare & dissamare sermonẽ, ita vt iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset. Et cõueniebant ad eum vndique.*] Ideſt multa in laudem Christi dicere à quo sanatus fuerat. An culpa in leproso vel in cæcis, quod *sermonem* ideſt rem hanc seu miraculum euulgauerint vide Matth. cap. 9. *Vt non posset*, ideſt in vrbem ingredi vt hominum frequentiam deuitaret. Ex Gregor. Nazian. orat. 4. ad Theol.

CAPVT II.

Sanat Paralyticum, vocat Matthæum, excusat discipulos.

1. *ET iterum intrauit Capharnaum post dies.*] Aliquot vel octo, vel multis post diebus Hebr. vt eos occasione miraculi in fide cõfirmaret, fecitque de nocte vt vitaret populi mul-

citudinem. Et colligitur ex verbis sequentibus. *Et auditum est*, quasi dicat quia clam ingressus.

2. *Et auditū est quod esset in domo, & conuenerūt multi ita vt non caperet neque ad ianuam.*] Qui in vestibulo erant, vel loca quæ ad ianuā sunt: vt ostendat statim ac fama per domesticum vel familiarem manauit, miraculum in conspectu totius ciuitatis factum esse, vt Luc. 5.

3. *Et veniunt ad eum ferentes Paralyticum qui à quatuor portabatur.*] Parētes cognati amici, qui eum ad Christum afferebant vt morbi grauitas, & maius miraculum appareat.

4. *Et cum non possent offerre eū illi pra turba, nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes submiserunt grabatū in quo Paralyticus iacebat.*] Aperuerunt, detexerunt Matth. 9. Vide reliqua.

13. *Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eū, & docebat eos.*] Mercatores iuxta mare qui lucri causa venerant, & quia volebat Matthæum piscari, ideo ad mare tendit, vel vt fugiat applausum facti miraculi.

14. *Et cū præteriret vidit Leui Alphai sedentē ad teloniū, & ait illi: sequere me.*] Loquitur ac si de industria Matthæum non quæsiuisset, sed prætereuntem forte ad mensam vidisset sedentem quasi ex itinere vocasse. de his nominibus, & de cognomento Matthæi diximus Matth. 9. dicitur Alphæi scilicet filius. Ex Chrys.

15. *Et factum est cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius: erant enim multi qui & sequebantur eum.*] Inde patet habuisse domum intra vrbem & telonium ad litus maris ex quo vocatus est. Publicanos & peccatores vocat eo sensu quo Iudęi solos Gentiles aut Gentilium similes

similes, publicanos qui Cæsaris negotia agebant appellabant vt diximus apud Matth.

17. *Non necesse habent sani medico.*] Scilicet superbi Interl. qui suam volentes iustitiam statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti ex Beda.

18. *Et erant discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunantes.*] Vel tunc cum hoc accidit per eos dies, aut sponte sua, aut vetere aliqua traditione ieiunium aliquod sibi indixerant, vel non tunc sed alias sæpius cum lex non præciperet, aut traditione aut sponte ieiunabant vt non actum sed consuetudinem verba significent vt Mat. 17. 24. ex quo calumniandi Christum & eius discipulos ansam arripiunt.

23. *Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambulare per sata, & discipuli eius cœperunt progredi & vellere spicas.*] Quasi dicat Pharisæos iterum aliam ex spicis quas sabbato vellebant Apostoli, occasionem cepisse calumniandi vt fecerant cum paralyticus curaretur. Vide Matth. 12.

27. *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.*] Quasi dicat non est institutum sabbatum vt homo pereat sed vt sanus fiat animo & corpore. Mat. 12. Maior cura sanitati & vitæ hominis adhibenda quam custodiæ sabbati. Ex Beda.

28. *Itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati.*] Bis hoc dixit Christus & cum illum qui habebat manū aridam curauisset Mat. 12. & hic Mar. *Itaque* non est illatiua sed completiua, quasi dicat, denique si sacerdotes & duces belli in sabbati obseruatione dispensare potuerunt, multo magis filius hominis poterit,

qui maior Dominus est & author Sabbati fuit, voluit etiam forte indicare se abrogaturum Sabbatum. Ex Beda.

CAPVT III.

Curat manum aridam, prædicat turbis, discipulos instituit.

1, 2. *ET introiuit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & observabant eum si Sabbato curaret vt accusarent illum.*] Prius in Synagoga docuerat Capharnaitarum cap. 1. Erat autem Sabbatum proximum post illud quod secundo primum Lucas vocauit. cap. 6. de quo Mat. 12. vbi maius donum scientiæ, ibi maius periculum culpæ ait Beda.

3. *Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.*] Vel eo inductus à Pharisæis ad Christum capiendum: vel qui de more vt alij Iudæi venerat nihil de sua curatione cogitans: vel potius vt sanaretur à Christo qui diebus Sabbati veniebat in Synagogam. Lucas ait fuisse manum dexteram; quod ad historiam & beneficij magnitudinem pertinet. calumniam præuenit vt notat Beda.

7. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare.*] Matth. 12. causam refert, quod cognouisset consilia Pharisæorum & Herodianorum de se perdendo. Voluit dare locum iræ vt Mat. 2. & 4. Lucæ 4. Ioannes 8. Hinc Augustin. & Tertullianus libr. de fuga in persecutione odientibus cedit, amantibus accedit.

Et

Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum.] Vnde eo venerat & vbi ante prædicauerat, audito vero quod Ioannes esset in vinculis fugerat c. 1. inde ergo aliqui eum discipuli in Galilæam venientem sequuti fuerant.

8. *Et ab Ierosolymis & ab Idumæa, & trans Iordanē, & quæ circa Tyrum & Sidonem.*] Quamuis Ierosolyma sit in Iudæa, eam tamen ab ea distinguit vt mirum magis videatur inde venisse aliquos vel inuitos qui tot doctores habebant. Et mirum etiam Idumæos Gentiles & Iudæorum hostes ex tam dissitis locis venisse vt prædixerat Mat. 8. Non dicit Tyrios & Sidonios venisse, erant enim Gentiles, sed eos qui iuxta Tyrum & Sidonem habitabant sunt tamen qui putant Tyrios & Sidonios significari, quod mirum magis.

9. *Et dixit discipulis suis, vt naucula sibi deseruiret.*] Dixit, ideſt, præcepit vt Psal. 148. Mat. 8. vt quoties traiicere vellet stagnum propriam haberet nauem sibi cum aliquot discipulis, ne alij ipsum opprimerent. loquitur vt homo ex Theoph.

10. *Multos enim sanabat, itaut irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas.*] Causam reddit cur tantus fieret ad eum concursus, ne sine causa propriam videretur nauem habere voluisse. per *plagas* omne genus morbi intelligit.

11. *Et Spiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei.*] Et qui plagas habebant. Sed potius de solis dæmoniacis dictum qui procidebant, non religione quasi Christum vellent adorare, sed timore quasi supplicium suum, & confessione oris, & subiectione cor-

poris deprecaturi, ex Beda & Theophyl.

12. *Et clamabant dicentes: Tu es Filius Dei, & vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.*] Ex hoc loco constat idem esse sanctum Dei, & filium Dei, vt diximus c. 1. nō adoptiuum vt nos, sed verum & naturalem. hinc Patres contra Arrianos contendebant in dæmonibus plus esse fidei, quam in ipsis. *Et comminabatur* præcipiebat adiunctis minis vt c. 1. ne se manifestum facerent dæmones & curati Interl.

13. *Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum.*] Vt oraret & vt Apostolos eligeret: Matth. per anticipationem prius narrat Apostolorum electionem, quam sanatum, qui habebat manum aridam, & quam quæ Marcus dixit de Apostolis spicas vellentibus. Quod ait: *vocauit ad se* quasi prius non fuisset cum illo; sed credibile est, cum in montem vna cum discipulis ascendisset, subduxisse se in aliquem locum solum, vt ibi solus oraret vt Matt. 26. Luc. 9. Cum dicit: *quos voluit* ipse significat non qui meruerunt, qui ambierunt, si quis forte ambiit, sed quos voluit electos esse vt Heb. 5. 1. Cor. 1. qui statim vocati venerunt, qui quam ob causam vocarentur ignorabant & de Apostolatu non cogitabant. Ex Chrys.

14. *Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret illos prædicare.*] Græci legunt, & fecit duodecim, vt esset cum illo, id est, vt tanquam familiares & domestici semper adessent, & vt mitteret eos prædicare non statim sed cum tempus esset, sed prius eos edocuit longo & diuino sermone, Mat. 5, Luc. 6.

15. Et

15. *Et dedit illis potestatem curandi infirmos, & eiiciendi dæmonia.*] Non statim sed postea cum ad prædicandum emisit c. 6. Luc. 9. Matt. 10. Sed hoc dixit per anticipationem, quia de eorum missione verba faceret.

16. *Et imposuit Simoni nomen Petrus.*] An tũc an initio cum à fratre adductus, an cum missus ad prædicandum, vide Mat. 10. Et Aug. de cons.

17. *Et Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrẽ Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges quod est filij tonitrui.*] Intelligitur fecit elegit Apostolum & his nomina indidit tãquam præcipuis amicis: quia futuri erant secundum Petrum qui petra erat Christo familiarissimi & Euangelij eius præcones ardentissimi, itaque vna cum Petro ad res secretiores adhibentur. vt c. 9. Matt. 17. Luc. 9. & 14. Numerum autem recensẽt propter falsos Apostolos vitandos, ex Theoph.

20. *Et veniunt ad domum & conuenit iterum turba, ita vt non possent, neque panem manducare.*] Ad domum Petri in Capharnaum c. 1. vel ad aliam vrbem, & aliam domum, fidelis vt putat Eutym. Quidam hoc ad solam turbam quę Christum audierat referunt. Beda ad vtrosque, & ad Christũ, & ad eius discipulos, & auditores, potius ad solũ Christũ & eius discipulos referẽdum, quia hi ad domũ venerant nõ auditores.

21. *Et cum audissent exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem versus est.*] Sui, ideſt, qui ab ipso erant, qui ad eum pertinebãt, Apostoli scilicet, vel ij qui aliunde venerant, vt eum quærerent, vel qui erant ex eius patria, ciues ac populares eius: vel Christi domestici, vel cognati, qui ad fores domus stabant, volentes eum conuenire; & quod vnus è multis fecit, multã

multi feciſſe dicuntur per ſyllepſim. vt Mat. 26. Sicque nec mater Chriſti, nec Apoſtoli aut dixerunt, aut cogitarunt vnquam Chriſtum inſanire *& tenere eum* ligare, atque vincire tanquam furioſum. Romanis lex erat, vt ſi quis in inſaniam incideret vinctus cognatis ſuis traderetur, ſine alia pœna: hac vtuntur ſi non lege, ſaltem conſuetudine cognati Chriſti, vt eius vitæ conſulerent & ſuæ. Quidam *in furorem verſus eſt* vertunt exceſſit, abiit, euaſit, alij ad turbam referunt. Alij mitius vertunt mente alienatus eſt, aut in mentis exceſſum incidit. verum diximus cognatos per ſyllepſim dixiſſe eſſe furioſum An id dixerint contra ſententiam, vt eum ex periculo, quod illi imminere putabant hac furoris ſimulatione ſubducerent. Non ſimulationem ſed ſententiam fuiſſe putant Hier. & Beda, quamquàm ſimulationem fuiſſe non eſt abſurdum. cætera apud Matth.

CAPVT IV.

Parabola de ſemine & grano ſinapis.

1 *ET iterum cœpit docere ad mare, & congregata eſt ad eum turba multa, itaut nauim aſcendens ſederet in mari.*] Quia bis ſupra c. 1. & 2. dixerat eum iiſſe ad mare prædicandi cauſa, vt putandum eſt; ſic terra marique animas quærit. Eodem die ex Beda, relicta multitudine, ad littus ne comprimeretur ſederin mari vt cap. 3. vel vt omnes ante oculos haberet: quaſi pro roſtris dicturus ait Chry.

8. *Et*

8. *Et cecidit in terram bonam, & dabat vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum.*] Verosimile est Matthæum eo modo per exaggerationem dixisse quo Marcus refert.

21. *Nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur.*] Venit, ideſt, accenditur, seu infertur in aulam, aut in cubiculum, non nisi vt iis qui ibi sunt lumen præbeat. non autem vt sub lecto aut sub modio ponatur: paræmia est vt moneat Apostolos ne verbum Dei occultent, sed palam prædicent, vel vt eos qui audiunt verbum Dei ad illud fide excipiendum, condendum animo, meditandum vt fructum ferat, aliud tricesimum, &c. vel hortatur auditores, vt bona terra sint, quæ acceptum verbum Dei semen non mortuum, neque infructuosum apud se retineat, sed late germinet fructúmque reddat aliud tricesimum, &c. vel respexit ad verbum illud vobis datum est nosse mysterium regni Dei, *quia non venit lucerna, vt ponatur sub modio sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quasi dicat se non ideo parabolam proposuisse, vt non intelligeretur, sed vt potius ab omnibus intelligeretur: quod autem ab aliis non sit intellecta, neque eam ipsis explicare velit eorum esse culpam, quia nolint credere, & non vult eam explicare nisi credituris, quales erant Apostoli. Cur autem dixit sub modio: vide Matth. 13. ex Chrysostom.

22. *Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed vt in palam veniat.*] Lucæ 8. Prouerbium inter Iudæos vsitatum vt Matthæi 10. quasi dicat,

dicat quod vobis expoſui, non ideo expoſui vt occultum teneretis, ſed vt prædicaretis palam. Vel, quod vobis dixi nihil eſt occultum quod reuelari non debeat: Vel ſi vultis ſancti haberi ſanctitatem operibus oſtendite, omnem ſimulationem deponite. Hoc prouerbio vſus eſt apud Matth. vt Apoſtolos animaret ad perpetiendas iniurias: hic verò vt illis omnem ſpem ſimulationis auferret.

24. *Videte quid audiatis, in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*] Vide Mat. 7. forte bis hoc prouerbium dixit, ſemel apud Matth. *Nolite iudicare vt non iudicemini, &c.* Quid verò hoc loco Chriſtus vocauerit menſurâ eam qua nos metimur, quid eam qua remetietur nobis, Orig. intelligit pro menſura meritorum huius vitæ, præmiorum, vel ſuppliciorum in altera vita reddendam eſſe menſuram. Sic Paulus Gal. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & meter.* Alij hoc non de Deo ſed de hominibus aliis interpretantur. Quaſi diceret, *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Alij ſi diligenter hæc quæ à me auditis aliis prædicaueritis dabit vobis Deus eandem menſuram, mercedem vitæ æternæ, & præterea adiiciet aliorum in hac vita myſteriorum intelligentiam vt 1. Corinth. 3. Alij quantum attuleritis ad audiendum Dei verbum attentionis tantum inde vtilitatis referetis. Hieronymus ait menſuram qua nos metimur fidem eſſe, noſtram menſuram qua nos remetiemur eſſe myſteriorum intelligentiam. Quæ nobis præter fidem adiicitur & hoc modo hæc cum ſuperioribus ſententia coniungenda eſt. *Qui enim habet dabitur illi,*

illi, & qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo, ideſt, habenti fidem, dabitur intelligentia myſteriorum ſupernaturalis: non habenti autem fidem, naturalis etiam auferetur intelligentia quam habebat, quia aut excæcabitur ita vt videns non videat, & audiens non intelligat: aut tam obſcurè myſteria diuina illi proponentur, vt etiamſi maximè velit intelligere, non poſſit, ex Matth. 1. 11. & 12. & Mald. Nam quid habebant Apoſtoli niſi fidem? quid non habebant alij auditores niſi fidem? fides ergo eſt ea menſura qua Apoſtoli menſi ſunt: intelligentia parabolarum atque myſteriorum, eſt ea menſura qua Chriſtus illis remenſus eſt, ſic Hieron.

25. *Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.*] Hæc ſententia eſt repetitio præcedentis: Qui habet amorem verbi, vel qui habet opus verbi, habebit intelligentiam myſterij, ex Hier. Vel qui habet affectum audiendi, & petendi, dabitur ei, ex Chryſ.

26. *Et dicebat: ſic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille.*] Probabile eſt hanc parabolam eodem tempore & loco quo præcedens iacti ſeminis propoſitam eſſe cum vtraque de ſemente agat. Regnum Dei eſt Eccleſia, vt Mat. 13. Semen prædicatio verbi Dei. Ager auditores; homo qui ſementem iacit Chriſtus, aut qui eius nomine prædicat Euangelium: meſſis mors in fine mundi futura, aut priuata: meſſor eſt Deus: falx verbum Dei. Totius parabolæ intentum eſt, vt doceat tantam eſſe

vim

vim verbi Dei vt si in bonam terram incidat, etiamsi is qui iecit nihil aliud agat, per seipsum germinet, crescat, & fructum afferat. Non iam dies & noctes vigilans vt solebat tempore sementis sed die resurgens, & nocte dormiens tanquam homo iam solutus curis. Itaque *exurgat, & dormiat* ad seminantem refertur non ad semen quasi dicatur nocte & die crescere. Dormit autem Christus per mortem, surgit per Resurrectionem. vel dormit cum nos tentari sinit, surgit cum à tentatione liberat, ex Theoph. vt Mat. 8. Psal. 3. & 43. Voluit tantum otium à labore distinguere quasi dicat, etiamsi qui semen iecit *dormiat, & exurgat*, idest, nihil agat, semen tamen germinabit, sic verbum Dei semel prædicatum etiam nihil eo qui prædicauit ex hypothesi agente præterea, per se crescit, fructusque profert vt plurimum. Cum autem dicimus verbum Dei per se crescere, non excludimus diuinam gratiam sine qua non dico fructum ferre, aut crescere, sed ne seminari quidem potest, sed excludimus sequentem eius qui seminauit laborem. Hinc voluit omnem gloriandi occasionem Apostolis tollere, vt 1. Cor. 3.

28. *Vltro enim terra fructificat ; primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*] Hæc pars est ornamentum parabolæ vel ad verbi Dei prædicationem & incrementum accommodanda. Ex Beda & Greg. l. 22. Moral. c. 14. & Hom. in Ezech. 15.

29. *Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.*] Idest cùm productus fuerit fructus, cum tempus messis redierit, cum produxerit alium fructum.

30. *Et*

30. *Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei?* Magnam esse vim verbi Dei, vt præcedenti parabola confirmat: vide Mat. 23.

33. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.*] Declarat se non omnes recensere vt zizaniæ, fermenti, thesauri absconditi in agro: negotiatoris quærentis bonas Margaritas, sagenæ missæ in mare Mat. 13. seque auditorum imbecillitati accommodasse, parabolis vsum fuisse, vt facilius intelligerent: vel ne facilius intelligerent vt diximus Mat. 13. vt videntes non viderent *prout poterant audire*, idest, prout digni erant, lac potum dedit non escam Interl.

34. *Sine parabolis autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.*] Quæ non intelligebant vel quæ interrogabant *seorsim*, ne alij qui digni non erant, intelligerēt, & nō habentibus, etiā quod haberēt tolleretur. Et dicendum aliàs quidem multa tunc autem sine parabolis nihil dixisse Iudęis scilicet nolētibus credere, ita obscurè & parabolicè loquebatur vt etiamsi vellent, nō intelligerēt: Ex Tertul. alijs autē credere, & intelligere volentibus sine parabolis perspicuè loquebatur. sic Beda.

35. *Et ait illis in illa die, cum serò esset factum: Transeamus contra.*] Stagnum seu mare Genezareth, & eamus in regionem Geralenorum quæ ex aduerso est vltra stagnum.

36. *Et dimittentes turbam assumunt eum ita vt erat in nauí: & aliæ naues erant cum illo.*] Vt essent testes miraculi quod in mare fecit, qui admirātes dixerunt: *Quis putas est iste quia & vētus & mare obediunt ei?* nō enim discipuli aut quis esset Christus quęve potestas eius dubitabant.

Itaui

Itaut erat in naui non significat vt sedebat, sed non fuisse necessarium vt illum nautæ vel discipuli in nauim inducerent ad traijciendum, quia iam in naui erat; vel susceperant eum traijciendum, vt se composuerat in naui super ceruicali iacentem.

CAPVT V.

Damoniacum & sanguifluam sanat: puellam suscitat.

1. *ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.*] Gergesenorum, vt Matth. 5. diximus in quo totum hoc caput est expositum.

18 *Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à damonio vexatus fuerat, vt esset cum illo.*] Quasi gratus & obsequiosus minister sequi vellet; timebat etiam ne dæmones qui præsente Christo exierant, absente reuerterentur; vel volebat illius esse discipulus.

19. *Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.*] Quia hoc magis conueniebat ad Dei gloriam vt ille qui tantum acceperat beneficium in patriam suam reuerteretur; suisque ciuibus tanquam oculatus testis virtutum Christi, prædicaret eius Euangelium, factoque in se miraculo confirmaret: vt decapolitæ Tyrij & Sidonij traherentur. vel vt inanem gloriam Christus effugeret, ex Amb. vel vt magis augeretur

retur meritum illius ex dilatione, ex Greg. vel vt cognosceret etiam Christum absentem eum posse tueri, ex Eutym. qui in Patrem refert modestè quæ ipse fecit, ex Theoph. & si de seipso, per tertiam personam loquutus est, vt c. 11. & Matth. 21. 22. Et Patrem potius Deum quam Dominum, se potius Dominum quam Deum appellat, ex Eutym.

20. *Et abyit, & cœpit prædicare in decapoli quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur.*] Notat illius obedientiam, gratitudinem, fructum prædicationis ex admiratione non sola sed coniuncta cum laude. Glos.

21. *Et cum transcendisset Iesus in naui rursum trans fretum, conuenit turba multa ad eum.*] Quasi dicat, cùm redijsset vnde venerat in Galilæam & in Capharnaum. cætera quæ refert Marcus habentur apud Mat. 15.

CAPVT VI.

A suis contemnitur, pro Ioanne decollato habetur.

1. ET *egressus inde, abyit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui.*] Ex Capharnaum, vel ex domo Archisynagogi venit Nazareth, vbi nutritus. vel totam Iudæam vocat patriam. Ex Orig.

2. *Et facto Sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: vnde huic hæc omnia?*] Ideſt, cum esset dies Sabbati, ne popularibus suis exculationis occa

occasionem relinqueret quamuis sciret nō recepturos doctrinam suam nec miracula, Christus tamen iuit in patriam suam, ex Theoph.

5. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere nisi paucos infirmos impositis manibus curauit.*] Non poterat quia nolebat miracula multa Mat. 13. facere. Sic Gen. 37. Ioan. 7. vel quia nō expediebat, vt Mat. 4. & 20. vt ingratis & indignis ea faceret: & ne daret sanctū canibus Mat. 7. & fuit misericordia, ne grauius punirentur: vel potius iustitia vt miraculis indignos puniret miraculorum priuatione. vt Mat. 13. extenuat cum dixit *paucos* & impositis manibus quam si solo verbo. vt Mat. 8.

6. *Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens.*] Ciuitate sua relicta circum pagos docet, non loci, sed vtilitatis rationem habens, vt discamus parua non spernere, neque magnas semper quærere ciuitates. Ex Theoph. quomodo mirari potuerit, habes Mat. 8. Quæ hic Mar. & Matth. prætermisit refert Luc. 4. *Medice cura teipsum.*

7. *Et vocauit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dedit illis potestatem spirituum immundorum.*] Cap. 3. iam Apostolos designauerat, illic vocauit vt Apostolos faceret: hic vt ad prædicandum mitteret: vocauit autem nunc ad se vt eos instrueret, & illis daret potestatem ejiciendi dæmones & alia miracula faciendi.

12. *Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent.*] Hoc primum Ioannes, hoc Christus, hoc postremo Apostoli prædicant. Mat. 3. & 10. Luc. 9. & 19.

13. *Et vngebant multos agros, & sanabant.*] Hic de Sacramento extremæ vnctionis agitur: nam

nam cum Sacramentum sit externa ceremonia à Christo instituta tanquam ordinarium remedium salutis animæ : hæc erat ceremonia externa : & sicut visibilis aqua ijs qui baptizabãtur, ita visibile oleum ægrotis infundebatur: dicere fuisse medicamentum absurdum est; nam ad omne genus morborum adhibebatur, at medicamentum quod vni prodest alteri nocet : & Apostoli non medicinam sed Euangelium profitebantur, ex Mald. Non ergo ad sananda solum corpora, oleo vtebantur, sed ad curandos Sacramento potissimum animos ægrotos vngebãt: & cum Apostoli vt credibile iussi à Christo hac vsi fuerint ceremonia, dicẽdum est à Christo institutam. Nam inter alia Marcus scribit Apostolos oleo vnxisse ægrotos. Et si à Christo nõ fuisset institutum nunquam Iacobus 1. c. præcepisset, vt id à presbyteris Apostolorum in hoc officio successoribus obseruaretur. Ita autem instituta est hæc vnctio, vt esset Sacramentum & ordinaria animæ medicina, non vt signum curationis, vt contendit Caluinus : nam non omnes qui habebant donum curationis ea vtebantur ceremonia: nec Petrus claudum vnxit quem sanauit Act. 3. nec quos Apostoli suscitabant eos vngebant Act. 9. & 20. Et Iacobus non omnes sed Ecclesiæ presbyteros ea vti iubet : signum ergo est esse institutam vt esset verum Sacramentum & ordinarium animæ remedium. Habet & spiritualem promissionem, idest, animæ curationem annexam. *Et si in peccatis fuerit, remittuntur ei*: Et ex hoc loco sacerdotes potestatem habere per sacramenta peccata remittendi probat Chrysost. l. 3. de Sacerd.

14. *Et*

14. *Et audiuit Rex Herodes*; [*manifestum enim factum est nomen eius*] *& dicebat quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo*] Ex prædicatione discipulorum & operatione miraculorum fama & nomen Iesu extendebatur. Mat. 14. vbi hæc historia declarata est. Herodes iste, filius erat primi Herodis sub quo Ioseph Iesum duxerat in Ægyptum. Tetrarcham Matthæus vocat; Lucas tanquam principantem super quartam partem regni Patris sui sic à Romanis diuisi. Marcus vero Regem nominat, aut Patris consuetudine, aut quia hoc loco eius congruum existebat, ait Hieron.

30. *Et conuenientes Apostoli ad Iesum renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant.*] Quæ docuissent, quæ miracula feciſſent vt præceperat Mat. 10. vt totum si quid boni agitur acceptum Christo referatur.

CAPVT VII.

Curat dæmoniacum & mutum.

1. *ET conueniunt ad eum Pharisæi.*] E Iudæa in Galilæam non vt discant vt homines Genezareth, qui etiam suos infirmos adducunt: sed vt calumnientur, quia plus scientiæ legis & traditionum se habere præsumebant quam qui in Galilæa erant.

2. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis suis communibus manibus, ideſt, non lotis manducare panes, vituperauerunt.*] Non quod alij discipuli hanc seruarent de lauandis manibus traditio

traditionem, sed quia quosdam viderunt non lotis manibus manducare, omnes discipulos & Christum ipsum calumniandi occasionem arripiunt. hi commune vocabant quod nos prophanum, aut immundum, seu quod sanctũ non est, & ab omnibus Iudæis & Gentilibus mundis & immundis contrectari licet. Illoras autem manus vocant quæ non ex maiorum ritu lotæ essent non solum à sordibus, sed etiam ab omni contactu rerum prophanarum. Ritus autem erat vt ad cubitum vsque lauarentur, quem cum non seruarent Apostoli etiamsi sordidis manibus cibum non sumerent, tamen eos calumniabantur, & vituperabant Christum & discipulos.

3. *Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant.*] Causam calumniæ refert. Traditio enim seniorum non tantum exigit ciuilem illam ablutionem manuum, quæ fit ante prandium, vel cœnam, sed crebram etiam inter manducandum, & ad cubitum vsque vt supra dictum est: & colligitur ex hydrijs Ioan. 2.

4. *Et à foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum & urceorum & æramentorum & lectorum.*] Redeuntes à foro dixit potius quam aliunde, quia ibi versabantur Iudæi & Gentiles mundi, & immundi, & tunc se totos in aquam immergebant. *Lectorum* meminit, quibus mensæ accumbebant: non quibus dormiebant: & omnia quæ contrectaturi erant prandentes, ne eorum tactu si forte essent immunda contaminarentur prius eluebant. cætera apud Matth.

31. *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ.*] Melius Græci legunt, & iterum exiens à finibus Tyri, quia credendum non est Christum in vrbes Gentilium ingressum fuisse, qui non nisi ad oues domus Israel quæ petierant se missum dixerat Mat. 15. quinque Apostolis prohibuerat. Mat. 10. & Marcus non dixit à Tyro & Sidone sed de finibus Tyri & Sidonis redijsse. *Iterum* pro rursus.

32. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manus.*] Hæc historia differt ab ea Mat. 9. & Luc. 11. ille enim mutus dæmonium habebat, hic non. Ecclesia dum baptizat vtitur hac ceremonia non vt dæmonem eijciat; aut putet Christum ea eiecisse, sed vt doceat nondum baptizatum hominem, ad Dei verbum surdum & mutum esse, debereque eius aures ad audiendum aperiri, & ad profitendum fidem, linguam solui, & à susceptoribus offerri, sicut hic mutus, & surdus à cognatis & amicis. Videtur non omnino fuisse mutus, sed ægre loquens. ex Græco. *Deprecantur vt imponat illi manum*, quia alios impositione manuum sanauerat, c. 1. 5. 4. 6. & 8. & Mat. 8. 9. & 19. Et Luc. 13. Vel quia vetus erat consuetudo vt sancti viri impositis manibus sanarent. 4. Reg. 5.

33. *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam eius: & expuens, tetigit linguam eius.*] Quia qui à Christo curari volunt recedere debent ab hominum tumultu, vel vt fugeret ipse & nobis fugiendi iactantiam exemplum daret: vel quia qui tunc aderant

aderant indigni erant, qui miraculum viderent; vel vt melius oraret curaturus mutum & surdum. digito Christi Spiritum sanctum, saliua vero diuinam sapientiam in nos à Christo sicut ex capite saliuam deriuari significatur: vel vt ostenderet omnes corporis sui partes fuisse salutiferas propter coniunctam diuinitatem: vel vt inæqualiter suam potentiam & diuinitatem declararet; ideo aliquando solo verbo dæmones eijcit, mortuos suscitat ostendens se Deum esse. aliquando tactu, saliua, luto sanat ægrotos, accomodans aliquo modo suam potentiam ad modum agendi causarum naturalium, sic saliuam digito super linguam muti imposuit.

34. *Et suspiciens in cœlum, ingemuit: & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.*] Ad modum orantis, vel dolentis miseriam humanam cui sic dæmon illuderet, vel vt idem faceremus, exemplum daret. Nota vim verbi, quo cœli formati sunt.

35. *Et statim aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.*] Ideſt, perfectè curatus est, quasi dicat non iam difficile & ægrè vt ante loquebatur, sed rectè & prompte. Id etiam de audiendi facultate dicendum.

36. *Et præcepit illis ne cui dicerent: quantò autem eis præcipiebat, tantò magis & plus prædicabant; & mirabantur dicentes: bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.*] Illis ideſt, tam surdo & muto quàm ijs qui eum adduxerant vt c. 1, & 5. & Mat. 8. & 9. & sine culpa *prædicabant*. Præcipit autem quod nos obseruaturos non nouit, quia facit quod debet,

quodque in se est; quamuis sciat nos non facturos quod debemus & quod in nobis est: ideo subdunt *bene omnia fecit*, quasi dicant nihil facit quod bonum non sit.

CAPVT VIII.

Satiat turbam, corripit discipulos.

1. IN *diebus illis iterum cum turba multa esset nec haberent quod manducarent.*] Non eodem die sed trium dierum spatio, ex Mat. 15. & 16. vbi hæc explicantur de septem panibus quibus pauit quatuor millia.

22. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret.*] Subintelligitur Apostoli qui mutum & surdum adduxerant.

23. *Et apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impositis manibus suis interrogauit eum si quid videret.*] Eduxit extra Bethsaidam propter incredulitatem ciuium, vt Mat. 11. vel vt à turba semouerent. vt c. 7. vbi causam habes cur expuit.

24. *Et aspiciens ait: video homines velut arbores ambulantes*] Quasi dicat, homines quos ambulantes video non homines, sed arbores mihi videntur. ex quo declarat se aliquid videre cũ antea nihil videret, sed imperfectè tamen cũ inter arbores, & homines distinguere non posset. Alij quod nondum perfectè crederet, ideo voluit Christus suam potentiam ad illius fidem moderari, vt cum Petro fecit Mat. 14.

25. 26.

25. 26. *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia Et misit illum in domum suam dicens: vade in domum tuam; & si in vicum introieris, nemini dixeris.*] Quasi dicat si necesse fuerit, te vt domũ tuã redeas per Bethsaidam transire nemini ibi dixeris, quia indigni erant qui tot conspecta miracula cõtempsissent. Mat. 16.

38. *Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum cùm venerit in gloria Patris sui, cum Angelis sanctis.*] Hæc est vera litera, quia sic habent Græci & antiqui libri & correcti. & patet per illud quod habetur Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos sermones.* Confundi enim Christum, est erubescere confiteri illum, fugere crucem eius & ignominiam. Spurios & peccatores vocat qui cũ Deo Patri similes esse debẽt dissimiles sunt multum, quales sunt adulterini filij. vt Ps. 17. & 143. Heb. 12. & Mat. 10.

CAPVT IX.

Transfiguratur, damoniacum curat, humilitatem docet.

1. *ET post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos. Et transfiguratus est coram ipsis.*] Lucas ait fere octo, quia non constitit ei satis dictum numerus: vel quia non post octo integros dies hæc facta essent de quibus vide Mat. 15.

28. 29. *Et dixit illis: hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione, & ieiunio. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebant quenquam scire.*] Illis, ideſt, ſolis vel turbæ ſimul cum diſcipulis vt Mat. 16. *Inde profecti* è loco vbi dæmonem eiecerat vel ex caſtello Cæſarææ Philippi clam iter facientes, & quotidie locum mutantes, ne quis ſciret quo loco eſſet, & ne quis ea de quibus loquebatur propius auſcultans audiret, loquebatur enim de paſſione ſua & reſurrectione quã ſolis Apoſtolis volebat eſſe cognitam antequam accideret. Et quamuis iam bis idipſum Apoſtolis indicauerat, Mat. 17. Luc. 9. tamen alio modo & alia de cauſa nunc dicit: Tunc vt ad patientiam præpararet, nunc vt ſignificaret tempus iam adeſſe ſeque ad mortem ire Hieroſolymam.

30. *Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis, quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget.*] Indicat Chriſtum non ſimpliciter quod ſibi futurum erat prædixiſſe, ſed docuiſſe etiam Apoſtolos & inſtruxiſſe, aut quid in morte ſua myſterij eſſet aut quo animo deberent ferre. Et quia Apoſtoli geſtiebãt factis miraculis, Chriſtus infert illis mentionem mortis ex Beda. Et quia ſciebat difficile paſſioni & Reſurrectioni etiam diſcipulos credituros, ideo ſe aſſertorem eſſe maluit paſſionis & Reſurrectionis vt ex facto fides non ex auditu diſcordia naſceretur. vel vt oſtenderet ſe non coactum, ſed volentem moriturum, ex Theoph. vel vt Apoſtolos in fide confirmaret & patientia.

31. *At illi ignorabant verbum, & timebant*

interrogare

interrogare eum.] Quod si ignorabant, quæ Christus dicebat, quo modo contristati sunt? quia eum minimè mori vellent, & quæ non optamus non facilè credimus: vel verba intelligebant non mysteria: vel credebant quidem Resurrectionem, sed maluissent eum non mori, quàm mortuum resurgere.

32. *Et venerunt Capharnaum: Qui cum domi esset interrogabat eos: Quid in via tractabatis?*] Res sic accidit. Ex Marco cum adhuc essent in via intrauerat in eos cogitatio quis eorum esset maior. Ex Luc. 9. Et cum introissent in domum Petri accesserunt, qui didrachma petebant Mat. 17. ex Mald. Postea vocatos ad se discipulos Christus interrogauit, quid in via inter se tractassent, & quãuis erubescerẽt, tamẽ responderunt inter ipsos quæstionẽ fuisse, quisnam eorum maior in regno cœlorum futurus esset? Tunc Christus rebus magis, quam verbis edocens puerum aduocauit, eumque statuit in medio Apostolorum, quem cõplexatus declarauit quantũ mores illos puerorũ humilitatis & simplicitatis plenos prosequeretur. Et cũ in amplexum teneret dixit: *Amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorũ*; Mat. 18. & reddit causam eius rei, Mat. 18. Luc. 9. Quisquis vnum ex huiusmodi receperit in nomine meo me recipit.

33. *At illi tacebant, si quidem in via inter se disputauerant quis eorum maior esset.*] Præ pudore tacebant, quia videbatur ambitiosa esse quæstio, quam in via tenuerant. vnde verò originem habuerit, vide Mat. 18. Cupiebant vt filij Zæbedæi, quam proximum Christo in regno futuro locum tenere.

34. *Et residens, vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse erit omnium nouissimus & omnium minister.*] Sedens quasi docturus vt c. 4 & Mat. 5. & 13. vocauit seorsim Apostolos ne alij audirent qui in domo erant: volebat enim eorum ambitionem arguere occultè, quia erat occulta, & docere quod ad ascendendum certa via est humilitas. Mat. 20.

35. 36. *Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem cũ complexus esset, ait illis. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.*] Refert rationem conclusionis quæ est apud Math. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum.

37. *Respondit illi Ioannes, dicens: Magister, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.*] Ioannes hoc subiecit verbis Christi, quod audiens humilitatis necessitatem, & commendationem meruerit ne per arrogantiam peccauerit: vel quia Christus dixerat *in nomine meo*, sumpsit occasionem vt non quasi culpam deprecans sed quasi dubitans, num bene feciſſent, aut num idem in posterũ facere deberent, Christo quod factũ erat exponeret. Alij quasi Ioãnes ex contrario collegerit nõ fuisse illũ in nomine Christi recipiendũ, quia etsi nomine Christi dæmones ejciebat, illum tamen in Apostolorum cõsortio non sequebatur. Sed videtur potius hoc dixisse, non culpã deprecans, aut dubitans, sed gloriãs nõ in se sed in Domino, quasi Apostoli quorũ nomine loquebatur, bene functi fuisset officio, quod illum prohibuissent non tam suę

quàm

quàm Christi consulentis authoritati; ideoque nō est necesse quærere quorsū id Ioānes dixerit, vt notat Mald. Nam nō videtur dixisse post superiorē historiā sed alio loco, nec alia ratione quàm quod recens id erat factum: & Respondit, sæpè pro loqui exorsus est, ponitur, vt Mat. 11. 21. & 22. *Eiicientem* conatum non effectum significat. Poterat neque corpore, neque animo ideſt fide, & doctrina sequutus Christū dæmones eiicere vt Mat. 7. Potuit multo facilius fide non corpore Christum sequutus. Dices hoc solis Apostolis concessum cap. 3. Dedit quidem solis Apostolis publicè & solemni ritu: sed nullam sibi legem præscripsit Christus quo minus aliis daret, & permitterer; vt quisquis eius nomine certa fide, aut nulla etiam aliquando fide dæmones eiicere conaretur: vere etiam eiiceret quo magis vis sui nominis & authoritas cognosceretur. Denique etsi nondum promulgatum tamen omnium credentiū priuilegium erat vt possent dæmones expellere. cap 16. *Qui non sequitur nos*, neque corpore neque fide, vel fide sed non corpore: vel melius qui in nostro non agit comitatu seu collegio quibus solis dedisti auctoritatem. Eodem pertinet quod Christus respondet *qui non est aduersum vos pro vobis est.* quasi dicat satis esse quod ille doctrinam sequatur Euangelicam, quamuis ex ipsorum consortio non sit, neque eum pro aduersario habendum esse ex Mald. Nam credibile est illum bono animo fecisse non vt ille Simon Magus Act. 8. nec septem illi filij Sceuæ Iudæi, c. 19. Act. E: factū quidem à Christo reprehenditur non animus, nam non inuidia, sed charitate prohibuerat: contra

Caluin. qui inconsideratè, temerè, superbè, inuidè feciſſe ait.

38. *Ieſus autem ait; Nolite prohibere eum. nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.*] Quaſi dicat nemo poteſt in nomine meo miracula facere qui non meã agnoſcat poteſtatẽ, meque Chriſtum eſſe dicat; & hoc eſt non poſſe male loqui ſeu blaſphemare de ipſo, ideo vult deinceps ſuam doctrinam miraculis per quoſcumque probari vt ad Phil. 1. Num. 11. Prouerb. 3.

39. *Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.*] Duas affert rationes cur ille non ſit prohibendus, prima quia qui facit virtutem, ideſt miraculum in nomine Chriſti etiamſi illud non multum prædicet, nec Chriſto per omnia obediat, tamen non poteſt citò male loqui de eo. Secunda, quia qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt, etiamſi vobiſcum non ſequatur me, nec corporaliter vobis iungatur. Prima oſtendit non eſſe contrarium. Secunda eſſe fautorem & adiutorem. Vide Mat. 12.

40. *Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*] Tertia ratio qua Chriſtus probat non eſſe prohibendum, vel hortatur Apoſtolos vt gloriam ſibi non quærant, vel non ſolum gratum ſibi eſſe, quod ille in nomine ſuo dæmonia eiiciat, ſed ſi quis etiam quod minus eſt faciat, vt ſi in nomine ſuo det potum aquæ frigidæ. Matt. 10. alio loco hoc à Chriſto dictum refert, ex Maldonat. cum ad prædicandum Apoſtolos mitteret, doceretque qualia ſibi hoſpitia eligere deberent.

42. 43. *Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam : bonum est tibi debilem introire in vitam quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*] Ex cladibus quæ in bello fieri solent sumpta metaphora ad pœnas inferni, quasi dicat Deus, ex Isa. 66. Vermis non istorum qui in bello cadunt, sed eorum qui in inferno torquebuntur, non extinguitur. Errant qui ex Metaphorico vermem metaphoricum ignem colligunt : & qui vermem ad animam, ignem ad corpus pertinere putant, ex Mal. Nam & vermis, & ignis in animam agit, & corpus, sicque pœnam vnam eandem totámque totius hominis significauit.

48. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.*] Quia de eruendo oculo, & abscindendis manibus ac pedibus, si nos offenderent locutus fuerat ; docet id nunc esse necessarium si Deo placere volumus, oportere enim tãquam victimam igne & sale saliri, ideſt, huiusmodi pœnis purgarivt maiores euitemus, quæ quia sicut ignis aurum & argẽtum, sic illæ homines probant, ignis appellãtur; vel quia de igne inferni mentionem fecit : subiecit omnes homines igne saliendos, ideſt, aut probandos esse, aut torquendos. Vel reddit causam cur ignis ille non moriatur ; quia scilicet qui eo torquentur eodem quasi saliuntur: ideoque incorrupti in perpetuis cruciatibus conseruantur : vel de iis tantum loquitur de quibus dixerat *vermis* eorum non moritur, & ignis non extinguitur. reddit quippe causá quare ignem *eorum* dixerit quasi ignei futuri sint, quia inquit : omnes illi, igne salientur, ideſt, con-

dientur,& torrebuntur, veluti carnes quæ ad esum igne assantur. Non ergo per particulam *enim* causa redditur cur ignis damnatorum extinguendus non sit, sed cur *illorum* ignis fuerit appellatus. Maldon. ait voluisse Christum de damnatis tanquam de occisis victimis metaphorice loqui: solent enim qui à Deo puniuntur,aut in hac aut in altera vita temporali,aut sempiterna morte, victimæ vocari: quod tanquam victimæ ligatæ quæ sacrificanti resistere non possunt,à Deo ad declarandam ipsius gloriam atque iustitiam quodammodo trucidentur. Isa.34. Ierem. 12. & 51. Ezechiel.21. Quia ergo Christus Isaiæ testimonium adduxerat in quo aut de occisione bellica, aut de damnatis ex occisione bellica sumpta metaphora agebatur, & qui in bello à Deo occiduntur eius victimæ vocantur: persistit in Metaphora, & de damnatis tãquam de victimis loquutus est: & quia vt lex præcipiebat Leuit. 2. omnis victima salienda erat,dixit etiam damnatos esse saliendos, & quidem igne. Et coniunctio & non tam copulatiua est hic quàm comparatiua,quasi dicat sicut victima vt lege præscribitur, sale salietur, ita omnis damnatus salietur igne: vt Prouerbio. 25. & cor regum id est sic.

49. *Bonum est sal, quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condieris? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*] Bonum idest vtile significans Apostolos ad hoc electos vt sua sapientia aliorum stultitiam condiant, ex Hieron. vigilare debere ne fiant insipidi, & insulsi; & cauendum prudenter ne scandalizentur aliqua re, & tolerare eum qui suo nomine

dæmones

dæmones eiiciebat: vel quia de sale loquutus fuerat, docet nunc Apostolos vt salem habeant ideſt doctrinam, & Spiritus gratiam, quæ vim habet restringendi vt sal, ideſt homines à vitiis cohibendi; Vel sensus est ne habeatis illum damnatorum ignem, sed illum quo victimæ condiuntur, ideſt prudentiam, charitatem & pacem: ne hominum more inter vos contendatis; vel forte ex Mald. non hoc sed alio loco Christus hæc dixit Matth. 5. Nam Marcus multa alia alieno loco posuit.

CAPVT X.

Repudium prohibet, paruulos suscipit.

1 *ET inde exurgens venit in fines Iudæa vltra Iordanem: & conuenerunt iterum turbæ ad eum.*] Ex domo Petri quæ erat in Capharnaum in qua hos præcedentes sermones habuit venit vt prius populum illum doceret qui prope Iordanem habitat, ideo non recta via iuit Hierosolymam; *turbæ conuenerunt* ex Iudæa vel ex Galilæa, vel vtrinque ex Mat. 19. vide totum hoc caput.

32. *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam: & præcedebat illos Iesus, & stupebant.*] Ideſt euntes versus Hierosolymam. vel dicuntur ascendentes, quia Hierosolyma est supra montem Sion. *præcedebat*, quia non inuitus, sed volens, ad mortem ibat. *stupebant*, ex ingenti metu. ideo sequentes timebant.

41. *Scitis*

42. *Scitis quia hi, qui videntur principari Gentibus, dominantur eis: & Principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit maior fieri, erit vester minister.*] Nota contra Hæreticos non negare Apostolis, & Episcopis potestatem, sed inter vsum sæcularis, & Ecclesiasticæ potestatis discrimen ponere: quia sæculares cupiditate potestatem exercent: Ecclesiastici humiliter. 1. Pet. 5.

CAPVT XI.

Hierusalem ingreditur.

1. *ET cùm appropinquaret Hierosolymæ, & Bethaniæ ad montem oliueti: mittit duos ex discipulis suis.*] Sex vel potius quinque diebus ante Pascha; nam die sexto ante Pascha qui Sabbathum erat Bethaniæ requieuit, vbi cœna illa exhibita est, accumbente Lazaro; sequenti verò die qui dominico nostro respondebat inde profectus, & ingressus est Hierosolymam sedens super asinam apud Matthæum 21.

18. *Timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.*] Timebant ne ipsi Scribæ desererentur, vel non audebant in eum manus iniicere. Luc. 19.

19. *Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate.*] Idest egredi solebat, singulis diebus vesperi Bethaniam secedebat vbi hospitium habebat, mane verò redibat Hierosolymam docturus in templo. Luc. 21. quod fecit tribus

tribus continuis diebus Dominico Lunæ Martis. Die verò Mercurij & Iouis sese continuit Bethaniæ vsque ad vesperum, quo vt Pascha celebraret, ac pateretur, rediit Hierosolymam.

25. *Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.*] Ideſt eritis ante altare, ante Deum, non enim ex hoc colligitur Iudæos ſtantes orare. vt Mar. 6. Apud Matt. 5. ſi iniuriam feciſtis, hic ſi accepiſtis: vterque enim aliquid habere dicitur, vterque alterum odit, ſed qui fecit timet, qui accepit iniuriam, quærit vindictam. Cætera apud Matth.

CAPVT XII.

Parabola de vinea.

1. ET *cœpit illis in parabolis loqui.*] Vnam recitans de vinea, indicat ſe alias omittere. nam Mat. 21. & 22. duas refert.

41. *Et ſedens Ieſus contra Gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba iactaret as in Gazophylacium, & multi diuites iactabant multa.*] In locum vbi templi theſaurus reponebatur, & duplex erat: alter in quem pecunia coniiciebatur ad modum arcæ, quales nunc videmus in templis, 4. Reg. 12. ex Beda: iuxta quem è regione arcæ hic ſedens dicitur Chriſtus: alter in quem res maioris molis à populo ponebantur, & hic erat aula aut locus amplus. De vidua paupere non dixit: iecit, vt ſonitum ederet, ſed *miſit*, vt & paruum & modeſtum donum ſignificaret. Et hanc vnam multis prætulit.

43. *Amen*

43. *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylacium.*] Habita ratione inopiæ & charitatis, quia viduæ & pauperi plus duo minuta erant quam diuiti permulta: non enim improbat vt Hæretici volunt eos qui magnam templo pecuniam offerebant in ministerium, & ornatum templi quin potius laudat; Luc. 21. sed viduam illis, minorem offerentem pecuniam præfert propter maiorem charitatem.

CAPVT XIII.

De consummatione mundi.

1. *ET cum egreteretur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.*] Obseruant discipuli tempus & locum vt templi magnitudinem & elegantiam Christo propè conspiciendam proponerent: sed quem peccata ad iram prouocabant, saxa placare non poterant. Et verosimile est vnum omnium nomine loquutum. Mat 24. & Luc. 21.

11. *Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini.*] Matthæi 10. Luc. 12. Hæc alia occasione alioque tempore, & loco, à Christo dicta referunt cum Apostolos mitteret ad prædicandum Euangelium inter Iudæos.

CAPVT

CAPVT XIV.

Post cœnam capitur.

1. *Erat autem Pascha & Azyma post biduum.*] Non significat tunc fuisse Pascha cum ea acciderunt quæ superiore cap. dicta sunt. Azymum vero post biduum futurum fuisse, sed coniuncte legendo, vtrumque & Pascha & Azyma fuisse futura post biduum. Eodem enim non solum die, sed etiam momento vtrumque inchoabatur. Mat. 26. Quæ superiore capite dicta sunt acciderunt die Martis; die scilicet tertio hebdomadis: die verò Iouis post solis occasum Pascha & azymum fuit. Mat. 26 Eo enim die sub vesperum egressus Christus è templo & vrbe Bethaniam rediit vt singulis noctibus facere solebat cap. 11. & Mat. 26.

51. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum.*] Sola sindone super nudũ corpus cincta è lecto exiliens audito tumultu suspicatus Christum vinctum duci. Sindon autem non erat quasi linteolum sed genus vestis quamuis lineæ, tamen calidæ quam in subito casu arripuit vt totum tegeret corpus & vt frigus pelleret. Hũc adolescentem quidam Iacobum fuisse dicunt qui lineis vtebatur: Alij vt Greg. 14. Moral. Ioannem Euangelistam, qui adolescens tunc fuisse creditur & ex longo quo postea vixit tempore comprobatur. At non est credibile illum fugisse qui tam libere Christum secutus est: vel vt eum defenderet, vel si non posset rei

rei exitum videret, quem milites *tenuerunt* aut tenere conati sunt, constat enim fugisse. Ex quo patet quanta fuerit eorũ sæuitia qui in eos qui Christum sequebantur etiam sæuire voluerunt.

61. *Rursum summus Sacerdos interrogat eum. Tu es Christus filius Dei benedicti.*] Mat. 26. adiurans eum per Deum viuum, quia cum non essent testimonia conuenientia ad diuinum confugit, vt compellat eum aliquid morte dignum confiteri, & interrogat an esset filius Dei quod sciebat ipsum non negaturum, & cum se esse respondit condemnat vt blasphemum.

CAPVT XV.

Condemnatus crucifigitur & sepelitur.

1. *ET confestim mane consilium facientes.*] Vide quam celeres ad eum condemnandum.

CAPVT XVI.

Resurgit & in cœlos ascendit.

1. *ET cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata.*] Simul atque Sabbatum transiit statim post solis occasum, transacto iam festo, emerunt aromata vesperi, mane ad monumentum venerunt. Mat. 28. Hieronymus hoc caput ad Marci Euangelium additum putat, sed ex

Conc.

Conc. Trid. iam amplius non licet dubitare esse Canonicum.

12. *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie.*] De iisdem apud Luc. 24. copiosius, quamuis sint qui alios esse putent.

14. *Nouissime recumbentibus illis undecim apparuit. Et exprobrauit incredulitatem eorum quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderũt.*] Eo scilicet tempore quo cœnabant omnes, simul erant, aut cum paratum inuenisset cibum coram discipulis sumere, & suam illis resurrectionem edendo & bibendo probaret. Ioan. 20. Hæc enim apparitio ea fuit quæ octauo post Resurrectionem die facta est præsente Thoma, absente Iuda, qui se iam forte laqueo suspenderat. Notanda syllepsis est quia vnius Thomæ incredulitas arguitur. Ioan. 20. Mat. 26. *non crediderunt* mulieribus quæ primæ Christum viderant Mat. 28. Luc. 24. & Petro & Ioanni qui idem viderant & nuntiauerant. Ioan. 24. & duobus aliis discipulis euntibus in Emaus. Luc. 24.

15. *Et dixit eis: euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.*] *Dixit eis* non tunc cum illis recumbentibus apparuit, sed postea cum in monte Galilææ esset. Constat autem nec cunctos nec singulos Apostolos totum mundum peragrasse nec potuisse peragrare. Et quod ad Rom. ait Paulus ad Rom. 10. In omnem terram exiuit sonus eorũ, per hyperbolem dictum de iis tantum Gentibus de quibus loquebatur, ideſt, de Asianis & Europeis. Tantum ergo voluit Christus terminos ad illud vsque tempus positos legi & Euan-

gelio

gelio remouere, & non alios quam orbis terrarum fines ponere. Nam lex intra Iudæam terminabatur. Ps. 75. Et ante cum ad prædicandum Euangelium Christus misisset Apostolos extra Iudæam ire vetuerat. Mat. 10. hos non remouet terminos. *Omni creaturæ* igitur opponit vni Iudæorum Genti, hoc enim subiectum legationis Apostolicæ vt prædicēt Euangelium omnibus Gentibus.

16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.*] Sanctus August. l. de fide & oper. & Iacobus Epist. 2. refutant Hæreticos qui hinc contendunt solam fidem esse ad salutem necessariam. Et Tertul. l. de Bapt. eos qui dicunt Baptismū non esse necessarium ad salutem: Et qui solos adultos Baptismi capaces esse dicunt. Mat. 28. Et cum dicitur qui crediderit, & baptizatus fuerit intelligitur si bene crediderit: vt omnis qui petit accipit, si bene petierit: bene autem credit qui opera quæ fides exigit præstat.

17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eiicient.*] Quod non de actu sed de potestate intelligitur. Nec de singulis hominibus necessario sed de iis tantum quibus conueniebat fidem propagare, nec de omni tempore sed de eo tantum quo ad eum finem propter quem potestas hæc concedebatur, ideſt, ad fidei confirmationem, & propagationem. nec quod ista omnia faciant aut facere possint credentes, quæ hic à Christo memorantur: sed ita vt alia alij facere possint. Initio rari erant qui miracula non facerent, & omnes linguis loquebantur. Nec statim atque aliquis baptizabatur hoc domum

accipie

accipiebat sed potius per Confirmationem effundebatur. Act. 19.

18. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.*] Non statim octauo die post resurrectionem, & post superiorem apparitionem. nam versatus est per dies quadraginta quibus expletis euectus est in cœlum Luc. 24. non quod non sua virtute ascenderit, sed sicut ex mortuis dicitur suscitatus à Patre Act. 2. Rom. 4. 1. Cor. 15. & 2. Cor. 4. Gal. 1. Col. 2. Quia suscitare mortuos est magnæ potentiæ, & potẽtia attribuitur Patri: Ita & assumptus à Patre per eandem attributionem dicitur non ab aliquo externo vt Elias curru igneo, sed ab vnita sibi diuinitate. *Sedet* non positum corporis significat quin potius stare diceretur, vt Act. 7. sed regnare, Ecclesiam gubernare, vt nunc Vrbanum VIII. Romæ sedere dicimus, & alta fruentem pace post longos labores. Heb. 1. & 12. *A dextris Dei*, in gloria, maiestate, potentia, & rerum omnium æqualitate cum Patre. Et sicut in iudicio nõ habebit maiorem quam Pater potestatem reipsa sed maiorem ostendet ac præ se ferret quia ipse non Pater iudicis officium exercebit Ioan. 5. Sic in honoratiore quodammodo loco videbitur esse sedens in dextera, non quod reipsa maior sit, sed quod Regis officium exerceat, Ecclesiam gubernans: donec Pater ponat inimicos suos scabellum pedum eius. Sic Mald. humana natura dat Christo vt sedeat: diuina vt ad dexteram sedeat. Et quamuis iam esset humana natura coniuncta diuinæ naturæ: tamen sedere ad dexteram non dicebatur quia Christo ita volente nondum

erat

erat glorificata eius humana natura. Et quia Christus ipse vt Deus, etsi æqualem cum Patre habebat maiestatem, extrinsecus tamen non ostendebat adhuc vermis & non homo, adhuc gerens formam serui, adhuc patiens, & pugnans, sedet qui vicit, qui regnat, qui triumphat.

10. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.*] Nota nos non solum Dei 1. Cor. 3. sed quod maius est Deum nostri coadiutorem & cooperatorem esse.

Finis Euangelij secundum Marcum.

MANVA

MANVALE IN SANCTVM

IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM SECVNDVM

LVCAM.

ANCTVS Lucas Antiochenus fuit patria, arte Medicus, pictor egregius, elegantius cæteris Euangelistis scripsit Græce. Origenes Christi discipulum facit : Tertullianus non Apostolum, sed Apostolicum virum vocat; quo nomine vocabantur ij, qui quamuis Christum non audiuissent, audierant tamen Apostolos, vt ait cap. 1. Nicephorus refert Paulo iam prædicante ad eum Thebas venisse, auditóque eo credidisse : Et peregrinationis eius comitem factum esse. Scripsit Euangelium anno 15. post ascensionem Christi non solum docente atque hortante ; sed etiam dictante D. Paulo : qui quoties Euangelium suum dicit, hoc Lucæ intelligit. Sunt qui putant ab aliis etiam Apostolis

lis, & discipulis didicisse. cap. 1. Deinde acta Apostolorum scripsisse.

CAPVT 1.

Concipit, & parit Elizabeth, visitatur à matre Dei.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt rerum.] Quæ hic scribit vsque ad versum 5. non Euangelij pars, sed proœmium est, quo vtitur quia ad priuatum hominem Theophilum scripsit: Vel quia cum res de quibus scripturus erat non vidisset; ausus tamen esset scribere, rationem reddit audaciæ; quod diligenter omnia ex iis qui viderant didicisset. *Multi*, ideſt, pseudo-apostoli, veteres hæretici: vt qui Euangelium secundum Thomam, & secũdum Matthiam scripserunt: vel secundum Ægyptios: vel quod duodecim vocabatur. Quod si, *conati sunt*, in laudem sumatur, poterunt Matthæus, & Marcus intelligi; quorum conatum se imitari ait *rerum* quas Christus fecit, & docuit, quarum certissimam fidem haberet.

2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt.*] Et ministri seu auctores fuerunt sermonis, vt Apostoli & discipuli, & in primis B. Virgo, mater Christi: nam quæ scripsit de conceptione, & ortu Baptistæ, non potuit ab alio discere.

3. *Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, & ex ordine tibi scribere. optime Theophile.*] Q. d. visum etiam mihi in Domino eà ordina

ordinare, sicut & illis visum est: diligentiam suam cõmendat in explorandis iis rebus, quas volebat scribere & scientiam earumdem se habere indicat, & eos qui conati sunt scribere, non omnia perfectè assecutos, seque non confusè scripturum; non eo tamen semper ordine quo res gestæ sunt: *Theophilus* nomen est commune vel proprium. Ex Act. 1. & 23.

4. *Vt cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.*] De quibus viua voce doctus es: quia soliti sumus liberius loqui quam scribere: vel quia cum ab alio Christiano edoctus esset, ideo ad eum Lucam scribere, vt in fide confirmaretur: Vel quia siue Lucæ, siue non, discipulus esset, in Christo; nondum tamen ordine rerum gestarum historiam omnem agnoscceret.

5. *Fuit in diebus Herodis, Regis Iudæa, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor eius de filiabus Aaron; & nomen eius Elizabeth.*] Tempus describit vt fidem faciat historiæ: personam Ioannis commendat, vt plus valeat eius testimonium de Christo: ideo parentum eius nobilitatem, & sanctitatem refert. Zacharias dicitur fuisse *de vice Abia*: quia de illius erat familia. De quo 1. Paral. 24. & 1. Reg. 11. Legenda Sacerdotum diuisio in 24. familias, vt vicissim familiæ, vna deseruirent hebdomadã. *Et vxor eius*, vna ex mulieribus, quæ ex Aaron summo Sacerdote originem trahebant. Matth. 1.

6. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.*] Laudauit à stirpe & offi-

cio, nunc à moribus: ait *ante Deum*, vt vera & solida iustitia significetur. *sine querela*, vt nemo conqueri posset, quod nõ diligenter obseruarint: omnia præcepta siue naturali, siue diuino iure præscripta: vel adeo diligenter obseruasse, vt nihil desiderari, nec apud Deum, nec apud homines reprehendi posset. Nota tamen non carnisse venialibus sed mortalibus, quæ sola de iusto, iniustum faciunt.

7. *Et non erat eis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.*] Duplici ratione, & quia sterilis erat, & ambo senes: vt maiore miraculo natum Ioannem appareat: Et vt omnes eius de Christo testimonium facilius recipiant.

8. *Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ ante Deum.*] Accidit cum sacra faceret, in sua hebdomade, in primo tabernaculo, quod vocabatur sanctum, quod quia erat è regione secundi tabernaculi, quod vocabatur sanctum Sanctorum; vbi propter arcam testamenti, quæ ibi erat, dicebatur Dominus habitare coram Domino: aut *ante Deũ* dicebatur: quibus duabus partibus templi, si primam addideris, quæ atrium seu templum dicebatur, in qua populus consistebat, tres partes templi habebis.

9. *Secundum consuetudinem Sacerdotij, sorte exiit, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.*] Non ait secundum legem, quia ordo ille per vices ministrandi, non lege sed instituto hominum constaret: videtur tamen ea consuetudo, lege sancita, vt mane & vespere in priore tabernaculo, thus adoleretur. Exod. 30. Græce, sortitus est vt adoleret incensum, vt thus

thus incenderet, designatus est, siue veteri sortitione. 1. Par. 24. seu potius tunc facta. Cum enim plures essent eiusdem familiæ Sacerdotes, qui eadem hebdomade in templo Sacerdotio fungerentur, & non nisi vnus thus adolere posset; verosimile est quod quidam dicunt, sortitione inter ipsos transigi solitum fuisse, quis eorum id vno, quis altero die, aut quis mane, aut quis vespere facturus esset; nec inconsulto sortis mentionem facit Lucas: vt rem omnem diuinitus permissam, & factam fuisse significet. Ex hoc loco constat Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, non enim tacuisset: nec dixisset, vt poneret incensum; sed vt peracto prius sacrificio, aspersoque sanguine populum expiaret, quod proprium erat summi Sacerdotis: Exod. 30. Leuit. 16. Heb. 9. Insuper altare incensi, non erat in secundo, sed in primo tabernaculo; in quod dicitur *ingressus*: iam enim erat in templo. Ex quo non licebat totos octo dies quibus ministrabat exire. 4. Reg. 11. 2. Par. 23.

10. *Et omnis multitudo populi, erat orans foris hora incensi.*] Quia non licebat populo in tabernaculum ingredi, sed in prima parte consistebat, quæ templum aut atrium populi dicebatur: vt significaret solum fuisse Zachariam, cum illi Angelus apparuit: & populum huius apparitionis effectum vidisse, mutum scilicet Zachariam.

11. *Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.*] Siue quia ibi prius erat, sed quia nolebat, non videbatur: siue quia subitò aduentasset, & apparuisset, non in suamet substantia, sed humana forma vt probabilius

bilius est, vt Gen. 19. Dan. 3. vt constaret Ioannem non humana, sed diuina virtute nasciturum: vt Ioannis ortus, & conceptus esset simillimus. *stans*, vt ministrum se esse Dei indicaret: *à dextris*, quia læta nuntiabat, vt Mar. 16. in Tabernaculo; vt cõstaret eum à Domino missum, quia in eo loco apparebat, vbi Dominus habitare dicebatur; vbi erat Arca: Et quia tunc sacris operans, aptior erat ad excipiendam Angeli visionem: Et quia ibi Sacerdotes, responsa excipiebant. Et veri Sacerdotis Christi nunciaturus veniebat aduentum. Et vt indicaret se ab eo missum, cui sacrificabatur in eo altari: *incensi* vocat ad distinctionem altaris, in quo victimæ offerebantur. Ex Basil.

12. *Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.*] Ob inopinatam præsentiam, & Angelicam maiestatem, vt Dan. 10.

13. *Ait autem ad eum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.*] Pellit timorem, vt doceat se bonum, non malum Angelũ esse; & prospera non aduersa nuntiare. q. d. non est cur timeas, sed potius gaudeas, ob precem tuam à Deo exauditam, qua prolem à Deo precatus es; Vel qua pro aduentu Messiæ, & populi peccatis: non enim absre erat, si simplex erat Sacerdos, publicis priuatam miscere orationẽ, multo vero minus si summus, vt Leuit. 16. Vel dicendum non tunc cum Angelus venit: sed multo ante cum nondum spem omnem deposuisset, pro liberis suscipiendis solitum orare, & de ea oratione Angelum loqui: Vel tunc orasse, quamuis omnem spem prolis

susciendæ naturali lege abiecisset; quia spem susciendæ diuino miraculo non amiserat, vt Anna 1. Reg. 1. Ideo autem non credidit Zacharias Angelo, non quia de potentia Dei dubitauerit, sed quia certus non erat, an ille quem videbat verus, ac bonus Angelus, & à Deo missus esset. *Ioannes*, ideſt, gratiosus; seu quia gratuita Dei bonitate patentibus datus esset, seu quia gratia plenus. Cyril.

14 *Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.*] *Tibi*, quia ob sterilitatem vxoris hactenus doluisti, optatus nascetur filius: idque præter spem, sed etiam quod in illo desideratum à te Messiam adesse cognosces, cuius hic futurus & præco, sic publicam omni populo lætitiam afferet. Hinc colligitur alienum à sacris literis non esse; non publica modo lætitia, sed etiam lautioribus conuiuiis, festos dies agere. 2 Esd. 8. Et vtinam de natiuitate, non de vanitate ait Bern.

15. *Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.*] Reddit rationem publici gaudij: addit *coram Domino*: vt declaret se non loqui de corporis, vel potentiæ sæcularis magnitudine, sed animæ, quæ in donis spiritus consistit, & vitæ sanctimonia. Hieron. Num. 6. pro *sicera* vertit omne quod inebriare potest. Hinc colligitur, non solum nos bonis operibus iustificari, cum gratos nos Deo reddant: sed quod hæretici negant, etiam ieiunia, ciborum delectum, magni esse apud Deum meriti Iud. 13. Hierem. 35. *Ex vtero* non sic intelligendum, quasi tum primum replen-

dus sit Spiritu sancto, cum vterum matris ingressus est; sed quod spiritum acceptum in vtero, seruaturus esset vsque in finem.

16. *Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.*] Ad Christum quem ostendit, quem prædicauit, cuius diuinitas ex hoc loco probatur.

17. *Et ipse præcedet ante illum, in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.*] *Præcedet ante* Messiam Dominum Deum ipsorum, cum Spiritu, sanctitate, fortitudine, in arguendis vitiis, qualis fuit, vel erit Eliæ. Accipitur enim hic Spiritus pro dono Spiritus sancti, seu pro officio præconis Christi, & vocatione, non pro Spiritu sancto. vt cap. 9. verba Malachiæ. cap. 4. retulit vt doceat Ioannem, eum esse quem dixerat, ante faciem Domini venturum: *Patres* sunt Iudæi; *filij* vero Christus & Apostoli. Conuertit ergo corda patrum in filios quia Iudæos quibus prædicauit, credere fecit Christo & Apostolis eius: Vel Patres sunt Patriarchæ & Prophetæ; filij recentiores Iudæi qui multum ab eorum sanctitate & moribus degenerarunt: Ideoque in sensi illis antiqui patres fuissent; reconciliari autem eis, quia antiquorum scientiam sanctorum Iudæis prædicãdo infudit; hoc est quia filios eandem fecit habere mentem, cor & sapientiam, qualem habuerunt Patriarchæ & Prophetæ: Vel quia fecit ipsos bene affici filiis suis, Iudæis, eósque pro germanis filiis recipiãt: Vel Patres Iudæi qui prius vocati, idest nati sunt: filij, Gentiles: vel cor Patris ad filium, idest Dei Patris ad Deum filium, cõuertendum

signi

significari. Nō. quod Pater filio iratus esset, sed quod Elias, & Ioannes essent effecturi, vt Pater filium diligere cognosceretur: Vel Patres & filij non metaphorice accipiuntur pro Christo & Apostolis: vel pro Iudæis & Gentilibus; vel pro vetustioribus, & recentioribus Iudæis: Sed pro iis, qui eo tempore de quo Propheta loquebatur, viui essent. q.d. conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres: ideſt, Patres & filios conciliabit, inter se dissidentes moribus, & religione: conciliabit autem dum docti quæ vera sit religio, eum & Patres & filij pariter cōplectentur: Dissidebant enim tunc cum Ioannes venit, in tres sectas diuisi Pharisæorum, Saducæorum, Essenorum. Ioannes autem quantū in ipso fuit, ad vnam omnes religionem, ad vnū omnes transtulit Saluatorem Christum, quem digito demonstrauit, & peccata mundi ablaturum docuit: ait Maldon. Idem Elias ante secundum aduentum facturus est. *Prudentiam iustorum*, ideſt, ad fidem, ad religionem eorum qui melius de fide & religione sentiunt; eam quippe incredulitati opponit, *vt paret plebem perfectam*, ideſt, idoneam atque maturam, ad Christi doctrinam susciēdam. Et in his verbis, totum Ioannis officium continetur, vt exemplo, prædicatione, baptismo præpararet perfectam, ideſt, perfectam efficeret, ad susciēdum Christum per fidem.

18. *Et dixit Zacharias ad Angelum: vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.*] More Iudæorū signum petit ad credendum: vt Gen. 15. Iud. 6. Omnes consentiunt Zachariā peccauisse, ex verbis Angeli: *Et ecce eris tacens.* Qua re peccauerit diffidentia,

incredulitate? *Quia non* credidisti verbis meis. Caluin. putat eum dubitasse de Dei potentia: Alij quod senectutem suam, & vxoris, non Dei potentiam considerauerit: Alij melius de Angelo, an verus esset, & à Deo missus esset. Et colligitur ex respõso, *Ego sum Gabriel*. In eo autem peccauit, quia tam apertè sese ostendenti, & tanta signa suæ legationis præ se ferenti, non crediderit: sed longe tamen leuiorem fuisse culpam; quàm si aut Deo, aut Angelo, quem bonum esse, & Dei nomine loqui sciret, non credidisset: ideoque fuisse tantùm veniale peccatum, nec dicendum pœnæ grauitatem, indicium esse grauitatis peccati: nam non solum in pœnam, sed multo magis in signum, & argumentum veritatis mutus factus est. Opponit autem Angeli dictis duas naturales causas dubitationis, quia cum Angelo, aut tanquam cum homine; aut tanquam cum Angelo, qui non diuina, sed naturali virtute, filium sibi polliceretur, loquebatur.

19. *Respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: Et missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.*] Ex nomine datur intelligi, quam merito debeat illi credere, quia admirandas illas visiones Danielis de nouissimis temporibus illi explicauit: & possibilia esse ea quæ promittebat quamuis essent supra naturæ vires: Quia Gabriel est fortitudo Dei, seu fortitudo mea Deus. *Qui asto ante Deum*, significans se non esse ex iis qui eiecti sunt à facie Dei: sed ex iis qui Deum semper & vbique vident: vnde infertur esse vnũ ex primis Angelis, quod ad tractãdum maximum omnium negotiũ. Verosimile est Archangelum, id est,

id est, principem aliquem Angelorum missum esse: deinde colligitur Angelos cum ad nos mittuntur Deo semper esse præsentes. Et officium quod est mitti Psalm. 103. Heb. 1. *Euangelizare*, idest hoc bonum nuncium afferre. retinuit hoc verbum Græcum quia hoc primum erat exordium Euangelij, quod Angelus nuntiabat.

20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*] *Ecce*, denotat aliquid nouum, signum scilicet quo & petitioni eius, in confirmationem promissionis satisfiat: & digna dissidentiæ pœna infligatur. Eadem res, supplicium fuit peccantis, & beneficium precantis. Græcè, *eris tacens*, & loquendi impotens; vel surdus, sicque mutus, & surdus factus est, Ambr. Si enim surdus non erat quid opus erat innuere, idest, non voce, sed signis eum interrogare, *quem vellet vocari eum.* Et accedit quod qui muti, iidem & surdi sunt. Hac autem pœna afflictus est, vt qui discredendo locutus fuerat, tacendo disceret credere. Attende non fuisse nuda verba hęc: nam nec eis fidem dedisset Zacharias: sed coniuncta diuinæ virtuti, quæ intellectum Zachariæ illustrauit, vt agnosceret vera esse quę nunc proferebantur.

21. *Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabatur quod tardaret in templo.*] Foris orans extra tabernaculum: ex quo colligitur aliquandiu plus locutum esse Zachariam cum Angelo quàm recenset Lucas.

22. *Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quod visionem vidisset in templo:*

& ipse erat innuens illi, & permansit mutus.] Vsque ad tempus ab eo præscriptum, nempe post nouem menses, vsque ad circumcisionem, & nominis impositionem. Hoc populum confirmauit quod visionem vidisset: & quod sub tam longo silentio, latebat mysterium.

23. *Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.*] Post octo dies. Hinc apparet quamuis surdus, & mutus esset factus, non discessisse ab officio, vt discant sacerdotes, munus non deserere in aduersis.

24. *Post hos autem dies, concepit Elizabeth, & occultabat se mensibus quinque.*] Hos dies octo vocat, de quibus locutus fuerat; quibus Zacharias per vices officium expleuerat in tẽplo. *Occultabat* se pudore, tum quia verebatur ne à vulgo diuini mysterij inscio parum honesta reputaretur, vt quæ in aliena ætate viri vacasset amplexibus, tum ne plerisque ridicula haberetur, si ante noui conceptus certa indicia se grauidam exhiberet, & prædicaret. Atque ob id non se diutius occultabat, quam visitante ipsam Virgine, certis argumentis, diuinum donum lucide manifestaretur. Per exultationem infantis in vtero: docet vt tempus expectemus, quo Deus ipse dona sua nota fieri volet & nota faciet erubescebat gratiam, etsi non agnosceret culpam Ambros.

25. *Dicens quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meũ inter homines.*] Tam præclare mecũ egit, vt supra naturã concipere, & tam illustrẽ cõcipere filium daret: tunc quãdo placuit Deo, auferre opprobrium sterilitatis à me. Quidam verbo *respexit*, subintelligunt *me vt auferret*: sed melius, *respexit ad*

aufe-

auferendū, ideſt curæ ei fuit vt auferret, nō dixit maledictionē Dei, quia ſciebat nō eſſe ignominioſam Deo, nec ex maledictione Dei ſe incurriſſe, quāuis opprobrium hominū effugere ob eam non potuiſſet. Erat autem dedecori quia puderet mulieres nō parere, quę ob id nubebāt: vel quia Iudæi nimis carnales erant: vel quod eius populi propagatione, Chriſtus naſciturus eſſet, ideo alienos à Chriſto viſos, qui poſteritatem non haberent: vel quia inter benedictiones à Deo datas huic populo, hęc vna erat, vt in eo nulla ſterilis eſſet Exod. 23. Deut. 7. vel quia ſterilitas, pœna alicuius grauis peccati videretur. vt Gen. 20. Oze. 9. ideo dixit *inter homines*. Attende Elizabeth gratam voluntatem, quia hoc opus Deo authori tribuit; fidem, quia fœlicem partum credebat & expectabat: prudentiam, quia conceptum non euulgauit.

26. *In menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.*] A conceptione Ioannis diſtinctè deſcribit omnia, tempus, locum, perſonam miſſam, & ad quam miſſio, & à quo facta eſt: ad hiſtoriæ fidem, & vt declararet quanto tempore Ioannes Chriſto eſſet maior natu, quanto interuallo qui præceſſurus prædicando erat, naſcendo præceſſiſſet. & vt oſtenderet non niſi ſex menſium eſſe Ioannem cum venientem ad ſe Dominum ſenſit. Ideo autem ſexto menſe Angelus ad Mariam miſſus eſt, quia ſexta mundi ætate Chriſtus erat naſciturus; & debuit in vtero clauſum, in vtero ipſe clauſus infans, infantem demonſtrare, & miraculo conceptus, maiori concepti Chriſti miraculo, fidem facere: *Miſſus Gabriel* idem qui ad Zachariam, qui

non suo venit nomine sed *à Deo* : de Nazareth diximus Matth. 2.

27. *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.*] Vide Matth.

28. *Et ingressus Angelus ad eam dixit : Aue gratia plena: Dominus tecum ; benedicta tu in mulieribus.*] Gaude, salue, pax tibi. Iubet Angelus Mariam gaudere, non timere, bono animo esse; se bonum non malum Angelum esse: & lætum nuntium afferre, ideo à salutatione incipit, tum vt excitet ad audiendum mysterium, tum ad consentiendum. Male Hæretici legunt, gratiosa, grata, accepta, gratiam consequuta, dilecta: sed Angelus dum singulari & noua vtitur salutatione, satis indicat nihil se commune cum cæteris mortalibus dicere voluisse, & neminem sic ante salutatum. At inquiunt multi alij gratia, aut Spiritu sancto pleni dicuntur: vt Ioa. *vers.* 15. Elizabeth *vers* 41 Zacharias *vers.* 65. Apostoli Act. 2 Petrus Act. 8. omnes illi qui cõgregati erãt Hierosolymæ Act. 4. Septem illi diaconi qui primi electi sunt Act. 6. Stephanus Act. 6. 7. Paulus Act. 9. 13. Barnabas Act. 11. discipuli omnes Apostolorũ Act. 13. Verum qui gratia pleni dicuntur, non omnes parem habuerunt: plenus Christus, non vt alij ad mensuram, sed tanquam fons ex quo scaturit, & in quo stagnat; plena Christi Mater tanquam fonti proximus fluuius, quæ etsi minus quam fons aquæ habeat, pleno tamen fluit alueo: plenus Stephanus, sed tanquam riuulus. Quæ autem ea fuerit gratia, & cur Maria plena dicta sit: sunt qui plenitudinem vocant quod in ea Christus ipse habitaret, in quo habitat omnis

pleni

plenitudo diuinitatis : alij quia iam concepisset: alij quia mox conceptura erat Christum, quod de gratia non implendam fore sed plenam iam esse dicit Angelus. Alij non quia concepisset aut conceptura esset sed quod ipsa in se, quamuis non ex se, plena esset gratia : qua digna facta est, vt Christum conciperet, licet eam non tam plenam, & tum abundantem gratiam habuisset, nisi conceptura esset Christum. *Dominus tecum.* Hebræi sic se aggredientes salutabant Iud. 6. Ruth 2. Angelus vel imprecando *sit*, vel potius affirmando triplicem gaudij causam exprimit: Gaude & *Aue*, quia *gratia plena*, quia *Dominus tecum* est ; & quia *benedicta tu*. Dicit itaque Dominum esse cum ea non quod Christum concepisset; eo modo quo. s.d. gratia plena : sed quod diuinis repleta donis, Deóque gratissima; & quod iam per illam gratiam qua plena esse dicitur, spiritualiter in illa sit: Vel quia iam iam fiet vt Dominus sit tecum; & ad perficiendum in te & per te mysterium altissimum : nam Pater tecum, quia eius virtus tibi obumbrabit : Spiritus sanctus, quia in te superueniet : Filius autem, quia in vtero tuo, & de substantia tua, fiet homo. Non precatur Angelus vt quidam putant vt Maria benedicatur à Deo, sed iam benedictam annuntiat; vt s. d. Hæretici non aliam hic benedictionem significari putant, quam quæ omnibus electis communis sit, quod Christum excipiant : at non dixisset ; *in mulieribus* ideſt, præ omnibus mulieribus ; non quod non etiam inter homines sit benedicta. Benedictionem autem Angelus intelligit, non filiorum copiam vt Gen. 1. aut rerum affluentiam, vt Gen. 24. 27. aut laudes humanas,

humanas, vt Iud. 5. sed eam quam s. d. gratiæ plenitudinem : illa enim dona quibus ornata fuerat, & gratia qua gratis à Deo data ; & benedictio, quia ex liberalitate profecta iure nuncupantur. Hic notanda antithesis inter Euam & Mariam ex Iren. l. 3. c. 33. Tertul. l. de carne Christi, Aug. Ianſen.

29. *Qua cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.*] Græcè *cum vidisset.* Nam verbum videndi est omnibus sensibus commune ex Aug. non enim turbata est in illius visione, vt quæ fuerit assueta visionibus Angelorum : sed tantum turbata in sermone eius : vel nonnihil turbata ex visione insolita Angeli : sed magis ex audito eius sermone, qui inchoatam turbationem, ex visione Angeli magis auxit, nunquam enim à viro fuerat salutata Hier. nunquam ante humana forma Angelos viderat, etsi alias cũ Angelis fuisset collocuta. *turbata est*, ideſt; timuit cũ quadã corporis commotione quæ solet animi timorẽ comitari præcipuè cum magnus est: sícque timor ille B. Mariæ à ratione incœpit, & ad partẽ sensitiuam prouenit: cuius causa fuit insignis amor virginitatis, cum enim in Angeli verbis, aliquid quod prolem, & conceptionem redoleret, deprehendisset; & modũ adhuc ignorasset, timuit, dubitans virginitatem conseruare non posse: quamuis enim Angelum Domini agnosceret, & quod futurum erat, Dei voluntatem esse non dubitaret, ipsíque se in omnibus conformem exhiberet : virginitatẽ tamen conseruare summopere optabat. sciebat enim Deum, ita quæ præcepit velle nos facere, vt non displiceat in eisdem nos dolorem concipere: sic non

displi-

displicuit Deo, dolor Abrahæ de filio occidendo, qui timor perfectissimus fuit. Hinc *cogitabat qualis esset salutatio* an amatoria, quia dixerat, *Gratia plena*: An sancta? quia dixerat, *Dominus tecum*, ex Hieron. ad Eustoch. Bern. quia benedictam *in mulieribus* sese audisset, quia nimirum benedici in virginibus sēper optabat: quia cogitabat vtrū illa salutatio diuina esset, an illusoria, & à dæmone fallendi causa missa. adeo se tam magnifica salutatione indignā putabat vt vereretur ne quis in ea subesset dolus. Cogitabat quo tenderet, & quis finis, quæve causa eius esset; quod erat prudentiæ insignis.

30. *Et ait Angelus ei: ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.*] Timorem expellit vt inducat ad credēdum verbis suis. Hūc autem timorem potuit cognoscere Angelus, ex vultu, ex cunctatione, ex tacita cogitatione. Hebr. phrasi inuenire gratiam apud aliquē est fauorem illius consequi, idque solo illius beneplacito, vt Gen. 18. & 19. Sic B. Virgo non perditam gratiam, & à se quæsitam, inuenit Dei fauorem. tam assidua orare solita? pro redemptione mundi, vt meruerit tantam obtinere gratiam, vt Christū ipsa conciperet ait Bern.

31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*] Cogitationis ambiguitatem tollit, & explicat quam gratiam inuenerit, quod statim esset concepturā, vt Isa. 7. habebis *in vtero* indicat ex eius substantia incarnandum: non solam conceptionem, sed etiam partum prænuntians. De nomine Iesu vide Matth. 1. Illic dicitur Ioseph vocabis, hic Mariæ. Non quod putandum sit maritis consuetudinem fuisse nomina imponere, &

in.

in Maria fuisse mutatam; nam aliquando pater, aliquando seorsim mater, Gen. 19.30. aliquando simul, vt vers. 60. vnum, aut diuersa imponebant nomina.

32. 33. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in aternum, & regni eius non erit finis.*] *Magnus*, vt Deus, Ioannes vt homo: vel hoc additum vt Christū à multis aliis distingueret, qui Iesu dicti, non tamen magni fuerunt. Loquitur Angelus de hoc filio vt homine, ratione naturæ humanæ, secundum quam concipiendus & in lucem edendus erat: & *vocabitur*, ideſt, erit Deus, non adoptione, sed natura. vt Isa. 26. *Sedem* Dauid, vocat Dauidis regnum, non quod Christus temporaliter, aut in solo Dauidis regno, regnaturus esset: sed quod Dauid personam gessisset Christi, ex sua posteritate nasciturī; ideoque patrem eius vocat: & quod temporale Dauidis regnum, spirituale regnum Christi; non in sola tamen Iudæa, sed in toto terrarum orbe significasset. Ps: 31. Isa. 9. Amos 9. vnde & Christus ipse, Dauid vocatus est Ps. 44. Ier. 30. Ezech. 34. Oze. 3. Dedisse Christo regnum dicitur Deus: non quod non esset natura sua Rex, cum verus esset Deus; sed quia eum Regem esse declarauit. Matth. 3. Psal. 2. *Non erit finis.* ideſt, sempiternum erit; non vt Dauidis per 40. annos: non in vna, aut duabus tribubus, sed in domo Iacob, ideſt, in omnibus duodecim tribubus, quibus non Iudææ tantum, sed omnium etiam hominum vniuersitas designatur ex Maldon. Matth. 19. Apoc. 3. & 12. Isa. 14. & 44. Ezechiel. 57. quibus paucis verbis regni

gni Christi & Dauidis discrimen affert.

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.*] Non ex diffidentia, aut negatione rei, vt Ioan. 6. & Luc. 11. vti contendit Caluin. alieno à Patrum spiritu: qui ex admiratione, & ex desiderio sciendi modum & ordinem, virginem quo id faciendum esset, ne forte cum aliqua voti, & virginitatis suæ iniuria fieret: sic loquutam laudi & prudentiæ asscribunt: sic Nicodemus, ex affectu parato ad credendum, & discendi cupido interrogabat Dominum: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Atque ideo meruit doceri à Christo modum quo hoc fieri posset: sic B. Virgo *non dubitat de facto, sed modum quærit & ordinem, non enim dixit: An fiet istud, sed quomodo fiet istud: quasi diceret: cum scias Dominus meus votum esse ancillæ suæ non nubere, quæ lege, quo ordine, placebit ei vt fiat: si enim oportuerit me votum frangere, doleo de voto, gaudeo de filio,* ait Bern. super Missus, ideo non eam vt Zachariam Angelus reprehendit. Et Aug. *Hoc non diceret nisi virginem se ante vouisset.* vt si Carthusianus dicat non vescor, idest, non possum vesci carnibus, quia impedior voti religione.

35. *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*] Docet modum Angelus & de seruanda virginitate securam facit: dicens Spiritum sanctum in eam descensurum: qui, quod ad conceptionem attinet, quod vir carnaliter facturus erat; spiritualiter, idest sine vlla corruptione, sancte, nude, & perfecte

facturum

facturum, ex Chrys. Hom. 49. Sicut autem in Apostolos venire dicitur, licet per insufflationem iam accepissent: ita B. Virgo, & habuit Spiritum sanctum, & promittitur in eam venturus Spiritus, nimirum quod secundum alios effectus, iam esset in ea venturus, quam hactenus in ea operatus esset: scilicet ad formandum in vtero virginis Christum, licet omnes tres personæ formauerint, quia vt nos Spiritu viuificamur, ita Spiritu Dei omnia viuificantur. Ps. 103. sic impletum Isa. c. 8. *obumbrabit*, ideſt, lumen incorporeum accipiet in te corpus humanitatis, & per assumptam humanitatem vmbram in te faciet, Greg. Vel in modum vmbræ te circundabit, præseruans te à calore concupiscentiæ, vt nubes obumbrans defendit à calore solis. Ambr. vt significetur ipse Dominus sibi carnem condens, primum illam delineasse in vtero virginis, ac deinde figurasse, vt pictor primum delineat & vmbras inducit, & deinde perfectum colorem addit. Dion. Carth. *Virtus altissimi*, ideſt, *omnipotens Deus* Pater obumbrabit, ideſt, suam potestatem immensam, tuæ capacitati contemperabit, vt eius influentiam ferre possis: nec irradiabit te secundum plenitudinem suæ claritatis; sed velut vmbram suæ claritatis causans, exercebit in te effectum suæ potestatis. Theoph. conteget te & complexabitur, & vndique te circundabit, sicut auis obumbrat pullos suos vt Ps. 90. vel quem ante Spiritum sanctum, nunc virtutem altissimi vocat. Græce *nube obducet*, ideſt, *impluet*. Nam nube pluuia significatur. q. d. fore vt virtus altissimi, sic in virginem impluat, vt eam fœcundet, & grauidam efficiat, sicut solet pluuia terram

fœcun

fœcundare, vt Ps. 66. & 84. & 33. Græce *quod ex te generatur*, gignitur, non quod iam generatum esset, sed quod paulo post generandum, ex quo significat non ortum, sed conceptum. Et dictio *Sanctum* iungenda est cum *nascitur* non cum *vocabitur*. Ad differentiam aliorum hominum, qui quia nascuntur ex immundo semine, immundi nascuntur. vel sanctum idest sanctè. q. d. *non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo* nasciturum, superueniente in virginem Spiritu sancto, & virtute altissimi eam obumbrante. *Vocabitur*, idest, erit filius Dei singulari ratione, ex quo bis natus est: semel absque initio, ab æterno æternus, nunc in tempore, ex mortali mortalis. Quare non duo filij sicut nec duæ personæ; sed vnus filius, sicut vna persona est. Vel *vocabitur*, idest, *erit filius Dei*, quia non à viro, sed à Deo virtute Spiritus sancti generabitur: neque enim de Christi natura, sed de modo generationis Angelus agit. Singulari inquam quod non alium quam Deum Patrem haberet; non ab alio quam ab eo generatus. Sic Adam filius Dei vocatur, cap. 3.

36. *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua; & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.*] Hunc modum concipiendi confirmat alio modo supernaturali, q. d. Elizabeth concepit filium in *senectute sua*; in sterilitate omnibus nota: sic tu in virginitate tua conceptura es non filiam, sed *filium*: quod miraculum auget, & beneficium. Et conceptus huius sterilis, quæ cum opprobrio sic vocatur, iam certo cognosci potest, tum ex tumente vtero, tum ex motu viuentis

in

in vtero infantis, vt facile credat se virginem concipere posse.

37. *Quia non erit impossibile apud Deum, omne verbum.*] Confirmat potuisse Deum efficere vt ante sterilis, & vt nunc virgo concipiat. *Erit* pro est. *verbum* pro re. q. d. nihil omnino est impossibile apud Deum. seipsum vero non potest negare, mentiri, peccare, mori, quæ sunt impotentiæ, & Deo repugnant, ait Aug.

38. *Dixit autem Maria; ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.*] Virgo de modo edocta, & exemplo confirmata, etsi modus ipse humana æstimatus ratione impossibilis videri poterat, non resistit, non disceptat, sed fide plena & ad obediendum promptissima, humillime, & prudentissime, diuinæ sese obtulit voluntati. Obedientiam commendat particula *Ecce*: humilitatem, verbum *Ancilla Domini*: fidem verbum *fiat*: prudentiam, *secundum verbum tuum*: Non enim consensum generaliter exhibebat, nisi ad concipiendum, sine virili copula, iuxta formam ab Angelo præscriptam. *Fiat, &c.* verba optantis esse putat Amb. quasi audito Angelo, non solum consentiat sed etiam optet, ac oret, vt id quamprimum fiat. Irenæus vero consentientis esse ait, vt quæ repugnare videbatur, nunc non repugnet, sed sese offerat Deo. itaut statim post ipsa verba Christi conceptio facta sit, non ante, quia credibile est, sine consensu Virginis noluisse Deum ex ea carnem accipere, & obtento consensu, non erat quod conceptio differretur. Porro in hac conceptione non fuit talis ordo qualis in reliquorum omnium

omnium conceptione, vt prius, scilicet per conceptionem, fuerit informis quædam massa, quæ deinde formaretur, per membrorum & organorum distinctionem, & postremum per infusionem animæ animaretur: sed in ipso conceptionis momento, quo purissimũ sanguinem in locum conceptus Spiritus sanctus adduxit, simul fuit carnis formatio, eiusdem figuratio, animæ infusio, & carnis, atque animæ à diuinitate assumptio, quia Spiritus sanctus, ad agendum tempore non indiget, & quia indignum videretur corpus Christi informem aliquando fuisse massam alterius speciei, quàm humanæ, & habuisse aliam subsistentiam à subsistentia Verbi Dei. Ideo dixit Ierem. 31. *Fœmina circundabit virum*: perfectum sapientia. Et Elizabet Mariam vocat Matrem *Domini*. Et fructum ventris eius dicit benedictum: si enim mater erat etiam tum Domini: ergo tum caro, & à Verbo assumpta, & simul animata: alioqui enim mater dici, vere non potuisset. *Discessit* autem *ab illa Angelus*; ne putaretur Angelum fuisse qui ea sumpsisset carnem: vel aliquid cooperatum esse, in hac conceptione. Vel vt significaretur, statim post responsum & consensum Virginis conceptionem fuisse perfectam, & legatione perfunctum discessisse.

39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda.*] Hæc verba in Mariæ actione commendant multas virtutes. 1. humilitatem, quæ enim meruerat ab Angelo visitari, & tam magnifice ab eo salutari, quæ se matrem Domini & Messiæ factam esse cognouit, non dedignatur, præcur

præcursoris sui filij Matrem visitare, eamque prior salutare. 2. Studium sedulum congratulandi, & obsequendi cognatæ, quod ex pietate, & charitate magna proficiscebatur. 3. Lætitiam de bono cognatæ, in eo quod cum festinatione abijt, & Virgineum pudorem, non demorando in plateis. 4. Efficacem Spiritus sancti gratiam, quæ in ea erat, & eiusdem gratiæ conditionem, festinandi. Non ergo curiositas, non infirmitas fidei, quasi experiri vellet an quod Angelus dixerat vers. 36. verum esset, vt contendit Caluin. *In diebus illis* nimirum conceptioni proximis & nondum mense illo sexto completo. *Abijt* in vnam ex ciuitatibus Iuda, in montanis sitam, quæ à Nazareth multis distabat milliaribus, plerique Hierusalem putant, sine fundamento: nec sine Ioseph, iam facto coniuge eius accessisse.

40. 41. *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth; & factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.*] Ostendit salutationem Mariæ non fuisse vulgarem, sed admodum efficacem; Nam & Ioannes in vtero gestiens exilijt, & Elizabeth repleta est Spiritu sancto: Proinde necesse est fateamur per Virginis vocem, Deum, quem in vtero gestabat incarnatum, operatum fuisse potentia suæ diuinitatis mirabiliter: Nam solent infantes in vtero clausi, ex matre vitalem spiritum capere; at Elizabetha contra, ex filio suo Spiritum cœpit, ex Amb. & Beda. Ex hoc quæritur, num Ioannes cognouerit Dominum, & matrem Domini

Domini esse præsentes, ita vt in eis per gratiam Spiritus Sancti, sit anticipatus rationis vsus. Caluinus nullum motum præter naturam illi tribuit: Naturale enim esse vt gaudio gestiente matre infans in vtero moueatur, & quodammodo exiliat. Alij diuinitus quidem factum aiunt, sed sine eius sensu, sine cognitione, sine fide, vt & diuina potentia, sine suo tamen sensu conceptus fuerat. Aug. Alij melius Ioanniad Christi aduentum rationem anticipatam Iren. l. 3. c. 18. Amb. Chrys. & Orig. ait ideo à Christo dictum esse Propheram maiorem Ioanne Baptista non surrexisse, quod in vtero Ioannes prophetasset, & quia si nihil Ioannes sensisset, nihil de illo magni, & noui dictum esset: At patet Lucam aliquid de eo diuinum, ac singulare, dicere voluisse: Deinde quod Angelus dixerat vers. 15. *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* non potest, nisi nunc cum in vtero Ioannes exultat, & Christum salutat, esse completum: & Spiritu sancto, nemo nisi sentiens repletur. Et quod dicitur: *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*, non potest de gaudio matris, sed Ioannis intelligi, qui prius exilijt, quam mater eius, Christi matrem agnoscceret; & agnoscens gauderet: Nec sequitur quod obijciebat Augustinus, si anticipatus fuit in Ioanne rationis vsus, eundē in eo postea permanere debuisse: quia cum ad demonstrandum tantum Christum, illi datus esset, necesse non erat, vt eò demonstrato maneret: vt in Prophetis, vbi ea prædixerant, quæ Deus volebat populo significari, non semper manebat Spiritus Prophetiæ.

42. *Et*

42. *Et exclamauit voce magna, & dixit: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*] Non quod B. Virgo, ad audiendum, clamore vocis indigeret; sed quod magna & insperata erant, quæ sibi reuelabantur. Salutat matrem & filium: prius matrem cuius vocem audiuerat; posterius filium cuius virtutem senserat: *inter* ideſt, præ omnibus mulieribus: adiecit verbis Angeli *& benedictus*, &c. 1. Quia multæ sanctæ mulieres peperant impuberes, vt Rebecca. 2. vt explicaretur causa benedictionis Mariæ, ideo ipsa benedicta inter mulieres, quia fructus eius benedictus. *&* pro *quia*.

43. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*] Ostendit à Spiritu S. edoctam se, vtramque fœtus naturam, Dei scilicet & hominis, contra Nestorium, B. Virginem verè, & propriè esse matrem Dei. Et nota solam Virginem, ante partum dici matrem, quod esset sine periculo aborsus.

44. *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*] Significat vocem Mariæ exultationis infantis, gaudij sui & repletionis Spiritus sancti causam fuisse.

45. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*] Patet de Maria loqui, siue dicatur tibi, vt Græcè, siue illi. Paucis verbis vaticinatur, de præteritis dicens, *Beata quæ credidisti:* de præsentibus, cum Mariam vocat matrem Domini sui: de futuris, cum dicit fore vt omnia quæ Mariæ à Domino dicta fuerunt,

fuerunt, reipsa perficiantur: vt quod regnaret in domo Iacob; quod salutem operaretur hominum; quod Iesus vocaretur.

46. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*] Deo plena, Prophetico afflata spiritu, *ait*. non dicitur, *exclamauit*, vt Elizabeth, ne tunc primum cum hæc diceret, repleri Spiritu sancto crederetur, sed tunc illo Spiritu sancto, quo iam plena erat excitante. Magnificare, est laudibus extollere, magnitudinem Dei agnoscere, gratias illi agere; & prædicare magnum in se Dei beneficium: Vel maiorem facimus, cum in bonis operibus, & virtutibus magis eius imaginem participamus. Ex Amb.

47. *Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo.*] Lætari in Deo est de Deo gaudere, eumque esse gaudij nostri obiectum & materiam. & quamuis vna & eadem res sit anima & spiritus; tamen anima dicitur quatenus animat, & viuificat corpus; spiritus vero quatenus superioribus, & cœlestibus intendit: Vel anima dicitur inquantum est vita corporis: spiritus in quantum est substantia spiritualis. vt 1. Cor. 7. Sæpe *salutaris*, vel salutare, accipitur pro saluatore vt ipse Deus meus, & salutaris meus. Psal.

48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*] Causam reddit suæ magnificationis, & exultationis. Porro humilitas in scripturis tria significat. 1. afflictionem vt Ps. 24. 2. abiectionem, exiguitatem, vilem conditionem, vt Philip. 3. 3. virtutem contrariam elationi, vt hic. tamen ex Græco videtur, non tam se humilem vocare quam paruam & abiectam. q. d.

deinceps, *ex hoc* tempore, non solum tu ô Elizabeth, sed omnes omnino mortales beatam me esse prædicabunt: intelligit credentes. Nam Caluin. eam conuitiis afficiunt.

49. *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*] Magnalia, magnifica, q.d. non propter meam virtutem, existimo me ab omnibus prædicandam fœlicem, sed quia fecit mecum magnalia; qui potens est: ὁ δυνατὸς *potens*, vt ne quis minus credat his quæ ab ipsa dicuntur, & incredibilem nouæ conceptionis modum, per considerationem omnipotentiæ diuinæ astruat. *Sanctus* dicitur, ob puritatem suam, à rebus prophanis & immundis separatam: quasi impollutus, incontaminatus: quia Verbum Dei in vtero Virginis contaminatum nõ fuerit. Græce ἅγιος sine terra; vel potius ab ἄζομαι quod est colo quasi venerabilis, adorandus, propter illa, quæ sibi fecisse dixerat.

50. *Et misericordia eius à progenie, in progenies; timentibus eum.*] Iam commendat eius misericordiam, quæ communis est omnibus sæculis; & singulis qui reuerentur illum vt Ps. 120.

51. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*] Q.d. fecit potenter brachio suo, potenter manu sua rem gessit: aut declarauit, quam potens esset brachium suum, quia miracula illa quæ gessit à nemine adiutus fecit. Quidam intelligunt cani, ea quæ facta sunt, & iam facienda erant per incarnationem Verbi: eaque hic cani spiritu prophetico, tanquam facta, quod iam iam facienda erant, & iam facta erant inchoatiue, & in sua radice, quia scilicet per filium suum incarnatum, diabolum superauit, totum mundum con

conuertit: Alij præsentia, quasi in hoc Deum potẽtiam feciſſe dicat, quod fecit vt Virgo ipſa conciperet. Alij ad creationem; & ad ea quæ potenter initio mundi fecit, referunt: vt Anna 1. Reg. 2. & Pſal. 135. *diſperſit ſuperbos* tam dæmones quam Ægyptios & Iudæos, *mente cordis ſui*. q. d. profundo conſilio ſuo: ſed relatiuum *ſui* ad Deum non refertur, ſed ad *ſuperbos*, ideſt, eos qui mente cordis ſui ſuperbi erant; qui apud ſeipſos de ſe magnifica ſenſerunt: Vel diſſipauit conſilia gentium. vt Pſal. 32. vel ſignificat ſuperbos, ſuis ipſorum conſiliis diſſipari, vt Iob 5. cum ſcilicet in diuerſum euadunt exitum, quam ipſi putabant.

52. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*] Dum potentes Reges poteſtate exuit, vt Iudæos introduceret: ex lib. Ioſue: dum & dæmones è ſedibus regni cœlorum deiecit, & dominium ſuper fideles eis abſtulit: dum & Iudæos in populo Dei primum locum tenentes, iam inferiores fecit, tranſlato ab eis regno, ad populum gentilem. Vel alludit ad Saulem quem de regio ſolio deturbauit, & ad Dauidem, quem ad regnum euexit. 1 Reg. 16. Vel ſolum innuit quid Deus facere poſſit, ac ſoleat: Solet autem Deus regna transferre. vt Dan. 2. Eccl. 10. Pſal. 106. Iob 12. ideſt, poteſt deponere, exaltare; ita Mald.

53. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*] Ideſt, poteſt, ac ſolet vt 1. Reg. 2 Pſ. 33. diuites facere pauperes. Itaque mos: le eſt, Eſurientes Gentiles, diuites Iudæos, vel Eſurientes humiles, diuites ſuperbos: vel Eſurientes qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; diuites qui

ea abundant, ideſt, qui ad ſe corruptos iudices flectunt.

54. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.*] Iſraëlem filium ſuum, ſeruum, ſiue Iſraeliticum populum vt Oſe. 11. cui primum natus, & miſſus eſt Saluator, & ex quo plerique credentes ſaluati ſunt. vocat ſeruum ſuum ad diſtinctionem gentium, idolis ſeruientium. Venit Chriſtus Rex verus qui eum non à Romanorum, ſed à maiori diaboli tyrannide liberauit, vt oſtenderet ſe miſericordię ſuæ oblitum non eſſe. dicitur enim Deus à nobis memor alicuius, dum qui ad tempus viſus eſt oblitus eſſe, memorem ſe ipſo effectu declarat, ideſt, cum nos orantes exaudit vt 1. Reg. 1. Eſter 10. Pſ. 97. Ierem. 2. Dan. 14.

55. *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula.*] Q. d. vt memor eſſet miſericordiæ ſuæ quam promiſerat patribus noſtris *Abraham, & ſemini eius in ſæcula*, vſque in mundi finem Gen. 12. 15. 26. 28. Pſ. 131.

56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.*] Vt colloquiis ſanctis, & amicis obſequiis ſubleuaret, & vt veroſimile eſt, partui Elizabeth intereſſet: quia illa ratio quæ illam impulerat vt prægnantem inuiſeret, impellebat, vt eius partum expectaret: ver. 36. Quis dubitet reipſa voluiſſe experiri partum? Et natum videre, quem ſciebat filij ſui præcurſorem futurum eſſe; quem audiuerat præ gaudio in matris vtero exultaſſe, nec enim dedecet virgines cognatas, & amicas, parituris miniſtrare.

57. *Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.*] Nouem aut circiter menſium,

mensium, vt prædictum fuerat ab Angelo, non solum concepturam, sed etiam parituram filium.

58. *Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa & congratulabantur ei.*] Quod ante concepit, nunc vero peperit: quod non solum à sterilitatis opprobrio eã liberauit, sed id in senectute eius fecerit, & filium non filiam dederit: quod cumulatam Dei misericordiam probat. Et congaudebant ei, quo impletum, quod dictum fuit ab Angelo v. 14.

59. *Et factum est, in die octauo venerunt circumcidere puerum: Et vocabant nomine patris sui Zachariam.*] Hebraicè, ventum est ad circumcisionem pueri: vnde non significatur parentes aut amicos exiisse, aut iuisse in synagogam ad circuncidendum: sed cœptum fuisse agi de circuncidendo puero in domo, vt probabilius est: sic Gen. 17. 13. 24. Exod. 4. Iol. 5. Et domi Ioannes videtur circumcisus quia Elizabeth præsens erat, cum dixerit *nequaquam sed vocabitur Ioannes*: At non poterat octo dierum puerpera domo exire, & in synagogam ire; cum in sanguine triginta dies esse deberet, Leuit. 12. Et de vocando eo consilium inibant cognati vel amici: Vel vocare cœperunt. Ex quo colligitur, Iudæos in circunciſione solitos nomina imponere, vt Gen. 4. 5. 21. Vt nos in baptismo: quod tunc infantes iugum ac seruitutem Dei subire inciperent.

60. 61. *Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam sed vocabitur Ioannes: Quia nemo est in cognatione illa qui vocetur hoc nomine.*] Q. d. loqui exorsa, ex puerperio decumbens, seu ab amicis

interrogata, siue non. ait *vocabitur Ioannes.* Quod nomen non ab Angelo, neque à Zacharia muto, sed à Spiritu sancto edocta.

62. 63. *Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum: & postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.*] Postquam postulasset, non quidem per vocem sed per nutum, quia mutus erat & surdus, tabellam scriptoriam in qua stylo scribitur, *scripsit dicens*: non quod ore locutus sit, ad quid enim scribere opus fuisset: sed dicitur dixisse quia per scripturam loquutus est, non scripsit autem vocabitur Ioannes, vel sit aut erit, sed *est*. q.d. quid de nomine imponendo quæritis? iam nomen est ei impositum à Deo per Angelum: *Et mirati sunt vniuersi*, tum quod in nomine tam nouo, ambo inter se conuenirent parentes; tum quod iam prius illi fuerat impositum.

64. 65. *Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudæa diuulgabantur omnia verba hæc.*] Admirationem, auxit miraculum solutionis linguæ. Hinc *timor*, ideſt, admiratio & reuerentia: & *diuulgabantur omnia verba hæc*, ideſt, facta; quod anus pepererat ex sene; quod in nouo nomine inter se parentes conuenerant: quod filius hic ab Angelo promissus esset: quod pater prius ex loquente mutus & surdus factus, rursus ex muto facundus, in laudem Dei prorupisset: quod vterque parens diuino spiritu afflatus esset.

66. *Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: quis putas puer iste erit? Etenim manus*

manus Domini erat cum illo] Q. d. quantus Propheta qui tot conceptus, tot natus miraculis, omnino apparet ad res summas delectum esse. *Manus Domini*, potentiam significat, non quod ipse aut miracula faceret, aut futura prædiceret: sed quod singularia in eo diuinæ potentiæ, & prophetiæ signa reuererentur: Et quod suam exercebat virtutem in puero, & per puerum in parentes.

67. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens.*] Tunc, non quod etiam non ante Spiritum sanctum habuerit: vt enim recte notat Origen. Hom. 10. B. Virgo tribus mensibus in domo Zachariæ commorata est, non vt solus Ioannes Saluatoris præsentia proficeret, sed & ipsa Elizabeth, ac Zacharias: nam credibile est eum pœnituisse, ante natiuitatem filij; Et Saluatoris & B. Virginis præsentia, in mysterij agnitione & Spiritus sancti gratia progressum fecisse. *Prophetauit*, tum quia futura prædixit, prius de Messia, deinde de Ioanne; tum quia præcedentium oracula Prophetarum prædicta de fœlicitate ac regno Messiæ, salute per Messiam Israeli obuentura, iam iam adimplenda erant, spiritu prophetico explicans hæc prophetarum vaticinia spiritualiter esse accipienda, de salute vera quæ in peccatorum remissione consistit. Et primo quidem canit laudandum Deum.

68. *Benedictus Dominus Deus Israel quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.*]

Græce laudandus, benedicendus, vel dignus est vt laudetur, & benedicatur. *Deus Israel*, quod singulariter agnoscereturr, & coleretur ab Israel: causam explicat benedictionis, quia *visitauit* beneficiis affecit redemit: (aliquando in malam partem sumitur pro castigauit, puniuit. vt Exod. 20. Isa. 23.) Quia primum venit vt redimeret plebem suam Israel, illique soli suam præsentiam exhiberet: Nam alias gentes, non per se, sed per Apostolos visitauit, & eorum successores: Et Israel quodammodo ex debito redemit, quia suum illi promiserat aduentum, alias vero gentes ex sola liberalitate, vt Matth. 10. & 15. & more prophetarum de re futura propter certitudinem euentus tanquam de præterita vaticinatur. Vel dicit *visitauit*, &c. quia iam inchoata redemptio, & iam redemptor venisset: *visitatio* ad carnis assumptionem: *redemptio* ad passionem & mortem refertur.

69. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.*] Altera causa benedictionis est quia regem excitauit, & saluatorem Act 5. *Cornu* enim regiam potestatem significat, quia cornu reges inungebantur. 1. Reg. 16. aut quia Rex tota est potentia regni: vt gloria & fortitudo animalium cornutorum in cornibus sita est. 3. causa benedicendi Deum hæc est quod impleuerit promissionem in familia Dauid serui & ministri sui in populo gubernando. Psalm. 77. Et quia in ea ipsa re Christi personam gerebat. Ierem. 30. Ezech. 34.

70. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à*

saculo

saculo sunt prophetarum eius.] Ad distinctionem Pseudoprophetarum qui Sancto Spiritu afflati non sunt loquuti: *qui à saculo sunt*, ideſt, ab antiquis temporibus; vel ab orbe condito: nam Adam de Christo videtur prophetasse. Gen. 2. & Eph. 5.

71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*] Ideſt, sicut locutus est salutem per Prophetas, ita iam fecit redemptionem: & sic exponit quid sit hoc cornu salutis: ideſt, eum qui saluabit nos ab inimicis, dæmonibus, prauis affectibus ad malum.

72. *Ad faciendum misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.*] Causas refert cur hoc cornu salutis erexit: 1. vt faceret misericordiam, q. d. Deum ostendisse misericordiam quod filium suum misisset: 2. Vt memorem se declararet fœderis sui cum patribus initi.

73. 74. *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi.*] 3. Vt seruaret & compleret iusiurandum quod iurauit: quidam legunt vt sit appositio totius sententiæ præcedentis. Et explicat, quid in illo iureiurando contineretur, nempe fore vt hoc nobis daret, vt liberati de potestate inimicorum libere illi seruiremus. vt c. 12. Io. 16. Rom. 8.

77. *In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*] Exponit quæ ad Euangelium pertinent: venit enim Christus non solum vt liberaremur ab inimicis, sed etiam vt seruiremus in sanctitate & iustitia *coram ipso*, ad excludendam omnem fictionem: vel quia in veteri lege,

qui Deo seruiebant non tam in vera sanctitate & iustitia; quam in vmbra quadam sanctitatis & iustitiæ seruiebant Heb. 2. in Euangelio verò nõ in vmbra, sed in veritate coram Christo: non coram Moyse & Prophetis, non in iustitia carnis; sed in iustitia Spiritus, Ioann. 4. non ad tempus; sed vsque ad mundi finem. Gen. 22.

76. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*] Conuertitur in suo vaticinio ad filiũ recens natum, iam vsum rationis habentem, vel melius non intelligentem. q. d. Propheta eris, nedum seruies in sanctitate, coram ipso: nam parando vias prophetabat, iam appropinquasse regnum cœlorum.

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.*] Docendo Christum esse verum saluatorem. *Ecce qui tollit peccata mundi*: non quod illis Ioannes peccata remitteret, sed quod hominibus scientiam daret, seu doceret ad Christum venire, qui vere illis peccata remittebat.

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto.*] Significans per misericordiam intimam remissionem peccatorum contingere, non ex operibus, nostrísve meritis Tit. 3. propter quam venit vt redimeret nos. Græce *Ortus solis ex alto*. Nam oriens substantiuum est, pro Messia vt Mal. 4. Sap. 5. Isa. 60. qui ad modum solis, venit hunc mundum illuminare non ex terra, sed ex alto, quia rectis lineis descendit de cœlo Deus, homo de terra natus ex virgine.

79. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigẽdos pedes nostros in viã pacis.*]

pacis.] Vt illustraret his qui in tenebris habitant, & *in vmbra mortis* vocatur tristis rerum facies ducta similitudine ex obscuris sepulchris, quibus nihil tristius, vt Matth. 8. Per tenebras ignoratio, per vmbram mortis peccata intelliguntur: vtrumque enim gentibus & Iudæis commune erat: vt qui propter tenebras sedebant, *& viam pacis* qua ambularent, non agnoscebant: iam illuminati dirigerent *pedes*, animi affectus & actiones, ad viam pacis iustitiæ, tutam sine errore, sine offendiculo vt Isa. 40.

80. *Puer autem crescebat & confortabatur Spiritu, & erat in deserto vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.*] Crescebat corpore, & confortabatur secundum animam: vel à Spiritu diuino, non quod Spiritus cresceret: sed quod crescente corpore magis appareret, siue diuinus, siue humanus Spiritus. Et statim à prima pueritia erat in deserto, vsque in diem quo erat demonstrandus Israelitis anno vicesimo nono vel 30. quo prædicare cœpit & se præcursorem declarauit. Cur non ante vide Mat. 3. Sic Lucas breuiter complexus est historiam quæ est de Ioanne, vsque ad tempus prædicationis eius.

CAPVT II.

Nascitur Christus, circunciditur. Puer docet in templo.

1. FACTVM est autem, in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto vt describeretur

vniuersus orbis.] Historiam natiuitatis Christi à Matthæo prætermissam refert Lucas: designat autem locum, vbi natus est; & quid eo nato acciderit. Edicti autem Cæsaris, sub idem tempus (nato iam Ioanne vt probabilius est) meminit, ne quis obiiceret, qui fieri potuit vt natus sit in Bethlehem, cum conceptus sit in Nazareth: causa fuit vt censum solueret. *Vniuersus orbis*, ideſt, ea pars quæ sub Romanis erat, vt sic numerus constaret hominum qui sub eorum erant potestate vt 2. Reg. 24. Vel potius vt in singula capita vectigal aliquod certum imponeretur, de quo Act. 5. Et tantum impositum est quantum prius Deo, & templo soluebant. ideſt, media pars sicli, quæ drachmas duas continebat vt Matth. 17. Soli viri iique patresfamilias descripti sunt, non tam ab Augusto quam à Deo, vt ea occasione Maria Christo prægnans in Bethlehem veniret, vt Imperatoris edicto obtemperaret ibique pareret, vbi prædictum erat à Prophetis Christum nasciturum Mich. 5. & Matthæi 2.

Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.] Cyrenio vel Quirino præsidente. non enim sensus est quod ille primus hanc descriptionem fecerit. Quod notat vt fidem historiæ adhiberet, vt diuinitus factum ostenderet, & altæ pacis tempore Christum natum esse, qui mundo pacem afferebat. Et vt in primo illo censu describeretur, vt nos à censu & diaboli seruitute liberaret.

3. *Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.*] Vt describerentur, vt nomina

mina darent, vt se quisque huius vel illius profiteretur esse familiæ, séque Imperatori subditum agnoscerent. Ibant non in quam quisque ciuitatem natus erat, aut habitabat; sed eam quæ tribus suæ metropolis esset: Bethlehem autem metropolis erat tribus Iuda, ideo Ioseph & Maria iuerunt Bethlehem. alij quæ non tribus, sed familiæ suæ caput esset. Nam sicut populus in tribus, ita tribus in familias diuidebantur, & hoc cohæret cum ea ratione quam reddit Lucas eo quod essent ex domo & familia Dauid: erat enim Bethlehem patria ipsius patris Dauidis 1. Reg. 16. ibique Dauid natus, & educatus fuerat; & ab eo qui eam nobilitauit dicta est ciuitas Dauidis.

4. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudeam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia Dauid.*] Ideſt Ioseph etiam iuit à Galilæa, à ciuitate Nazareth in qua natus erat; & in qua habitabat, eum Maria in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem. diximus etiam Mariam fuisse ex familia Dauidis.

5. *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.*] Ex quo patet etiam mulieres descriptas fuisse, quamuis *Maria*, possit referri ad *ascendit*: & apparet eiusdem familiæ fuisse cuius & Ioseph. Sensus non est illi desponsatam fuisse, cum iam esset prægnans: sed fuisse illi prius desponsatam, & tunc cum Bethlehem ascenderunt fuisse prægnantem. Græce *desponsata* dicitur quæ desponsa,

sponsa, & pacta in coniugium est : quamuis Maria vere iam ducta esset, vt indicaretur ita eam vxorem fuisse, vt esset tamen virgo ex Maldon. & Matth. 1.

6. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret.*] Diuina id ita ordinante prouidentia, vt in Bethlehem Christus nasceretur. At quo modo Maria tam propinqua partui iter quatuor dierum conficere potuit. Dicunt asino vectam : alij melius non fuisse molestum sicut cæteris mulieribus & grauem vterum, sicque pedibus ire potuisse, non tam ab ea gestatus Christus, quàm eam gestans. Et probabile est Mariam non ignorasse locum, neque diem sui partus, ideoque eo libentius iuisse. Et colligitur per aliquot dies fuisse Bethlehem, antequam pareret, cum dicat Lucas, *cum essent ibi impleti sunt dies vt pareret.*

7. *Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.*] Non quod post Christum alios, sed quod ante illum neminem Maria genuisset vt Matthæi 1. recte *suum* vocat, quem non ex Ioseph sed ex sola sua substantia, sine viri commistione conceperat. Græce *infasciauit*, ne quis laceros pannos imaginetur; sed tales quales pauperum esse solent : & passus est Christus in se fieri, quod in aliis fieri consuevit, vt se cæteris similem declararet. Ex hoc colligitur Mariam; sine ruptura vlla corporis sine vllo dolore peperisse. Si enim aperto corpore peperisset, quomodo potuisset recens natum infantem.

infantem excipere & suis manibus inuoluere. ideo nec opus fuit obstetrice. Sunt qui dicunt stabulum fuisse extra vrbem. alij melius intra Bethlehem, & publici hospitij stabulum fuisse in quo se receperunt. Ibi virgo peperit, ibi reclinauit infantem. Incertum, an coniunctum cum diuersorio, an ab eo separatum. Sunt qui propriam domum Ioseph & Mariæ significari putant, alij publicum hospitium; vel consuetum hominum domicilium, itaut nec in publicis, nec in priuatis ciuium domibus locum inuenire potuerint: tum ob multitudinem ciuium, & eorum qui ex familia Dauidis erant, tunc temporis, vt describerentur, vndique affluentium: tum ob paupertatem omnibus odiosam. Melius fuisse stabulum, & speluncam in qua præsepe in rupe excisum erat: & credibile est aliqua tunc fuisse animalia præsertim in tanta hominum multitudine vt prophetia impleretur Hab. 3. Isa. 1. sed recipienda non est vulgi opinio bouem & asinum Iosephi fuisse.

8. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*] Pernoctantes, stabulantes, id est, quatuor vigilias noctis ordine suo agentes, more militari, excubias contra bestias agentes, aut fures: quarta vt quidam putant vigilia.

9. *Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos; & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.*] Græce supereminebat illis vt intelligatur non astitisse illis

lis in terra, sed inhæsisse ex alto capitibus eorum. Cyprian. Gabrielem fuisse putat qui Zachariæ & Mariæ apparuerat, cuique huius mysterij cura demandata erat: *& claritas Dei*, gloria Domini maiestas quædam Domini, præferebatur per illud lumen: qualis Christi, Eliæ, & Moysis in transfiguratione: Christus autem statim natus, innotescere voluit, quia solent nascentibus Regibus adhiberi testes, ne quis falsus Rex, pro vero supponatur. Non omnibus: ne res ad Herodem perueniret. Pastoribus vero; quia simplicissimum hominum genus, & ad fidem natura sua propensum; & quia veniebat vt verus esset Pastor, & princeps pastorum, & quia erat agnus. Et vt exemplo suo doceret pastoribus primum Ecclesiæ reuelationes à Deo fieri, vt ex illis cæteri discant: & quia quæ *stulta sunt mundi elegit Deus* 1. Corinthior. 1. *magno*, idest valde.

10. *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.*] Sic solent boni Angeli timorem incussum pellere, & consolari verbis, eos quos suo aspectu terruerunt: vt cap. 1. & Matth. 28. *Omni populo* tam Iudæis quam gentibus. *vobis* non scribis.

11. *Quia natus est vobis hodie saluator: qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.*] Fortè ad insinuandum quod non Angelis sed nobis iam natus erat, cum illi saluatore non opus haberent. Et prius quidem natus omnibus creator Deus; nunc verò natus est hominibus saluator homo. vel vobis, ac si dicat Iudæis quibus promissus

missus erat Christus ille verus Deus quem expectabant: cuius diuinitatem declarat, cum vocat *Dominum* absolute, Angelorum scilicet & hominum: quem declarat verum esse Messiam, qui ex genere Dauid nasciturus erat.

12. *Et hoc vobis signum: inuenietis infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio.*] Signum non quo sibi pastores crederent: sed quo infantem dignoscerent, & ab alijs infantibus, si qui essent distingerent. Vel signum hoc esse quod Christus tanquam veritas, debuerit figuræ respondere. Moyses autem & Cyrus infantes, inuenti sunt in magna paupertate. Et paupertas verum saluatoris signum, ait Bern. Vel signum, quod futura prædicat fore, vt cum eo pastores venerint, infantem in præsepi positum inueniant, quod nisi à Deo missus fuisset, scire non potuissent. Erat igitur hoc signum simulque argumentum quoddam; quo Angelus se vera narrare comprobat. Ex Tol.

13. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium.*] Ne vnius Angeli parua videretur auctoritas. Angeli vocantur milites Iob 25. quia Deo tanquam duci milites obediunt: & quia ijs ad debellandos hostes vtitur. Dan. 10. Siue multi alij è cœlo Angeli, cum priore venerint, qui ante non venerant, siue prius essent, sed nec apparebant, nec audiebantur, tunc vero & apparere & audiri cœpisse ex improuiso.

14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*] Hoc hymno Deum laudant, prædicantes gloriam quam habet,

apud

apud Angelos in cœlis: deinde laudant prædicantes pacem; quam fecit in terra cum hominibus, vt significent eundem esse Deum, qui in altissimis glorificatur ab Angelis; & qui in terra pacem operatus est, cum hominibus, ex suo beneplacito: & qui prius erat in cœlis Deus purus, nunc carne sumpta, sit & in terra Deus & homo. Verbum quod subintelligitur optantium est: vt sit sensus, gloria sit Deo in excelsis, & in terra sit pax. vel potius indicantium & annunciantiũ: gloria *in altissimis*, idest, in cœlo parta est Deo, hoc est, materia glorificandi Deum, Angelis qui in cœlo sunt Christo nato exhibita est, idest, Angeli qui sunt in altissimis, Deum laudant, & in terra est pax, & in hominibus, bona Dei voluntas, seu beneplacitum vt Græci leguut: vel hæc non duo, sed vnum sunt membrum: cui enim in terra pax nisi hominibus esse poterat. Itaque cœlo opponitur terra: Deo homines, quod Deo gloria, hominibus pax dicatur esse: Iidem rursus homines Angelis opponuntur quod Angeli Dei gloriam, in terra homines hominibus pacem celebrent. Ad quos autem *hominibus pax* esse dicitur, ad Deum? an ad Angelos, an ad homines? Sunt qui ad homines dicant quasi sensus, sit homines qui prius inter se dissidebãt veniente Christo conciliatos. Alij ad Angelos pacem referunt, quasi homines, qui prius propter peccata sua Angelis inuisi erant, sublato per Christum peccato reconciliati illis fuerint. Alij melius ad Deum, credibile enim est declarasse Angelos dum Dei beneficium erga homines prædicabant, quid ex eo lucri hominibus accessisset, sicut declarauerant, Deo accessisse gloriam:

gloriam : Quid autem accessit, quod pluris faciendum, quam quod pax illis cum Deo esset conciliata; aut saltem incœpta? vt Eph. 2. Rom. 5. Cypr. *Bonæ voluntatis*, genitiuum, refert ad pacem, vt sensus sit: & in terra pax bonæ voluntatis in hominibus, ideſt, pax ex Dei voluntate, & liberalitate profecta. Bern. ad homines refert, vt pax non omnibus hominibus, sed ijs tantum, qui bonæ sunt voluntatis, annuntietur: vt sensus sit, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ideſt, ijs, quos Deus amauit, quos Deus, bona prosecutus est voluntate. Quibus verbis prædestinati designantur: Non quod non omnibus hominibus Christus pacem attulerit, cum dicat Paulus, pacificasse omnia, siue quæ in terris, siue quæ in cœlo sunt. Col. 1. Et dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Tim. 2. sed quod eius pax & redemptio solis prædestinatis profutura esset Rom. 8. Nec adhuc in hac pace finem fecit, sed etiam cum Angelis ipsis qui in cœlis sunt, quique à nobis peccatoribus dissidebant, Dei partes sequentes, pacificauit, nobisque in socios, & charos protectores cõuertit, eorumque fedes communes nobis effecit, & in consortium æternum perduxit. de qua pace Col. 1.

15. *Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum: pastores loquebantur adinuicem: transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.*] Sine mora relictis omnibus suis de visando Christo deliberant: indicant non esse cunctandum accepta bona inspiratione, sed eundum in Ecclesiam ad Christum visandum. *Verbum* Dei Patris,

Patris, ex Amb. sed melius pro re gesta hic sumitur, vt 2. Reg. 1. ideſt, videamus rem hanc, quæ facta eſt: & ſigna oſtendit vt inuenire poſſemus.

16. *Et venerunt festinantes; & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.*] Oſtendit & paſtorum diligentiam, & eorum quæ ab Angelo dicta fuerant veritatem.

17. 18. *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*] Græce diuulgarunt: vnde ſequitur, *& omnes qui audierunt mirati sunt.* Vel reipſa compererunt vera fuiſſe ea, quæ ſibi Angeli dixiſſent. *mirati sunt* de viſis Angelis, & de ijs quæ ſibi nuntiaſſent.

19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*] Paſtorum verba: vel potius res, quæ à paſtoribus de Chriſto referebantur. Amb. putat Mariam aliquod myſterium à paſtoribus quod ante ignoraſſet didiciſſe: vel potius obſeruabat, nõ quaſi ſui ignara myſterij, ſed quaſi læta nouis ſignis, & paſtorum teſtimonijs confirmari, quæ ipſa prius ex Gabriele didiciſſet: vnde ſequitur *conferens in corde suo*, quæ dicebantur, & quæ fiebant, ſalutationem Angeli, conceptum ſine viro, partum ſine dolore, Paſtorum aduentum.

20. *Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad ipsos.*] Completis omnibus quæ ab Angelo nuntiata erant.

21. *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero*

vtero conciperetur.] Intellige circunciſus eſt, vt doceret diuinis legibus obtemperandum eſſe: fecit & in perſona omnium hominum. De nomine Ieſu vide Matth. 1. & cur nomina in circunciſione imponerentur, ſupra c. 1.

22. *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.*] Hoc eſt cum impleti ſunt dies à partu quadraginta. Quæ hic prætermittit de aduentu Magorum, vide Matth. 2. Græce *ipſorum*, vt ad matrem & filium referatur, vel *eius*, ideſt, filij: Sed de ſola matre hic agi conſtat ex lege Leuit. 12. Non quod voluerit Lucas legem in ea locum habuiſſe, & debuiſſe quaſi eſſet immunda, aliarum mulierum more purgari. nihil enim in ea purgandum: quæ Deum ſine viro conceperat, quæ ſine corruptione & dolore pepererat: in ea ergo lex locũ non habebat; cum legis ratio locum non haberet. nam neque ſanguines illos horrẽdos, qui mulieribus ſolẽt fluere poſt partum qui maritis timorem injiciunt, ne vxoribus vterentur eo tempore: tanquam immundis, iuxta politiam veteris Eccleſiæ: illi fluxiſſe putandum eſt, quæ ſine viro conceperat, ſine corruptione, ſine apertione, ſine dolore pepererat. Nec potuit moraliter coram Deo immunda cenſeri, vt aliæ mulieres, eo quod per conceptum originale in prolem peccatum traduceretur: Nam non in peccato, ſed in Spiritus ſanctificatione & conceperat, & pepererat Chriſtum. hanc vim habent *ſecundum legem Moyſi.* q. d. non ſecundum veritatem, ſed ſecundum legem, Mariam fuiſſe purgatam, ideſt, non quod purgatione indigeret,

digeret, sed vt obseruaret legem, & verba Leuit. 12. quia ex Spiritu sancto concepit: non susceptо ex viri semine. Cur voluit legem subire, & Christus circuncidi, vt exemplum darent pœnitentibus circuncidi per continentiam; & purificari per pœnitentiam, ex Bern.

23. *Sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur.*] Quidam dixerunt eam legem Exod. 13. Leuit. 27. Num. 8. in solo Christo seruatam fuisse, quia solus Christus vere & natura sanctus est: Alij nec Christo, nec Mariæ conuenire, quia nec illa ex viro conceperat, nec ille vterum aperuerat. verum *aperire*, non significat aperire, sed primogenitum esse: & hoc sensu verè Christus vuluam aperuit, quia vere primogenitus fuit ex Beda. Sed ab lege meliori ratione liber erat, quia cum filius Dei naturalis esset, opus non erat, vt ei in templo offerretur. Sicut nec tributum soluere Matth. 17. & tamen soluit, & oblatus est, ne quis Iudæorum offendi posset.

24. *Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*] Hanc hostiam pro filio offerri debuisse putat August. Alij pro purgatione mulieris. Diuites offerebant agnum in holocaustum; & pullum turturis aut columbæ pro peccato. Qui verò tam pauperes erant vt agnum emere non possent: offerebant duos turtures, aut duos pullos columbarum, alterum in holocaustum, alterum pro peccato, idest, pro immundicia legali. Tanta autem fuit paupertas Ioseph & Mariæ; vt agnum emere non

non potuerint: credibile est duos pullos columbarum obtulisse, quia facilius & vilius emuntur quam turtures.

25. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans redemptionem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.*] Ostendit Christum testimonium accepisse à senibus vtriusque sexus, eisque iustis, & spiritu Prophetico afflatis. *Iustus* quoad homines, *timoratus*, idest, pius quoad Deum. *Expectans* aduentum Messiæ sciens eum visurum antequam moreretur, *& Spiritus* sanctificationis, gratia iustificans, vel Prophetiæ Spiritus, *erat in eo.* Quidam hunc faciunt magistrum Gamalielis, & cœcum, & Sacerdotem quod non tacuisset Lucas.

26. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*] Vnctum à Domino, Messiam & Regē, quia Reges dicebantur vncti Dei & Christi. 1.Reg. 16. 24. & 26. 2.Reg. 14.& 19. Speciali tamen ratione Messias, Christus Domini dicebatur, eo quod non ab homine vnctus esset, in Regem & Sacerdotem, sed à solo Patre per Spiritum sanctum. Isa. 11. Ps. 44.

27. *Et venit in Spiritu in templum: & cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo.*] Vt v. 13. actus à Spiritu sancto, mouente aut reuelante Spiritu sancto. Et hoc magnū est donum à Deo datum Simeoni *Cum inducerent* in templum vt Domino tanquam primogenitum offerrent Maria, & Ioseph, quia parens esse putabatur; Vel honoris causa dicitur parens quia nutritius erat Christi.

28. *Et*

vniuersus orbis.] Historiam natiuitatis Christi à Matthæo prætermissam refert Lucas: designat autem locum, vbi natus est; & quid eo nato acciderit. Edicti autem Cæsaris, sub idem tempus (nato iam Ioanne vt probabilius est) meminit, ne quis obiiceret, qui fieri potuit vt natus sit in Bethlehem, cum conceptus sit in Nazareth: causa fuit vt censum soluerent. *Vniuersus orbis*, ideſt, ea pars quæ sub Romanis erat, vt sic numerus constaret hominum qui sub eorum erant potestate vt 2. Reg. 24. Vel potius vt in singula capita vectigal aliquod certum imponeretur, de quo Act. 5. Et tantum impositum est quantum prius Deo, & templo soluebant. ideſt, media pars sicli, quæ drachmas duas continebat vt Matth. 17. Soli viri iique patresfamilias descripti sunt, non tam ab Augusto quam à Deo, vt ea occasione Maria Christo prægnans in Bethlehem veniret, vt Imperatoris edicto obtemperaret ibique pareret, vbi prædictum erat à Prophetis Christum nasciturum Mich. 5. & Matthæi 2.

Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.] Cyrenio vel Quirino præsidente. non enim sensus est quod ille primus hanc descriptionem fecerit. Quod notat vt fidem historiæ adhiberet, vt diuinitus factum ostenderet, & altæ pacis tempore Christum natum esse, qui mundo pacem afferebat. Et vt in primo illo censu describeretur, vt nos à censu & diaboli seruitute liberaret.

3. *Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.*] Vt describerentur, vt nomina

mina darent, vt se quisque huius vel illius profiteretur esse familiæ, seque Imperatori subditum agnoscerent. Ibant non in quam quisque ciuitatem natus erat, aut habitabat; sed eam quæ tribus suæ metropolis esset: Bethlehem autem metropolis erat tribus Iuda, ideo Ioseph & Maria iuerunt Bethlehem. alij quæ non tribus, sed familiæ suæ caput esset. Nam sicut populus in tribus, ita tribus in familias diuidebantur, & hoc cohæret cum ea ratione quam reddit Lucas eo quod essent ex domo & familia Dauid: erat enim Bethlehem patria ipsius patris Dauidis 1. Reg. 16. ibique Dauid natus, & educatus fuerat; & ab eo qui eam nobilitauit dicta est ciuitas Dauidis.

4. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia Dauid.*] Idest Ioseph etiam iuit à Galilæa, à ciuitate Nazareth in qua natus erat; & in qua habitabat, eum Maria in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem. diximus etiam Mariam fuisse ex familia Dauidis.

5. *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.*] Ex quo patet etiam mulieres descriptas fuisse, quamuis *Maria*, possit referri ad *ascendit*: & apparet eiusdem familiæ fuisse cuius & Ioseph. Sensus non est illi desponsatam fuisse, cum iam esset prægnans: sed fuisse illi prius desponsatam, & tunc cum Bethlehem ascenderunt fuisse prægnantem. Græce *desponsata* dicitur quæ desponsa,

sponsa, & pacta in coniugium est : quamuis Maria vere iam ducta esset, vt indicaretur ita eam vxorem fuisse, vt esset tamen virgo ex Maldon. & Matth. 1.

6. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt parceret.*] Diuina id ita ordinante prouidentia, vt in Bethlehem Christus nasceretur. At quo modo Maria tam propinqua partui iter quatuor dierum conficere potuit. Dicunt asino vectam : alij melius non fuisse molestum sicut cæteris mulieribus & grauem vterum, sicque pedibus ire potuisse, non tam ab ea gestatus Christus, quàm eam gestans. Et probabile est Mariam non ignorasse locum, neque diem sui partus, ideoque eo libentius iuisse. Et colligitur per aliquot dies fuisse Bethlehem, antequam pareret, cum dicat Lucas, *cum essent ibi impleti sunt dies vt parceret.*

7. *Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*] Non quod post Christum alios, sed quod ante illum neminem Maria genuisset vt Matthæi 1. recte *suum* vocat, quem non ex Ioseph sed ex sola sua substantia, sine viri commistione conceperat. Græce *infasciauit*, ne quis laceros pannos imaginetur; sed tales quales pauperum esse solent : & passus est Christus in se fieri, quod in aliis fieri consuevit, vt se cæteris similem declararet. Ex hoc colligitur Mariam; sine ruptura vlla corporis sine vllo dolore peperisse. Si enim aperto corpore peperisset, quomodo potuisset recens natum infantem.

infantem excipere & suis manibus inuoluere. ideo nec opus fuit obstetrice. Sunt qui dicunt stabulum fuisse extra vrbem. alij melius intra Bethlehem, & publici hospitij stabulum fuisse in quo se receperunt. Ibi virgo peperit, ibi reclinauit infantem. Incertum, an coniunctum cum diuersorio, an ab eo separatum. Sunt qui propriam domum Ioseph & Mariæ significari putant, alij publicum hospitium; vel consuetum hominum domicilium, itaut nec in publicis, nec in priuatis ciuium domibus locum inuenire potuerint: tum ob multitudinem ciuium, & eorum qui ex familia Dauidis erant, tunc temporis, vt describerentur, vndique affluentium: tum ob paupertatem omnibus odiosam. Melius fuisse stabulum, & speluncam in qua præsepe in rupe excisum erat: & credibile est aliqua tunc fuisse animalia præsertim in tanta hominum multitudine vt prophetia impleretur Hab. 3. Isa. 1. sed recipienda non est vulgi opinio bouem & asinum Iosephi fuisse.

8. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*] Pernoctantes, stabulantes, id est, quatuor vigilias noctis ordine suo agentes, more militari, excubias contra bestias agentes, aut fures: quarta vt quidam putant vigilia.

9. *Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos; & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.*] Græce superemicabat illis vt intelligatur non astitisse illis

lis in terra, sed inhæsisse ex alto capitibus eorum. Cyprian. Gabrielem fuisse putat qui Zachariæ & Mariæ apparuerat, cuique huius mysterij cura demandata erat: *& claritas Dei*, gloria Domini maiestas quædam Domini, præferebatur per illud lumen: qualis Christi, Eliæ, & Moysis in transfiguratione: Christus autem statim natus, innotescere voluit, quia solent nascentibus Regibus adhiberi testes, ne quis falsus Rex, pro vero supponatur. Non omnibus: ne res ad Herodem perueniret. Pastoribus vero; quia simplicissimum hominum genus, & ad fidem natura sua propensum; & quia veniebat vt verus esset Pastor, & princeps pastorum, & quia erat agnus. Et vt exemplo suo doceret pastoribus primum Ecclesiæ reuelationes à Deo fieri, vt ex illis cæteri discant: & quia quæ *stulta sunt mundi elegit Deus* 1. Corinthior. 1. *magno*, idest valde.

10. *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.*] Sic solent boni Angeli timorem incussum pellere, & consolari verbis, eos quos suo aspectu terruerunt: vt cap. 1. & Matth. 28. *Omni populo* tam Iudæis quam gentibus. *vobis* non scribis.

11. *Quia natus est vobis hodie saluator: qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.*] Fortè ad insinuandum quod non Angelis sed nobis iam natus erat, cum illi saluatore non opus haberent. Et prius quidem natus omnibus creator Deus; nunc verò natus est hominibus saluator homo. vel vobis, ac si dicat Iudæis quibus promissus

missus erat Christus ille verus Deus quem expectabant: cuius diuinitatem declarat, cum vocat *Dominum* absolute, Angelorum scilicet & hominum: quem declarat verum esse Messiam, qui ex genere Dauid nasciturus erat.

12. *Et hoc vobis signum: inuenietis infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio.*] Signum non quo sibi pastores crederent: sed quo infantem dignoscerent, & ab alijs infantibus, si qui essent distingerent. Vel signum hoc esse quod Christus tanquam veritas, debuerit figuræ respondere. Moyses autem & Cyrus infantes, inuenti sunt in magna paupertate. Et paupertas verum saluatoris signum, ait Bern. Vel signum, quod futura prædicat fore, vt cum eo pastores venerint, infantem in præsepi positum inueniant, quod nisi à Deo missus fuisset, scire non potuissent. Erat igitur hoc signum simulque argumentum quoddam; quo Angelus se vera narrare comprobat. Ex Tol.

13. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium.*] Ne vnius Angeli parua videretur auctoritas. Angeli vocantur milites Iob 25. quia Deo tanquam duci milites obediunt: & quia ijs ad debellandos hostes vtitur. Dan. 10. Siue multi alij è cœlo Angeli, cum priore venerint, qui ante non venerant, siue prius essent, sed nec apparebant, nec audiebantur, tunc vero & apparere & audiri cœpisse ex improuiso.

14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*] Hoc hymno Deum laudant, prædicantes gloriam quam habet, apud

apud Angelos in cœlis: deinde laudant prædicantes pacem; quam fecit in terra cum hominibus, vt significent eundem esse Deum, qui in altissimis glorificatur ab Angelis; & qui in terra pacem operatus est, cum hominibus, ex suo beneplacito: & qui prius erat in cœlis Deus purus, nunc carne sumpta, sit & in terra Deus & homo. Verbum quod subintelligitur optantium est: vt sit sensus, gloria sit Deo in excelsis, & in terra sit pax. vel potius indicantium & annunciantiũ: gloria *in altissimis*, ideſt, in cœlo parta est Deo, hoc est, materia glorificandi Deum, Angelis qui in cœlo sunt Christo nato exhibita est, ideſt, Angeli qui sunt in altissimis, Deum laudant, & in terra est pax, & in hominibus, bona Dei voluntas, seu beneplacitum vt Græci legunt: vel hæc non duo, sed vnum sunt membrum: cui enim in terra pax nisi hominibus esse poterat. Itaque cœlo opponitur terra: Deo homines, quod Deo gloria, hominibus pax dicatur esse: Iidem rursus homines Angelis opponuntur quod Angeli Dei gloriam, in terra homines hominibus pacem celebrent. Ad quos autem *hominibus pax* esse dicitur, ad Deum? an ad Angelos, an ad homines? Sunt qui ad homines dicant quasi sensus, sit homines qui prius inter se dissidebãt veniente Christo conciliatos. Alij ad Angelos pacem referunt, quasi homines, qui prius propter peccata sua Angelis inuisi erant, sublato per Christum peccato reconciliati illis fuerint. Alij melius ad Deum, credibile enim est declarasse Angelos dum Dei beneficium erga homines prædicabant, quid ex eo lucri hominibus accessisset, sicut declarauerant, Deo accessisse gloriam:

gloriam : Quid autem accessit, quod pluris faciendum, quam quod pax illis cum Deo esset conciliata ; aut saltem incœpta ? vt Eph. 2. Rom. 5. Cypr. *Bona voluntatis*, genitiuum, refert ad pacem, vt sensus sit : & in terra pax bonæ voluntatis in hominibus, idest, pax ex Dei voluntate, & liberalitate profecta. Bern. ad homines refert, vt pax non omnibus hominibus, sed ijs tantum, qui bonæ sunt voluntatis, annuntietur: vt sensus sit, *& in terra pax hominibus bona voluntatis*, idest, ijs, quos Deus amauit, quos Deus, bona prosecutus est voluntate. Quibus verbis prædestinati designantur : Non quod non omnibus hominibus Christus pacem attulerit, cum dicat Paulus, pacificasse omnia, siue quæ in terris, siue quæ in cœlo sunt. Col. 1. Et dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Tim. 2. sed quod eius pax & redemptio solis prædestinatis profutura esset Rom. 8. Nec adhuc in hac pace finem fecit, sed etiam cum Angelis ipsis qui in cœlis sunt, quique à nobis peccatoribus dissidebant, Dei partes sequentes, pacificauit, nobisque in socios, & charos protectores cõuertit, eorumque fœdes communes nobis effecit, & in consortium æternum perduxit. de qua pace Col. 1.

15. *Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum : pastores loquebantur adinuicem : transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.*] Sine mora relictis omnibus suis de visando Christo deliberant: indicant non esse cunctandum accepta bona inspiratione, sed eundum in Ecclesiam ad Christum visandum. *Verbum* Dei,

Patris,

Patris, ex Amb. sed melius pro re gesta hic sumitur, vt 2. Reg. 1. idest, videamus rem hanc, quæ facta est: & signa ostendit vt inuenire possemus.

16. *Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.*] Ostendit & pastorum diligentiam, & eorum quæ ab Angelo dicta fuerant veritatem.

17. 18. *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*] Græce diuulgarunt: vnde sequitur, *& omnes qui audierunt mirati sunt.* Vel reipsa compererunt vera fuisse ea, quæ sibi Angeli dixissent. *mirati sunt* de visis Angelis, & de ijs quæ sibi nuntiassent.

19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*] Pastorum verba: vel potius res, quæ à pastoribus de Christo referebantur. Amb. putat Mariam aliquod mysterium à pastoribus quod ante ignorasset didicisse: vel potius obseruabat, nō quasi sui ignara mysterij, sed quasi læta nouis signis, & pastorum testimonijs confirmari, quæ ipsa prius ex Gabriele didicisset: vnde sequitur *conferens in corde suo,* quæ dicebantur, & quæ fiebant, salutationem Angeli, conceptum sine viro, partum sine dolore, Pastorum aduentum.

20. *Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad ipsos.*] Completis omnibus quæ ab Angelo nuntiata erant.

21. *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero*

vtero conciperetur.] Intellige circunciſus eſt, vt doceret diuinis legibus obtemperandum eſſe: fecit & in perſona omnium hominum. De nomine Ieſu vide Matth. 1. & cur nomina in circunciſione imponerentur, ſupra c. 1.

22. *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.*] Hoc eſt cum impleti ſunt dies à partu quadraginta. Quæ hic prætermittit de aduentu Magorum, vide Matth. 2. Græce *ipſorum*, vt ad matrem & filium referatur. vel *eius*, ideſt, filij: Sed de ſola matre hic agi conſtat ex lege Leuit. 12. Non quod voluerit Lucas legem in ea locum habuiſſe, & debuiſſe quaſi eſſet immunda, aliarum mulierum more purgari. nihil enim in ea purgandum: quæ Deum ſine viro conceperat, quæ ſine corruptione & dolore pepererat: in ea ergo lex locū non habebat; cum legis ratio locum non haberet. nam neque ſanguines illos horrēdos, qui mulieribus ſolēt fluere poſt partum qui maritis timorem injciunt, ne vxoribus vterentur eo tempore: tanquam immundis, iuxta politiam veteris Eccleſiæ: illi fluxiſſe putandum eſt, quæ ſine viro conceperat, ſine corruptione, ſine apertione, ſine dolore pepererat. Nec potuit moraliter coram Deo immunda cenſeri, vt aliæ mulieres, eo quod per conceptum originale in prolem peccatum traduceretur: Nam non in peccato, ſed in Spiritus ſanctificatione & conceperat, & pepererat Chriſtum. hanc vim habent *ſecundum legem Moyſi.* q. d. non ſecundum veritatem, ſed ſecundum legem, Mariam fuiſſe purgatam, ideſt, non quod purgatione indigeret,

digeret, sed vt obseruaret legem, & verba Leuit. 12. quia ex Spiritu sancto concepit: non susceptо ex viri semine. Cur voluit legem subire; & Christus circuncidi, vt exemplum darent pœnitentibus circuncidi per continentiam; & purificari per pœnitentiam, ex Bern.

23. *Sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.*] Quidam dixerunt eam legem Exod. 13. Leuit. 27. Num. 8. in solo Christo seruatam fuisse, quia solus Christus vere & natura sanctus est: Alij nec Christo, nec Mariæ conuenire, quia nec illa ex viro conceperat, nec ille vterum aperuerat. verum *aperire*, non significat aperire, sed primogenitum esse: & hoc sensu verè Christus vulvam aperuit, quia vere primogenitus fuit ex Beda. Sed ab lege meliori ratione liber erat, quia cum filius Dei naturalis esset, opus non erat, vt ei in templo offerretur. Sicut nec tributum soluere Matth. 17. & tamen soluit, & oblatus est, ne quis Iudæorum offendi posset.

24. *Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*] Hanc hostiam pro filio offerri debuisse putat August. Alij pro purgatione mulieris. Diuites offerebant agnum in holocaustum; & pullum turturis aut columbæ pro peccato. Qui verò tàm pauperes erant vt agnum emere non possent: offerebant duos turtures, aut duos pullos columbarum, alterum in holocaustum, alterum pro peccato, idest, pro immundicia legali. Tanta autem fuit paupertas Ioseph & Mariæ; vt agnum emere non

non potuerint: credibile est duos pullos columbarum obtulisse, quia facilius & vilius emuntur quam turtures.

25. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans redemptionem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.*] Ostendit Christum testimonium accepisse à senibus vtriusque sexus, eisque iustis, & spiritu Prophetico afflatis. *Iustus* quoad homines, *timoratus*, idest, pius quoad Deum. *Expectans* aduentum Messiæ sciens eum visurum antequam moreretur, *& Spiritus* sanctificationis, gratia iustificans, vel Prophetiæ Spiritus, *erat in eo.* Quidam hunc faciunt magistrum Gamalielis, & cœcum, & Sacerdotem quod non tacuisset Lucas.

26. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*] Vnctum à Domino, Messiam & Regē, quia Reges dicebantur vncti Dei & Christi. 1. Reg. 16. 24. & 26. 2. Reg. 14. & 19. Speciali tamen ratione Messias, Christus Domini dicebatur, eo quod non ab homine vnctus esset, in Regem & Sacerdotem, sed à solo Patre per Spiritum sanctum. Isa. 11. Ps. 44.

27. *Et venit in Spiritu in templum: & cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo.*] Vt v. 13. actus à Spiritu sancto, mouente aut reuelante Spiritu sancto. Et hoc magnū est donum à Deo datum Simeoni *Cum inducerent* in templum vt Domino tanquam primogenitum offerrent Maria, & Ioseph, quia parens esse putabatur; Vel honoris causa dicitur parens quia nutritius erat Christi.

28. *Et*

28. *Et accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum & dixit.*] Q. d. Etiam sicut & mater, & ipse amplexus est summo amore, & pietate; vnde plus accepit quàm promissum fuit, qui & tangit & videt: & Spiritus sanctus, qui eum excitauit vt iret in templum; signum quoque dedit, quo eum agnosceret. *Et benedixit*, laudauit, gratias egit quod promissionem suam adimpleuisset.

29. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.*] Mox defectura vox senis, velut cygneam quandam cantionem depromit. Sic Iacob Gen. 48. sic Moyses Ex. 15. Deut. 32. sic Debbora Iud. 5. sic Anna 1. Reg. 2. Dei laudes cecinerunt versibus. Cypr. legit *dimittes* quasi dicat, se iam iam de vita migrare, & Amb. ait Simeonem iam mortem optasse. q. d. nunc Domine si quando ex hac vita dimittis, dimittis certe non cum dolore, sed *cum pace* animo quieto, & tranquillo, & satiato suis votis. Sunt qui ad Christum hæc verba dirigunt, alij melius ad Patrem: alij ad vitæ æternæ pacem; alij quasi pace iam inter Deum & homines per Christum conciliata; vel in pace cogitationum quę me perturbabant de diuina Incarnatione, nunc pacificatæ sunt; vel in pace securitatis, quia nunc mortem non metuam: vel in pace gaudij, quia deinceps non contristabor propter libertatem Israelis. *nunc* enim vidi liberatorem. Simplicius *dimittis* contentum vitæ spatio vt Gen. 46. 4. Reg. 22. Tob. 3.

30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*] q. d. Non fide solum vidi salutem tuam, quam in mundum misisti vt patres mei; sed hisce etiam

etiam corporeis oculis, vidi Christum salutis auctorem: vel salutem quasi saluatorem vocari: *tuum* quia de Spiritu sancto; cum quo Simeon loquebatur, vt Gen. 49.

31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*] Quem saluatorem in conspectu omniũ gentium posuisti, ideſt, ante secularia tempora ab æterno disposuisti hunc mittere: vel in tempore parasti nobis, dum filium tuum incarnatum misisti, vt quicumque vellent ab eo saluarentur: siue Iudæi, siue Gentiles. Quam magna Simeonis fides qui primo aspectu; fasciis adhuc inuoluti infantis, mysterium hoc cognouit, & credidit.

32. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*] Parasti vt sit lumen & gloria vt Isa. 46. & 60. Simeon vocat Christum, & saluatorem & lumen; sed *saluatorem* omnium populorum: *lumen* vero etiam omnium; sed quod sit ad illuminationem gentium obtenebratarum, verique Dei, & veræ cognitionis carentium, ad *gloriam* vero populi Israeliticiluminis enim est, & illuminare & claritate, & decorem afferre: alij dicunt *ad reuelationem gentium* non Israel: *ad gloriam* vero Israel, non gentium, dixisse: quod Iudæi si cum gentibus conferantur, in luce fuisse videri possint: quia vnius veri Dei cognitionem habebant, & venturi Christi: Gentes vero in duplicibus tenebris erant peccatorum & ignorantiæ, Iudæi in tenebris tantum peccatorum: Alij aliam reddunt rationem: quod de Iudæis aliud quod diceret habebat; Christum illis gloriam allaturum: nam etsi magnam gentibus etiam attulit gloriam saluti coniunctam; Iudæis tamen

præcipuam, & singularem attulit. 1. quod ex illis esset oriundus, vt Rom. 9. 2. quod suam illis solis præsentiam exhibuerit, apud eos solos miracula fecerit. 3. quod illis promissus venerit, eorum prophetias impleuerit.

33. *Et erat pater eius & mater mirantes, super his quæ dicebantur de illo.*] Iosephum patrem Christi vocat, non solum quia ad famam virginis conseruandam pater eius ab omnibus sit æstimatus, sed quod nutritius; sic quæ nos lactauerunt, matres appellamus. Et quod ratione coniugij legitimus esset pater, magis quam si ipsum aliunde genitum adoptasset: Mirabantur autem parentes, non quod hæc omnino noua eis essent; cum & ab Angelis, & à pastoribus similia audiuissent, aut etiam maiora; sed quod alia etiam quædam non minus miranda, & superioribus conformia audirent per afflatum Spiritus dici de eo. Neque enim iam primum mirati cœperunt, sed iam dudum cœpta admiratio, à conceptione, magis iam etiam aucta est; quod maiora de Christo à Simeone, quàm à pastoribus, quàm ab Angelis, quàm à Magis, dicta fuissent. Præterea Maria ab Angelo docta erat, mysterij summã, non singulas mysterij partes.

34. *Et benedixit eis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur.*] Fœlicia illis precatus est, gratulatus illis, vt Elizabeth cap. 1. Qui Simeonem faciunt Sacerdotem; dicunt non solis parentibus sed etiam infanti benedixisse; ideest, fœlicem ei optasse successum negotij, ad quod missus est: Ideo ad Mariam se conuertit,

quod

quod illa vere mater : Ioseph non vere pater, esset Christi : vel quod res Iosephum non tangeret ; sed Mariam : vel post læta voluit tristia de passione Christi miscere, vt præpararet Mariam ad tolerantiam: Prophetat autem contrarios effectus de Iesu: fore, vt alij non credentes offendant, cadant, atque damnentur : quales plerique Scribarum & Pharisæorum fuere: Alij credentes resurgant, ideſt, à peccatis liberẽtur, vt 1. Pet. 2. & 2. Cor. 2. Dicit *positum* non quod missus fuerit, vt in eum aliqui non credentes, offenderent, aut vt solum euentum significet ; sed vt indicet; ita propter se casuros alios, alios resurrecturos, quasi ideo venisset, vt alij caderent alij resurgerent, quamuis non ideo venisset, vt aliqui caderent sed vt omnes resurgerent, omnes enim saluos fieri volebat. 1. ad Tim. 2. vt ipse dicit Ioan. 9. Nam videtur non Dei consilium, sed tam certus significari euentus vt diuino consilio tribui posse videatur : Similibus locutionibus, *Ruinam* nõ peccatum sed ipsius peccati casum, & interitum significare : idem ruinam & resurrectionem esse, nihilque aliud esse resurgere quam peccãtum in nobis cadere, postea in nouam vitam resurgere: Et sensus est multos, eosdemque & casuros & resurrecturos. Sunt qui *multorum* non ad ruinam, sed ad solam resurrectionem referãt, quasi non multi casuri, sed aliqui casuri : multi vero alij resurrecturi significentur. Sed est referendum ad ruinam, & ad resurrectionem vt textus postulat. Est autem *signum* quicquid alicuius rei est significatiuum: speciatim verò signum 1. accipitur pro significatione : sic signum contradictionis aut cui cõtradicitur est ipsa crux

Christi, aut crucifixio quæ signum quidem est diuinæ reconciliationis cum hominibus, sed tale signum, cui & olim à Iudæis & nunc ab infidelibus contradicitur tanquam rei probrosæ. 2. pro miraculo, quia conceptio & Natiuitas & vita, & mors eius tota miraculis plena fuit, sed quibus à multis non credentibus cõtradiceretur. 3. pro fœdere inter Deum & homines. Sunt qui in signum vitæ, quo actiones nostræ dirigendæ essent positum dicunt: Alij pro eo signo in quod sagittarij solent collimare. vt Thren. 3. quod omnes fere Iudæi, non solum lingua, sed etiam manu tela sua coniicerent: non enim contenti blasphemasse etiam crucifixerunt factus stultorum, vt Zach. 12. Apoc. 1. configitur enim sæpe, confoditur, laceratur à sagittariis signum: vt in passione Christus, clauis, hasta, confossus est, & de quo feriendo certatum est, tanquam de signo configendo. contradixerunt enim Iudæi doctrinæ eius, moribus, conuersationi, personæ, Samaritanum conuitiantes, & à Deo non esse.

35. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*] *Tuam animam & ipsius* per auxesim, vt significet præter alios, etiam Mariæ animam gladio feriendam: nam ad eam hæc verba pertinent, non ad puerum Iesum: vel animam filij quam vt propriam diligebat; *gladius* metaphorice, non pro dubitatione quam habuerit cum Apostolis tempore passionis, vt contendit Origen. sumitur: sed pro dolore quem pertulit in passione filij, intima simul animæ penetrante, illo gladio qui corpus & animam filij penetrabat, vt si quis vno ictu vnum confode

foderet alium grauiter vulneraret. vt Psal. 140. Sunt qui vi doloris mortuam finguntʒ alij tantum exanimatam : quin potius tam integris fuit sensibus, vt cum ea de cruce Christus loqueretur. Alij gladium, verbum Dei esse, alij amorem: Cant. 4. *Vt* non causa sed consequentia est, idest, vt eo patiente appareat, quo quisque erga illum animo, qua quisque fide sit, quod non apparuisset si regis habitu venisset; omnes eum secuti fuissent, sed afflictum, tam multa patientem, videntes; alij sequebantur, alij persequebantur: alij credebant, alij irridebant: Et in ipsa cruce, alius tanquam Deum orat, alius tanquam hominem sceleratum blasphemat: Et id fit hodie inter Turcas & hæreticos; aliis fidem negantibus, aliis pro fide morientibus.

36. *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem, à Virginitate sua.*] A prima sua pubertate; ab anno circiter duodecimo. Simeonis testimonio addit & huius testimonium multis titulis etiam commendatæ, nempe ætate, continentia, pietate, religione, oratione, ieiuniis, prophetiæ spiritu, quod à nemine posset recusari.

37. *Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die.*] Græce circiter annorum octoginta quatuor. Hæc suo exemplo viduas cohortatur ad frequentanda templa, ieiunia, & orationes.

38. *Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo, omnibus qui expectabant redemptionem Israel.*] Eadem hora

qua Simeon in vlnis tenebat Christum, adstãs, assistens eodem spiritu, quo Simeon venerat in templum: *confitebatur*, vicissim laudabat Deum confirmans ea quæ à Simeone dicta fuerant. *omnibus*, Iudæis qui *expectabant redemptionem Israelis*: sed alij, vel in certo tempore, vel minore cura; alij aut eo tempore quo venit aut minore desiderio, hos intelligit Anna, hos auditores cupidiores audiẽdi Christi aduentum, quærebat.

39. *Et vt perfecerunt omnia, secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.*] Hæc ait vt religionem Mariæ & Ioseph declaret; qui nihil eorum prætermiserunt, quæ lex præcipiebat. Incertum est an statim postquam perfecissent hæc omnia, quæ dicta sunt; An ante reuersionem præcesserit fuga in Ægyptum. Matth. 2. videtur Lucas fugam prætermisisse & Magorum aduentum.

40. *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.*] Nihil de tota pueritia & adolescentia Christi narratur vsque ad annum trigesimum præter id quod ver. 42. solus Lucas refert, cum 12. esset annorum. Creuisse autem dicitur sapientia, & gratia: non quidem scientia diuina, nec beata, nec infusa, sed ea quæ vsu & experientia comparata est vt Heb. 5. quia suam hominibus sapientiam ostendebat. *apud Deum*, idest, *vere*, non tamen eo modo quo ætate, nam ætate vere: sapientia & gratia, sola hominum opinione; proficiebat.

41. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ.*] Fœminæ etsi

etsi lege non cogerentur, tamen Maria cum suo sponso singulis annis ad templum veniebat: Ioseph autem non veniebat, nisi in festo Paschæ, & non in festo Pentecostes & Tabernaculorum, quod tamen lege præceptum erat. Exod. 23. Deut. 16. quia cum iis qui longius habitabant dispensatū erat: Die autem Paschæ nemo excusabatur, nisi morbo.

42. 43. *Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.*] Subintelligitur puer cum illis, & aliis etiam festis: *consummatisque diebus* septem Azymorum. Ledit. 23. Deut. 6. remansit insciis Ioseph & Maria, vt suæ diuinitatis notitiam aliquam exhiberet: ne ab illis impediretur, aut si illis non obtemperasset videretur inobediens: vel melius vt ostenderet se alium Patrem habere, cuius negotia, etiam illis inconsultis agere debebat, & quod obediebat voluntate, non debito.

44. 45. *Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes regressi sunt in Ierusalem.*] Mos erat Iudæis vt venientes ad festum Paschæ, & redeuntes seorsim viri, ac mulieres progrederentur: Ita factum vt pater cum matre, & mater cum patre; puerum esse crederet, ne vterque de illo inquireret: probabilius turmatim, opidatimque & venire solitos, & redire, in eoque comitatu Nazarethnorum ciuium, & cognatorum, putasse esse Christum: alioqui non inter cognatos, sed inter pueros, parentes quæsiuissent, ad se cœ-

nandū & hospitandum: Et cum iam iter vnius diei confeciſſent, in remetiendo eodem itinere diem alterum conſumpſerunt: tertio die cum diu quæſiuiſſent inuenerunt in templo.

46. *Et factum eſt poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*] Vel omnino tranſactum, vel ipſo tertio die vt Mar. 8. inter doctores, non in editiore loco doctorum, ſed tanquam diſcipulum in humilioribus ſubſelliis, auditoris partes agentem, non doctoris; *Interrogantem*, vt erudiret. Ex vno quippe fonte doctrinæ manat interrogare, & reſpondere ſapienter.

47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis eius.*] Imbecilli corporis ætate, ipſaque interrogatione ſe hominē eſſe declarabat: ipſa autem interrogando, & reſpondendo prudentia, ſupra hominem ſe eſſe manifeſtabat.

48. *Et videntes admirati ſunt: Et dixit mater eius ad illum: fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*] Admirantur Maria & Ioſeph, vel omnes qui aderant; non prudentiam, & eius ſcientiam quam non ignorabant: ſed quod præter ſpem inueniſſent eum in medio doctorū diſputantem. Et finita diſputatione, non ſtatim, & palam; ne videretur gloriabunda de tāto filio, *dixit Mater eius*; nō accuſans, aut dolens, non cur cū doctoribus diſputauerit: ſed cur clam ſe ſubduxerit. *Sic*, ideſt, vt nobis inconſultis manſeris, noſque errare permiſeris, cū ſis filius, & hoc nobis qui te ſummopere diligimus *feciſti* non errore ſed cōſilio, idque propria volūtate. Dolent, quod metuerent ne

ne aliqua illorum offensus culpa recessisset ab eis, ne reuertisset ad cœlos, cum illi placuisset iterum descensurus: & nollet vltra illis ministris vti: aut ne in grauem, & culpabilem negligentiam illis apud Deum imputaretur derelictio pueri, quem sciebant suæ curæ commissum esse: vel fortè, quod humano quodam affectu puero omnia metuerent: quæ solet parentum pietas amatis pueris metuere: hic enim metus non repugnat illi fidei qua credidit Maria hunc esse Christum, & filium Dei, eiusque curam gerere Deum & Angelos. Prius nominat Ioseph quam seipsam tum præ humilitate, & modestia, tum quia matrimonij vir caput est.

49. *Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*] Non mordaciter, aut indignabunde, sed modeste Patrem Deum, anteponit parentibus hominibus: nec vt arguat, sed vt doceat reprehendentis personam gerit, contra Caluin. q. d. non erat causa vobis me quærendi quasi errantem, hoc enim ex consilio, & instituto feci vt solus remanerem. Sciebãt B. Virgo & Ioseph, Christum Dei filium esse, & in mundum venisse, vt opus salutis nostræ perficeret: non tamen putarunt illa tunc causa remansisse solum in Ierusalem. Non vituperat autem quòd quærant vt filium, sed quis sit sibi naturalis & verus pater insinuat, simul ostendens templum non minus ad se quam ad Patrem pertinere: nam per ea quę Patris sui erant, templum & quæcumque diuina exercitia intelligit, qualia erant, audire doctores, &

eos interrogare, & interrogantibus respondere.

50. *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.*] Ipsi auditores, vel solus Ioseph per synecdochen: vel melius dicendum verbum quid significaret intellexisse, cum Patrem suum Deum appellabat; sed nondum ad plenum intellexisse sublimitatem diuinæ virtutis; admirabile Dei consilium seu mysterium verbi, quæ essent negotia illa Patris, quæ vocabat, vt homines primum doceret; deinde pro illis morereturus. Etsi enim nouerint, illum esse Christum, Dei filium ac Saluatorem, rationem tamen qua ille munus suum obiturus erat, & rationem eorum quæ iam ab illo agebantur, non planè cognoscebant, sed progressu temporis, eorum scientia, seu fides augebatur.

51. *Et descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*] Qui prius ostendit suo exemplo in quibus negotiis parentum potestati non subsimus, rursum ostendit quanta parentibus carnalibus debeatur reuerentia, & quæ subiectio: quando & ipse qui se iam parentibus superiorem ostenderat, non dedignatur etiam simulato patri, deinceps morem gerere: & qui prius diuinæ virtutis suæ scintillas prompsit: nunc ad humanam vilitatem, sese demittit. *Mater eius conseruabat omnia*, quæ modo dicta & facta; expectans à Spiritu sancto, cuius opera conceperat, eorum omnium opportuno tempore, intelligentiam. Modestiæ erat, quod nihil

nihil muliebri loquacitate, contra non satis intellecta effutiret, nihilque magnificum de se, ob filij raras dotes iactaret. Prudentiæ vero, & magnificæ de puero existimationis, quod non obiter singula pueri dicta, & facta aduerteret, volens post, singula hæc, discipulis enarrare ait Ianſ.

52. *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*] Lucas & Matth huc vsque Iesum fere vocauerunt puerulum: nunc terminata pueritia Iesum vocat & declarat quid vsque ad annum ætatis 30. egisset ab anno 12. nempe sapientia, & ætate, & gratia profeciſſe, non quod habitus ipse in se sapientiæ augmentum reciperet, sed quod in dies sapientiora verba, & opera proferret; verba enim & opera sapientiam appellat; in his autem vere proficiebat: non quia opera sapientiora & verba faciebat. vere etiam proficiebat gratia, non quod gratior. aut sanctior fieret, sed quod per ætatis incrementa, perfectioribus gratiæ, & sanctitatis operibus vacauerit: Quamuis enim quoduis opus & verbum Christi ratione personæ operantis esset æqualis sanctitatis; non tamen ratione ipsius operis: vt verbi gratia tempus 40. dierum ieiunij, quam vnius. Sic proficiebat, Deo ad laudem, hominibus ad salutem.

CAPVT III.

Baptizatur à Ioanne pœnitentiam prædicante.

1. *ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilæa Herode, Philippo autem fratre eius, tetrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lisania Abilinæ tetrarcha.*] Lucas præ cæteris, temporis, loci, personarum circūstantiis describit: quomodo Christus sese profiteri cœperit salvatorem mūdi. Tempus primum describit dicens Ioannem Baptistam prædicare cœpisse anno 15. Tiberij. cur non ante diximus Matth. 3. Meminit Tiberij, quod tum Iudæa Romano subesset imperio, & per annos Imperatorum, tunc annum, & tempus rei gestæ designari solitum esset. Deinde ostendit qui tunc apud Iudæos præessent; tum in temporalibus, tum in rebus diuinis vt Matth. 14.

2. *Sub principibus sacerdotum, Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.*] *Super eum* ideſt, ad illum. Ioannem tanquam verè Prophetam missum ait à Deo, ad prædicandum, non à seipso: siue per interiorem inspirationem, siue per exteriorem aliquam & sensibilem vocem, non sic Caluin. & Luth.

2. 3. 4. 5. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum*

sum Isaiæ Propheta, vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aspera in vias planas.] Matth. 3. & Mar. 1. explicatur locus Isaiæ Hæc ad Ioānem pertinent & voces ipsius sunt, eiusque nomine à Propheta prænuntiantur. *Implebitur pro impleatur.* Quod tunc de via Babylonica dicebatur, dicitur nunc eodē Propheta spectāte, de via totius mundi, qua omnes gentes ad Ecclesiam Euangelij præconio vocatæ, venturæ erant. Primus præco fuit Ioannes. Desertum est totus mundus. Viæ sunt hominum animi qui per pœnitentiam explanandi erant. Montes & valles, superbi & humiles: vel Iudæi & Gentiles. Vel tantum significatur, viæ inæqualitas, ideſt vitiorum inæqualitas ad mediocritatem virtutis reducenda.

6. *Et videbit omnis caro salutare Dei.*] Ideſt, omnes homines videbunt, quomodo Deus populum suum primum à Chaldæorum, deinde à diaboli tyrānide, liberaturus esset: Vel sensus est fore vt omnes homines *videant*, ideſt, gustent, experiantur, percipiant salutem Dei, & participes fiant eius beneficij, omnibus enim est proposita. Vel de die iudicij extremi intelligitur, in quo electi, & reprobi Christum videbunt ex Greg.

7.8.9. *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita*

sita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.] Particùla *ergo* illationem infert quia baptismum pœnitentiæ prædicabat, *ideo* seu *ergo* dicebat turbis quæ ab vrbibus ad ipsum confluebant, verba ad pœnitentiam excitantia, qualia sunt quæ sequuntur. Ferunt viperam marē, coëundo necare, perimi verò excrescente fœtu, prodit enim scisso parentis vtero: sic Iudæi spiritales patres occidebant. cætera apud Matthæum 3.

10. *Et interrogabant eum turba, dicentes: quid ergo faciemus?*] *Ergo* indicat Ioannem aliquid prius dixisse, quod docuerit omnes auditores, ea quæ ibant via saluos esse non posse, vnde interrogauerit populus *quid ergo faciemus?* q. d. si ita viuendo vt viuimus, salui esse non possumus doce, quid vt salui simus facere debeamus. potuerunt hoc colligere ex illis verbis, *pœnitentiam agite*, & ex illis *iam securis ad radicem arboris posita est.* Quibus illis extremum interitum nisi resipiscant interminatur. Hoc certum est signum, auditorem profecisse cum commota conscientia ad concionatorē venit, vt de sua eum salute consulat, vt Act. 2. & 16.

11. *Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas similiter faciat.*] Ambros. hoc quod turbæ dicit, commune omnibus putat esse præceptum: quod publicanis & militibus illis proprium. Et speciem vnam charitatis pro toto genere, posuit: id est, pro omni charitatis officio. Quos per duas maximè necessarias & cōmunes species declarat, victum atque vestitum: & ex duabus partibus obligationem dandæ eleemosynæ

præscribit,

præscribit, ex inopia pauperis, si tuendæ vitæ necessaria non habeat, si ex diuitis abundantia, si plus habeat quam illi sit ad vitam necessarium. Et per vnam tunicam, res omnes necessarias: per duas, res omnes superfluas significat. vt Act. 12. Ex hoc loco probatur nos operibus charitatis iustificari ita Iren. l. 4. c. 40.

12. 13. *Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos, nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.*] Erat enim illis constitutum quantum tributi exigere deberent, & plus facere erat plus exigere. Non igitur damnatur exactio vectigalium & tributorum, quæ iustè principibus debetur Rom. 3. sed iniqua & indebita exactio ministris interdicitur.

14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.*] A tribus quibus solent esse obnoxij violentia, calumnia, & rapina, abstinere iubet. Si velint effugere Dei vindictam. Hoc præceptum ad magistratus & Ecclesiæ ministros extendit S. Augustinus. serm. 19. de verb. Dom. Et ex hoc licere bellum Christianis, probat Ambr. serm. 7. & Aug. lib. 22. cont. Faust. c. 74.

15. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioane, ne forte ipse esset Christus.*] Græce *expectante* seu sperante, aut existimante, & cum dubitaret expectabat quid declararet, esset ne Messias an nō. Mouebat Ioannis sanctitas, & officium prædicandi, & baptizandi, vt eum Messiam esse plebs crederet: auertebat

tebat cultus disparitas, quo suum Messiam venturum sperabat: sed facile potuisset ex scripturis intelligere eum nō esse Messiam: quia Messias ex tribu Iuda, & ex domo Dauid, erat nasciturus: Ioannes autem erat ex patre & matre, ex tribu Aaron. Hoc autem testimonium quod Lucas dicit datum à Ioanne, cum populus cogitaret, ne forte esset ipse Christus, videri potest tunc Ioannem dedisse, cum misissent ad eum Iudæi Ioan. 1. Siquidem tunc scribitur illis respondisse, quæ hic à tribus ponuntur Euangelistis, quod per anticipationem narrauerunt, nam illud Ioannis ca. 1. datum est post baptisma Christi, & Ioannes quæ ab aliis omissa sunt solet supplere. Iansenius tamen & Maldon. putant esse diuersum testimonium Et respondisse Ioannem hominum cogitationibus afflatu Spiritus, aut indiciis cognitis. Cætera apud Mat. 11.

CAPVT IV.

Tentatur à Diabolo, docet in Synagoga, eiicit dæmonia.

1 *IEsus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum.*] Magis sese post baptismum demonstrāte & apparente, quam antea: de hac tentatione Mat 4. 14. 15. *Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo.*] Dicitur regressus quia inde prius in Iudæam venerat; vt baptizaretur. ex cap. 3. & ex Matt. 3. & Marc. 1. Lucas studiosius notat Christum in omnibus suis actionibus diuino Spiritu

Spiritu affiatum, actum, & impulsum fuisse. Beda *in virtute* Spiritus intelligit in virtute miraculorum. Alij in virtute doctrinæ, & miraculorum.

16. *Et venit Nazareth, vbi erat nutritus: & intrauit secundum consuetudinem suam, die Sabbati in synagogam, & surrexit legere.*] Ex vers. 23. patet per alia loca Galilææ, prius prædicasse & miracula fecisse, & nusquam minus quam in patria sua versatum esse Matth. 13. Et inter hunc in Nazareth aduentum & illum in Galilæam reditum quem Lucas vers. 14. describit, ea prope omnia quæ Matth. à cap. 4. vsque ad 13. & Mar. à c. 1. vsque ad 6. referunt. Mar. 1. diximus de ea consuetudine ad orandum, ad publicam prophetarum, & legis lectionem faciendam. Ex hoc loco patet liberum fuisse dicere vnicuique in Synagoga si quid occurreret. Act. 13. & 1. ad Cor. 14. sic Paulus per synagogas Christum prædicabat. Act. 9. 14. 17. 18. & 19. Viris solis non fœminis. 1. Cor. 14.

17. 18. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & vt reuoluit librum inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.*] Qui ad legendum surrexerat de more ei liber tradebatur ab Archisynagogo aut ab ipsius ministro de eius mandato. Cui post modum Christus librum reddidit, vers. 20. Non volumine vno sicut apud nos sit, Biblia sacra tunc erat compaginata, sed singulæ partes diuersis membranis circumuolutis conscriptæ. Et quidem diuino consilio is liber datus est Christo, vbi locus ille est in quo aperte de ipso agitur. Sunt qui putant de industria Iudæos

feciſſe

feciſſe vt cognoſcerent dato libro, num tanta eſſet doctrina eius, quanta fama miraculorum putabatur. Deus per Iſa. c. 59. promiſerat Iudæis ſe daturum redemptorem; eum Redemptorem hic loquentem inducit c. 60. Et ſe eum eſſe declarantem, qui Iudæis à Deo promiſſus fuerat. Sunt qui Chriſtum vnctum putant Spiritu ſancto largiter in ipſum effuſo: Alij ipſa ſua diuinitate, alij cum conceptus eſt de Spiritu S quando ipſe Spiritus in matrem ſuperuenit fuiſſe vnctum: Alij cum baptizatus eſt, & Spiritus S. in columbæ ſpecie deſcendit. Propterea autem vnctus eſt Spiritu ſancto, viſibiliter poſt baptiſmum deſcendēte, quia ante baptiſmū Spiritus S. in eo erat: Vel vnctus dicitur, ideſt, ad prædicandum deſtinatus, ac miſſus; ſicut vngi ſolebant qui ad gubernandum populum, & miniſtrandum Deo deputabantur. Spiritus autem fuerat in eo ſemper, ante inuiſibiliter qui tunc per viſibilem aduentum manifeſtus apparuit. Non enim Spiritus S. in Chriſtum deſcendit vt in eo eſſet, qui ante non erat, ſed vt appareret qui erat quando conceptus eſt, & diuinitati vnitus. q. d. Miſſus ſum, vt fungar legatione ad quam me vnxerat: finis ergo vnctionis, eſt exercere & operari ſalutem Mundi, ad quod Spiritus Domini ſuper illum venit: docere *pauperes* doctrinam regni cœleſtis, ſeu *afflictos* vt legunt Septuag. loquebatur enim de captiuis Iudæis apud Chaldæos: & eorum perſona de omnibus hominibus, quos diabolus captiuos tenet: illis Propheta; his autem Chriſtus *Euangelizauit*, ideſt liberationis nuntium attulit. Ideoque & hi omnes ſub perſona miſerabili referuntur, & pauperes,

pauperes, ideſt, afflicti, contriti corde, peccatorum onere preſſi, qui peccata dolent, captiui, cæci, confracti dicuntur : ſunt qui per *pauperes*, Gentes intelligunt : Alij ſolos pauperes Spiritu.

19. *Prædicare captiuis remiſſionem ; & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*] Libertatem, facultatem in patriam redeundi: ſic ſoluti per Chriſti reſurrectionem qui inferni dominio ; & qui peccatis capti tenebantur. Hebr. *& vinctis apertionem carceris.* Sept. *cæcis* pro *vinctis.* Et vinctos vocat eos, qui non in quouis ſed in tam tetro, & tam profundo, & obſcuro carcere vincti eſſent, vt cæci eſſe viderentur : ijſque per Chriſtum aperiendos eſſe oculos, quia ex eo carcere educendi erant : ſic corporaliter cæcos illuminauit : & ſpiritualiter tenebris erroris, & ignorationis Dei, oppreſſis, lumen veritatis, & fidei infudit. *confractis* cruciatis & tenebroſi carceris reſtitutionem viſus, dimiſſionem, *in remiſſionem*, ideſt, in libertatem qua lucem illis aſpicere liceret Quod corporaliter, & ſpiritualiter Chriſtus effecit; Corporaliter quando infirmos & dæmonijs obſeſſos liberauit, hi enim confracti & quaſi impediti, libere operari non poſſunt. Luc. 13. Spiritualiter vero quando dimiſit peccata multorum quæ ſunt vincula, & funes quibus animæ ligantur, quo minus bene operentur. Sunt qui paralyticos, vel dolore peccatorum grauatos, vel mortuos, quos Chriſtus ad vitam reuocauit: vel oppreſſos diaboli ſeruitute & iugo peccatorum intelligunt. *Annum acceptum* vocat quo Chriſtus mortuus

eſt,

est, quo libertatem nobis contulit. *diem* verò *retributionis* gratiam, seu tempus quo Deus homines in gratiam per Christum recepit Isa. 49. Vel vltimum iudicium, quia Christus dicit hodie est impleta Prophetia hæc, non ergo in die iudicij est implenda. Hieron. *diem vltionis*, ad Iudæorum vltionem refert factam per Titum & Vespasianum. Si ad tempus Christi, cum Christo ipso referamus, *Annum Domini acceptum*, interpretabimur de omnibus hominibus, cum Mald. quibus tempus illud si Christi liberalitate vti voluissent, iubilæus fuit: quo qui serui erant in libertatem asserebantur: *Diem* verò *vltionis* de diabolo quo deuicto nos liberauit. Vel non tantum prædicauit *annum acceptum*, quod ad primum aduentum spectat, sed etiam diem retributionis, quod est secundi aduentus.

20. *Et cum plicuisset librum reddidit ministro, & sedit, & omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.*] Stupentium literas nosse, quas non didicerat. Ioan. 7. vel vt viderent quo modo quæ legerat exponebat: sic fieri solet, aut quando insignis vir dicturus est aliquid, aut quando nouum quid vel arduum audire expectatur. *Stetit* autem Christus reuerentiæ causa cum Prophetiam legeret de more vt Act. 13. cum autem docere voluit, sedit, vt suam supra cæteros auctoritatem declararet; & doctrinæ maiestatem. Quo significatur Christum primum Euangelium sua prædicatione aperuisse, & Apostolis tradidisse prædicandum, & aperiendum populis, ex Beda.

21. *Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris.*] Q. d. vobis

vobis audientibus impleta est, quia sicut illa prædixerat, & magna faciebat & maiora euangelizabat: & se tacite Messiam esse ostendit quem desiderabant.

22. *Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur, in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?*] Gratia hoc loco non eam quæ hominem charum Deo, sed eam quæ hominibus acceptum & gratiosum reddit: qua se plus quam hominem esse Christus declarabat. Admirantes vel contemnentes, eum quem verbis, & factis Christum esse cognoscebant. Matth. 13. Nam etsi virtutes & sapientiam eius agnoscerent, carnis tamen abiectione, se à credendo retraxerunt. Matth. & Mar. referunt illos scandalizatos fuisse in Christo.

23. *Et ait illis: vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum. quanta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua.*] Commune prouerbium apud Hebr. ad improperium excogitatum de ijs qui cum alijs prodesse se posse dicerent, sibi prodesse non possent. Tacite volebant Nazareni, vt quæ in alijs ciuitatibus, in sua etiam facerem patria: & id petebant, non fide vt crederent: sed ambitione, ciuitatem suam alijs præferentes: & incredulitate apud se dicentes, non posse facere, vt se posse dicebat, alioqui fecisset multo magis in sua patria. Non fecit autem quia indigni erant, quia visis miraculis non credidissent.

28. *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.*] Impletam in se esse prophetiam Isaiæ: vel quod se alijs prophetis compararet:

vel

vel quod eos, incredulitatis argueret: vel quod gratiam à Iudæis ad gentes transferret: ad iniuriam reputantes, quod ad doctrinam, resipiscentiam, & salutem institutum erat.

29. *Et surrexerunt & eiecerunt eum extra ciuitatem. Et duxerunt illum vsque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.*] Sic tanquam mortis reum primùm à suis ciuibus, peius ira incipit crucifigi, quam crucifixus est iudicio, etsi violento peiores diabolo: ille enim ait mitte te deorsum, isti mittere intentant. Vi autem trahi & eijci videbatur illis Christus, sponte tamen se trahi & eijci sinebat.

30. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat.*] In quo suam ostendit diuinitatem. Quando vult capitur, & elabitur ait Ambr. nondum venerat hora passionis, nec hoc mortis genus elegerat; nec hunc passioni locum. Miraculum in hoc fuit; vel mente illorum subito mutata; vel stupefacta: vel quod manus illorum teneret: vel quod se inuisibilem redderet. Cætera apud Matth. & Mar.

CAPVT V.

Concionatur ex naui, edit miracula.

1. *FActum est autem cum turba irruerent in eum vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere*

reducere pusillum. Et sedens docebat de naucula turbas. Vide apud Matth. 4. & Marc 1. an hęc historia sit eadem atque illa, vbi cætera etiam explicantur, quæ hic possunt desiderari. Hic solum recenset ea quæ occasionem dederunt vocationi Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis.

4. *Vt cessauit autem loqui dixit ad Simonem; duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*] Fecit hoc miraculum. 1. vt suam doctrinam opere miraculoso comprobaret. 2. Quid per Petrum & alios futurum esset. vbi & Petri prærogatiuam; & primatum in Ecclesia designat; dandum à Christo. Quod Petrus laborando per totam noctem nihil cœperit, indicat frustra se sine Christo & eius gratia, laborare: Et prædicatores post prædicationem otiosos esse non debere.

5. 6. *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete: & cum hoc fecissent concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.*] Hoc miraculum auget quod noctu, cum plures pisces capi solent, nullum ceperit: die vero cum pauciores capi solent, ceperit copiosam multitudinem.

7. *Et annuerunt sociis qui erant in alia naui: vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur.*] *Annuerunt* signis non verbis, tanta erat admiratio in captura piscium vt loqui non possent: vel quia tam remoti erant, vt vox ad eos peruenire non posset. Ecclesiæ pastores, cum ipsi per se, aut imposito, aut suscepto onere non sufficiunt, alios

alios à quibus iuuari possint aduocare debent.

8. *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine.*] Petrus magnam reuerentiam exhibet & humilitatem, dum ex viso miraculo Christi dignitatem cognoscens, & suæ contra memor indignitatis, Domini à se discessum deprecatur, agnoscens se indignum eius consortio, & præsentia: Vel ne sibi aliquid mali contingeret ob commercium suæ indignitatis, cum sanctitate Dei. vt 3. Reg. 17.

9. *Stupor enim circundederat illum, & omnes qui cum eo erant in captura piscium quam ceperant.*] Hic stupor, typus fuit stuporis consecuturi postea, ex successu prædicationis & piscationis Euangelicæ.

10. *Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi: qui erant socij Simonis, & ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.*] De hac & aliorum Apostolorum vocatione Matth. 4. hic solum notanda occasio vocationis ex captura piscium. *Noli timere.* q. d. tantum abest, vt aliquid tibi mali contingat, quin potius ex piscatore piscium, fies piscator hominum. cætera apud Matth. c. 2. & 9. & Mar. 2.

CAPVT

CAPVT VI.

Excusat discipulos, sanat manum aridam & docet Euangelij pietatem.

1. *FActum est autem Sabbato secundo primo, cum transiret per sata.*] Huius loci & totius capitis expositio petenda est ex Matth. cap. 12.

CAPVT VII.

Sanat puerum Centurionis; suscitat filium viduæ.

1. *CVm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum.*] Q.d. cum plebi quicquid voluit libere dixisset doctrinam miraculo confirmauit. Superior concio habita fuerat in campo cum ex monte ab oratione descendit cap. 6. inde dicitur ingressus Capharnaum Matth. 8. vbi reliqua vsque ad vers. 11. exposita sunt.

11. *Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.*] Probabile est ea omnia quæ Matth. refert cap. 8. & 10. accidisse inter hoc miraculum quod hic recensetur, & quod paulo ante retulit de Centurionis seruo sanitati reddito. discipuli & turba sequuntur tanquam testes miraculi.

12. *Cum autem appropinquaret porta ciuitatis: Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ, & hæc viduâ erat: Et turba ciuitatis multa cum illa.*] Non casu sed diuino consilio, tunc cum sciebat mortuum de more efferendum; vt in ipsa vrbis porta, coram multis suscitaret: quo maiorem de se opinionem conciliaret ad facilius recipiendum Euangelij prædicationem. flebile erat, quod adolescens esset mortuus: quod filius viduæ, quæ sine viro, & sine liberis esset orbata: Et quod vnicus esset filius: quod locuples: quod nobilis, vt colligitur ex turba comitante.

13. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam; dixit illi: Noli flere.*] Causam refert cur non rogatus excitauerit, quia commiseratione matris commotus est, cuius miseria satis per se vociferabatur, non filij qui ab huius sæculi calamitatibus ereptus erat, sed matris qui eis premebatur. Non erat mors lugenda eius, qui mox cum maiori gloria, & lætitia matris erat victurus. Et quia exiguæ aut variæ est misericordiæ verbis tantum consolari, cui possis re & opere subuenire. Qui autem fletum prohibuit causam lætitiæ adesse significabat.

14. *Et accessit & tetigit loculum. (hi autem qui portabant steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.*] Vt ostendat efficax esse suum corpus, ad humanã salutem, vt enim ferrum igni adiunctum facit opus ignis: sic caro Verbo vnita viuificat: ait Cypr. Sed videtur potius verbis quam tactu viuificasse, & imperio, vt se verum Deum declararet, cuius solius vocem mortui audiunt. Ioan. 5. vt igitur tactu virtutem

tem carnis suæ, ita imperio diuinitatem, cui caro illa vnita erat, Christus significauit: vox autem latentis diuinitatis indicium erat.

15. *Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.*] Ex quo infert, eum vere resurrexisse, nam corpus exánime, nec sedet, nec loquitur.

16. *Accepit autem omnes timor: Et magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: Et quia Deus visitauit plebem suam.*] *Stupor* ex reuerentia in Deum. vnde ait *& glorificabant* Deum; quia ex miraculi magnitudine videbant eum esse illum Prophetam à Moyse promissum. Deut. 18. Beda putat populum credidisse illum nõ solum esse Messiam, sed & Deum.

17. *Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam, de eo, & in omnem circa regionem.*] *Sermo*, id est, rumor miraculi, vel hoc factum diuulgatum est in omnem regionem. Cætera vide apud Matth. c. 11.

29. *Et omnis populus audiens & publicani iustificauerunt Deum, baptizati Baptismo Ioannis.*] Idest, iustũ declarauerunt seu benignum, fidelem, & prouidum confessi sunt; qui Ioannem miserit: si vt probabile est Christi verba sunt: Si vero Euangelistæ, sensus erit: omnem populum & publicanos, cum audiuissent quæ de Ioanne dicebat Christus, credidisse, & Deum laudasse, cum prius Ioannis Baptismum susceepissent, Pharisæos autem & legis peritos contempsisse. *omnis populus*, idest, multi: Ex effectu autem illo, aperit modum quo Deum iustificauerunt, quia baptismo Ioannis baptizati sunt ostendentes se credidisse iis quæ per Ioan-

nem à Deo nuntiabantur.

30. *Pharisæi autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo.*] Cum tamen populus qui fere legem Dei ignorabat, & publicani homines auarissimi Deum iustificauissent, ideſt, iustum, benignum, ac prouidum credidissent, qui tale sibi per Ioannem misisset auxilium, vt inuento redemptore à peccatis soluerentur. quod magis exaggerat Scribarum & Pharisæorum pertinaciam: vt Matth 8. & 21. qui suo magis quàm Dei consilio crediderunt qui Ioannem præmiserat, vt per eum omnes Christum agnoscerent. Quod ait *in semetipsos*, ideſt, in suam ipsorum ruinam, & perniciem: vt qui oblatam medicinam cum infirmus sit non recipit, suo damno spernit. Non quod aliqui non crediderint Ioanni, & ab eo baptizati fuerint, quia tamen de vniuerso genere Pharisæorum loquebatur, non de singulis hominibus, neminem excipit.

31. *Ait autem Dominus: cui ergo similes dicam homines generationis huius*] Huius loci explicatio vsque ad ver. 36. habetur Matth. 11.

36. *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo: Et ingressus domum Pharisæi discubuit.*] Ostendit Euangelista hac conuersione peccatricis, peccatores & publicanos credidisse: at vero etiam eos qui Christo aliqua beneuolentiæ signa demonstrabant; non satis in eum credidisse, confisos propria iustitia. Quis fuerit ille Simon vide Matth. 26. Mar. 14. *Ingressus domum Pharisæi*, non vt corporis cibum sumeret: sed animæ, vt occasio mulieri suæ cõuersionis daretur, & ostenderet quantum desiderat peccatorum cõuersionem: ideo

ideo non inuitatus aliquando adibat conuiuia.

37. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.*] An fuerit illa mulier quam Matth 26. & Mar. 14. & Io 20. vnxisse Dominum scribunt, vide Matth. Eam fuisse meretricem, si non vulgo prostitutam, at parum castè viuentem. Et qui putant fuisse pudicam Christi gloriam minuũt. *Ecce*, q.d. conuiuij tempore, mulier pœnitentiæ lacrymas miscet *Ecce* in domo Pharisæi, qui mũdiciem & sanctitatem profitebatur, peccatrix ingreditur. Loci opportunitatẽ cito captat, nec vacua ad Christum venit, sed vas defert ex alabastrite lapide, vnguento plenum. de quo vide Matth. 26.

38. *Et stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*] Idest, cõsistens, non enim recta in pedes stabat, cum Christus iaceret in toro, more recumbentium; cui tanquam solitum & debitum officiũ exhibet. Solebant enim mulieres vnguenta deferre: oculis quibus terrena concupierat, iam per pœnitentiam conterens, plorat. multum enim ad flectendum Deum fletus est efficax: Et capillis quos ad compositionem vultus exhibuerat, tergit, quod maioris humilitatis, & caritatis fuit indicium; quam si linteo terssisset; addit *capitis* ad emphasim *Et osculabatur*, ore quo superba dixerat: *& vnguento* quod sibi pro odore suæ carnis exhibuerat pedes vngebat: vel quia se putabat indignam quæ caput Christi tangeret. Et sic, quot in se habuit oblecta-

menta tot de se inuenit holocausta.

39. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta sciret vtique, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.*] Vt Magdalena erat exemplū veræ pœnitentiæ, sic Pharisæus arrogantiæ: Nam Pharisæi sibi de iustitia placentes peccatores fastidiebant; & contemnebant: Isa. 52. perpende huius temerarij iudicij quanta mala. quomodo enim contactus peccatoris iustum contaminabat, cum omnis immunditia spiritualis a sola voluntate procedat? Quomodo peccatrix habēda erat, quæ tot signa pœnitentiæ exhibebat? Quomodo colligit Christū non esse Prophetam, cum Prophetæ non sit omniū discernere mentem; & bonos à malis: Nam non omnes, omnia occulta cognoscunt: sed quantum aliis à Deo conceditur.

40. *Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic.*] Respondet ad tacitam cogitationem illius, vt se esse Prophetam declaret: & Pharisæus se suo iudicio condemnet. Et quia iudicabat non admittendam peccatricem ad contactum, contra ostendit æquius à se illam admitti quam passus est à Pharisæo ad conuiuium suscipi; cum vterque illi esset debitor, vterque illius misericordia indigens, hæc, & plura, & maiora signa dilectionis exhiberet: Rursum quia iudicabat illam esse peccatricem, cōtra ostendit Christus illam magis iustificatam Pharisæo.

41.42. *Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingētos, & alius quinquaginta: Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit?*] Ex hac parabola

rabola videtur non quod Christus, sed contrarium colligendum ; propterea multum eum dilexisse, quia multa illi peccata remissa: Nam illi qui quingentos debuit denarios, plus remissum est, non quia multum dilexit Dominũ, sed ideo postea plus dilexit, quia plus illi quam alteri remisisset. Sunt qui dicunt prius dilexisse, ideſt, officia illa caritatis prius exhibuisse, deinde illi remissa fuisse peccata. Nec est semper verum, eum plus diligere qui plus debet, nam multi suos creditores odio habent. Alij dicunt potuisse Christum vtrumque colligere. Et remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum: Et è contrario dilexisse multum, quia multa rei remissa sunt peccata: vtrumque enim ex altero sequitur: quia nec remissio peccatorum sine caritate; nec caritas sine remissione peccatorum esse potest. Alij dicunt Christum inuersa parabola vsum fuisse, nec argumentum esse à simili sed à contrario, quia dilexit multum remissa sunt ei peccata multa. Alij dicunt; quod Christus hic Simonem rogat: *Quis ergo eum plus diliget*, esse futurum pro præterito.

43.44.45.46.47. *Respõdens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hac autem lacrymis rigauit pedes meos & capillis suis tersit. oscvlum mihi non dedisti: hac autem ex quo intrauit; non cessauit oscvlari pedes meos. oleo caput meum non vnxisti: hac autem vnguento vnxit pedes meos. propter quod dico tibi remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*] Q.d. multo te sanctior est,

quia illi peccata sunt dimissa, tibi aut non sunt, aut pauciora sunt dimissa. forte autem de illo non queritur nec eum reprehendit, quod sibi pedes non lauisset, quia non erat mos, antequam ad mensam accumberent: sed illi mulierem præfert quod lauisset: potuit etiam conqueri, quod sibi tanquam peregrino non lauisset, vt mos erat: Sicut & aduentantibus pacis osculũ in ore dare. Gen. 27. 31. Exo. 4. 18. 1. Reg. 20. & 2. Reg. 14. Matth. 16. Rom. 16. 1. Cor. 16. *Propter* quæ caritatis officia, quæ peccatorum remissionem proprie non merebãtur, tamen merebantur tanquam dispositionem congruo: Vel remissio peccatorum non pro culpæ, sed pro pœnæ remissione hic accipitur: Vel dicẽdum remissionem peccatorum natura præcedere veram caritatem, non tẽpore. *autem*, pro *enim*: subintelligitur *cui plus dimittitur*, plus diligit: q.d. dilectio est mensura remissionis peccatorum: Ergo huic mulieri, quæ multum dilexerat, multa peccata sunt remissa.

48. *Dixit autem ad illam; remittuntur tibi peccata tua.*] Nunc me loquẽte, & simul remittente. At quomodo dixerat ante Simoni: *Remittuntur ei peccata multa*: dixit ea tunc remitti quia statim erant remittenda: Et quia iã cœpta remitti, pœnæ scilicet peccatis debitæ: nam culpa remittitur in instanti: vel est præsens pro præterito; si iam remissa erant vt putat Tol. q.d. obtinuisti quod desiderabas.

49. *Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit.*] Admirantes vel murmurantes, & blasphemiæ Christum accusantes vt Matth. 9. Et supra cap. 5.

50. *Dixi*

50. *Dixit autem ad mulierem: fides tua te saluam fecit: vade in pace.*] Non sola, sed per caritatem operans: nam prius dixerat *remittuntur ei peccata multa; quia dilexit multum*: fides salutem inchoauit, consummauit caritas; est enim præcedens nostræ iustificationis causa. *vade* libera, sine timore pœnæ ob præterita peccata infligendæ; quia quod desiderabas, & petebas obstinuisti.

CAPVT VIII.

Dicit parabolam de semine, sedat mare, liberat dæmoniacum.

1. *ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans & euãgelizans regnum Dei: & duodecim cum illo.*] Post decollationẽ Ioannis, & iter in ciuitatẽ Naim, vbi mortuum suscitauit, cap. 7. quod nunc prosequens lustrat omnes ciuitates Galilææ, comitatus Apostolis, & multis mulieribus. Iansenius putat hic inserendam missionem Apostolorum ad prædicandum *cum illo*. quam Matthæus scribit c. 10. & Luc. 9. & hęc per anticipationem dicere. Beda nondum missos sed exercitatos fuisse à Christo, ad futuram missionem. Non prædicasse sed didicisse censet Theoph. vadit de loco ad locum non solum vt plures lucretur, sed etiam vt multa dedicet loca; dormit & laborat, vt somnum & laborem sanctificet: plorat, vt det pretium lacrymis. Dat exemplum Prælatis vt vbique animas quærant, non in magnis tantum ciuitatibus, sed & in castellis,

nec tantum animis sed etiam corporibus medetur.

2. *Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à Spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.*] Qui vtrumque sexum saluare venerat, vtriusque sexus sequaces non expulit, vltro se offerentes, maximè quæ beneficiis affectæ, vt ei de suis facultatibus ministrarent: vt ostenderet suam pro nobis susceptam paupertatem; & facto suo doceret quod mox docturus erat verbo: operarium scilicet dignũ esse mercede suã: nec defuturam vnquam spontaneam liberalitatem bonorũ eis qui sincero animo toti essent in Euãgelico negotio. Deinde ne videretur, ipse qui pauper erat; cibi gratia & ventris, & non solius salutis animarũ circuire ciuitates: Aut ne quenquam grauaret, qui cum tanto numero Apostolorũ varia loca circuibat: Quod exemplum imitati Apostoli 1. Cor. 6. sed quia in gẽtibus scandalũ aliquod parere potuit: (non Iudæis, quibus cõsuetudo erat vt mulieres de suã substantia victum atque vestitũ præceptoribus ministrarent:) Paulus imitari voluit, sed manibus victum sibi, & suis parauit. Hac consuetudine abusus est Simon Magus, Marcion, Apelles, Arrius, qui mulieres circunduxerunt, ex Hieron. epist. ad Ctesiph.

3. *Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant de facultatibus suis.*] Designat maritum vt significet mulieris huius opes & deuotionem; non solum ipsius, sed etiam mariti fuisse, qui permiserit vxorem suam in comitatu Iesu, in quo vtique eam Dominus non admisisset, nisi viro permittente.

tente. Hæc refertur inter eas quæ sepulchrum adierunt, Dominũ vncturæ.c.vlt.ex hoc colligitur licere mulieri, infidelem maritum relinquere vt sequatur Christum.1.Cor.7.

4. *Cum autem turba plurima conueniret,& de ciuitatibus properarent ad eum,dixit per similitudinem.*] Hanc Christus concionem in nauim conscendens habuit ad littus maris Galilææ Matt.3. & Mar.4. cætera quæ hic desiderantur habes Mat.4.5.10.& 12.c.

CAPVT IX.

Instituit Apostolos ad docendum,cibat turbam pane.

1. *Conuocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem, & potestatem super omnia damonia,& vt languores curarent.*] Semotis à turba,vt priuatim eos institueret, reliqua vsque ad vers.51. vide apud Matth.10.14.16. & Mar.6.& 8.

51. *Factum est autẽ dum complerentur dies assũptionis eius,& ipse faciẽ suam firmauit, vt iret in Ierusalem.*] *Dies* passionis,vel assumptionis in cœlum:vel suscepti negotij salutis nostræ,q.d. cum cõpleretur tempus quo negotiũ sibi commissum à Patre erat perfecturus,nempe non ab hominibus electus, sed à Deo, procul dubio mortẽ non coactã sed voluntariã designãs. quę quamuis futura ab eo tamen non ignorabatur. Huc autẽ Lucas tetulit per anticipationẽ,cum sex vt plurimũ mẽses vsque ad passionẽ supereſſent. Mald. notat quater Christum à Iudæa in Galilæam,ter à Galilæa in Iudęã Mat.2.3.4.

& 10.c. decessisse. & de hac tertia qua collectis iam discipulis comitatus non vt moreretur, sed vt prædicaret; nam ad moriendum postea reuertit, hoc loco agit Lucas, nō de vltima de qua Mat. 26. Quia ergo Lucas hactenus narrauerat quid Iesus post Baptismum fecisset in Galilæa, voluit exponere, quo modo in Iudæā reuertisset, & quid in via, quid in ipsa Iudæa fecisset: id hoc loco agit. & ex hoc loco colligitur, post hanc profectionē, iterū Christum in Galilæam rediisse: si enim iam accidisset quod Ioan. 4.c. narrat, vtique libenter eū recepissent. Cæterum postquam Christus in Iudæa diu prædicauit videns Pharisæorū contra se inuidiam concitari, rediit quarto in Galilæam. vt apud Mar. 1. & Ioannē 4.c. instāte verò passione tertio ex Galilæa rediit Hierosolymā vt Mar. 10. & Luc. 18. & Matt. 20. denique ex c. seq. vers. 38. non fuisse hanc vltimam Christi ex Galilæa Ierosolymam profectionem. Nam illic dicitur à Martha domo nunc exceptus, in vltima autem profectione non in domo Marthæ sed in domo Simonis leprosi exceptus est, Matthæi 26. & Marc. 14. *Firmauit*, ideſt, iter instituit imperterrita mente, morti occursurus.

52. *Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi.*] Angelos non homines fuisse putat Hier. alij Iacobū & Ioannē, & quæ erant ad victū, & hospitiū necessaria pararent: vt discipuli assuescerēt pati repulsam: & ne quid intentatum relinqueret erga Samaritanos quo minus gustū aliquem præberet Euangelij: ne postea causarentur Christum ad se non venisse.

53. *Et non receperunt eum, quia facies eius erat*

erat euntis in Ierusalem.] Quia indicabat se Ierosolymam ire: Samaritani autem ascendentes festiuitatis causa Ierosolymam, non recipiebāt: indigne ferentes alibi adorari quam in templo suo, in monte Garizim: alij dicunt nō quia noluerunt, sed quia ipse noluit, vt sensus sit voluisse quidem, sed non potuisse recipere eum ac retinere, quia Ierosolymā versus festinabat. Sed ad quid Ioannes & Iacobus, si ita esset, voluissent vt ignis de cœlo descenderet: nisi quia Dominum recipere nolebant: alij quia Iudæi Samaritanis non coutebantur.

54. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicamus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos.*] Non quod alij non viderint: sed quod ex omnibus qui viderunt illi soli vlcisci voluerunt, fortè quia erant cognati Christi: & conuenienter nomini suo, quia erant filij tonitrui, fulgurare volunt: non vlla quidem culpa sed sola Euangelici & Christiani Spiritus ignorantia; hac enim de causa reprehenduntur.

55. *Et conuersus increpauit illos, dicens: nescitis cuius Spiritus estis.*] Vt Magister suos sæpe reprehendit discipulos sine culpa: Spiritum appellat ipsum donum Spiritus sancti, nempe timorem, dilectionem, māsuetudinem. Et Euangelicum suum Spiritum mitem, Spiritui Eliæ anteponit: q. d. etsi in lege id fieri potuerit non tamen in Euangelio. Hoc tamen discrimen non est perpetuum. Nam Elizeus mitis fuit 4. Reg. 6. & Petrus seuerus, Act. 5. Paulus 1. Cor. 5. & Act. 13. Et cum opus est ferro de terra, & igne de cœlo tuenda est religio.

56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed*

sed saluare.] De se solo non de toto Euangelio hoc dictum, qui etsi poterat, & homines maxime digni erant, vt ab eo punirentur, non venerat tamen perdere: & volebat mansuetudine suam doctrinam, non armis proponere.

57.58.59.60. *Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: sequar te quocumque ieris. Dixit illi Iesus: vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ait autem ad alterum, sequere me: ille autem dixit: Domine permitte mihi primum, ire & sepelire patrem meum: dixitque ei Iesus: sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei.*] An hæc historia & quæ proximè narratur sit eadem, quæ apud Matth. c. 8. vide.

61.62. *Et ait alter, sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. Ait ad illum Iesus: nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*] Proponitur à Luca solo, hic tertius, qui & ipse vt verosimile est à Domino ad sequelam vocatus, paratum quidem se exhibuit, sed dilationem honestatis prætextu postulauit; & talem quæ non multum temporis, vt superioris postulata dilatio requirebat, ob quod putabat merito concedendum quod petebat. Inde ostendit quod in Galilæa neminem vocauit, qui non continuo relictis omnibus, eum secutus sit: & multi non vocati sequebantur. In Iudæa, contra: vocati non sunt sequuti. Et qui se sponte obtulerũt, repulsa digni fuerunt. Et videntur hæc tria ita referri: quasi eodẽ tẽpore, & loco acciderint. in Græco est ambiguitas; aut *renuntiare* bonis meis, & de illis disponere,

aut

aut valedicere domesticis meis: per *aratrum* significatur prædicatio Euangelica ad quã ineptus qui ad mundana negotia respicit. Vel manum ad aratrũ misisse intelligitur quisquis se iã meliori vitæ, ac iustitiæ, virtutisque laboribus dicauit; hic si animũ deflectat ad ea quæ relicta esse oportet nõ est aptus regno Dei, cœlo, Ecclesiæ, officio discipuli Christi, qui vt alia curet, negligit, sicque *manum mittere ad aratrum* erit, à Deo vocatum esse & ad priores sæculi curas se conuertere.

CAPVT X.

Mittit discipulos, tentatur à legisperito.

1 *Posthac autem, designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.*] *Posthac* quæ superiori capite narrata & gesta sunt in Iudæa vbi hæc etiam discipulorum legatio facta esse videtur non in Galilæa. Quidam legunt 70. sicut 70. interpretes. Sed male, cum constet Eleazarum Pontificem misisse ad Ptolomæum 72. Seniores, delectis sex ex singulis tribubus, qui sacra Biblia in linguam Græcam verterent. vel sicut centũuiri qui 105. erãt: & in principio sui regni Christus 12. elegit veluti 12. principes & patres 12. tribuũ Israel, ita regno suo increscẽte 70 vel 72. delegit alios veluti 70. populi Israelitici Senatores, quorũ opera vteretur ad imitationem Mosis, regni sui speciem & maiestatem hac ratione declarãs, vel ad imitationẽ 70 cum quibus Iacob ingressus est in Ægyptum Gen. 46 & duplex hic ordo erat exẽplar duplicis ordinis instituendi

instituendi in Ecclesia Christi nimirum ordinis Episcoporum, & minorum sacerdotum. *Binos misit* ante se vt in aduersis, aut rebus necessariis se mutuo iuuarent, & vt perpetuos suarum actionum testes haberent: & quia duo sunt caritatis præcepta, Dei & proximi. cætera vsque ad vers. 17. exposuimus apud Matth. 9. & 10. & Mar. 6.

17. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.*] Quæ in hac missione egerint Lucas siluit, & reditum eorum à prædicatione recenset, vt prædicatores intelligant totum Christo acceptum referre. Quare non sunt culpa notandi de hoc gaudio, cum gauisi sint de fœlici prædicationis successu: nec Christus eos reprehendit, propter sibi subiecta dæmonia gaudere: sed monet vt propter scripta in cœlo nomina, magis gaudeant, vt infra cap. 11. beatiorem ait quæ mente concepisset. q. d. Non solum morbos curauimus, & alia miracula fecimus, sed etiam dæmones eiecimus, quorum potestatem non dederas, plus fecimus quam sperabamus. Sed videtur eadem potestate illos misisse, qua Apostolos c. 9. Dæmones scilicet eiiciendi. Hoc autem quasi mirantes dicunt: vel quod erat omnium difficillimum narrantes, indicant se etiam cætera fecisse. Vel tacite intelligunt, non solum homines sed etiam dæmones obtemperasse.

18. *Et ait illis: videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.*] Sunt qui hoc dictum putant de lapsu diaboli è cœlo propter suam superbiam, quem lapsum cũ nullus viderit, Christus se vidisse ait, diuinitatem suam insinuans

vt

vt suos muniret cõtra vanam gloriam. Theoph. ait non mirandum esse velut rem nouam, cum princeps eorum è cœlo ceciderit: Alij non de ea ruina diaboli qua ab initio de cœlo cecidit, sed de ea quæ verbo Dei incarnato dejci cœpit, à sua tyrannide: vt discipuli causam huius subiectionis intelligerent: & per cœlum intelligitur potentia, & gloria quam habuit antequam Verbum caro fieret, & in terris versaretur: cum pro Deo coleretur in idolis. Ne putetis vos mihi rem nouam narrare, sciebam enim cum vos emisi ad prædicandum ruituras esse vires diaboli. Imo cum dæmonia eijceretis: ipse ego vobis aderam: Et *videbam* quod vos non videratis, satanam ipsum fulguris instar cadere, & eius vires euanescere nomine meo.

19. *Ecce dedi vobis potestatem, calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.*] Græce do, vobis non solum confirmans, sed etiam augens, & quo magis vobis gaudendum; nomina vestra scripsi in cœlo: & potestatem dedi superandi omnia pericula; non solum quæ ab hominibus, sed etiam quæ à scorpionibus, & alijs bestijs & dæmonibus solent accidere. vt Act. 28.

20. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*] Non quod non esset gaudendum; sed quod minus gaudendum, quam quod nomina scripta essent in cœlo: ratio est quia mali & iniusti, possunt dæmones pellere: At non nisi iusti scripti sunt in cœlo, in libro vitæ.

21. *In ipsa hora exultauit Spiritu sancto, & dixit.*

dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; etiam Pater: quoniam sic placuit ante te.] Postquam ostendit qua in re potissimum gaudere debeant: recte & ipse cum illis gaudentibus, gauisus est: gratulabundus quod eam Pater discipulis suis hominibus simplicissimis potestatem dedisset: vt dæmones pellerent, quam sapientibus non dedisset: vel quod nomina eorum scripta essent in cœlis. Cætera vsque ad vers. 25. vide apud Mat. c. 11.

25. *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*] Hic alius & ab eo, quem refert Mat. 22. & Mar. 12. Quo tempore, quo loco, qua occasione Christum interrogauerit incertum est, nec necesse est scire. Superiora dicta fuerunt seorsim: hoc verò populo præsente, & vero similiter in synagoga: vbi multis doctoribus sedentibus, & Domino cum eis disputante, iste surrexit. Apparet hoc ideo Lucam retulisse, vt doceret, qua occasione Christus parabolam illam hominis, ab Hierusalem in Iericho descendentis proposuisset, quam noluit omittere: quia vtilis & mysterio plena. Notauit non vt disceret, sed vt tentaret accessisse: vt tacite innueret, quare Christus nō simpliciter respondisset, sed eum vicissim interrogasset: *in lege quid scriptum est?* Quia simpliciter non interrogasset. Laudanda interrogatio, qua non curiosa petuntur, sed necessaria: non quæ ad alios, sed quæ ad se spectant: non leuia, sed seria: quæ ad animæ salutem pertinent. Et is interrogetur qui sciat, vt Magister.

26. *At*

26. *At ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est? quomodo legis?*] Quia Christum tentando interrogauit, & de lege tentauit, Christus ad legem remittit, vt conatum illius repellat, dum ostendit se legi non contrarium: & simul illum arguat, quod illud ab eo interrogaret quod ab ipso alij discere deberent: Et notet vel nescire quod scire teneretur: vel subdolè interrogare, quod sciret. *In lege inquit quid scriptum est?* q. d. nihil aliud audies ex me, quam quod in lege continetur. Ostendens salutis viam esse mandatorum obseruantiam, contra Caluin.

27. 28. 29. *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum: dixitque illi: rectè respondisti: hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum; & quis est meus proximus?*] Vide horum verborum explicationem apud Matth. 22 is depositio tentandi animo, laudatus à Domino vt alter ille, secundò interrogat quis esset eius proximus; cupiens discere, nam illud implesset præceptum: vt illud *volens iustificare seipsum*, in bonam partem sumatur pro eo quod est volens ex animo sibi iustitiam accumulare, & iustus, aut iustior fieri, quam erat: vel melius in malam partem intelligitur, pro *declarare*, & ostendere se iustum: Nam cum expertus esset quod prior interrogatio sibi cessisset ad gloriam doctrinæ: sperabat & hanc interrogationem, sibi cessuram ad laudem vitæ: ita Iansen. Theoph. putat interrogasse, quasi putauerit solum iustum, iusto proximum esse,

esse, se verò omnes antecellere, virtute & iustitia, & proinde nullum se habere proximum. Rectius alij putant istum existimasse proximos suos tantum esse iustos, vel Israelitas: atque id responsurum Dominum speraſſe, seque hac ratione iustum declarandum, vt qui se faciebat proximum istorum, & Israelitarum, & amicorum. Sed verius est eum finxisse ignorantiam, quæ plus haberet probabilitatis: Nam probabilius erat legis peritum ignorare, quis in lege nomine proximi intelligeretur: quam quid ad consequendam vitam æternam agendum esset: nam hoc erat controuersum inter doctores, alij enim solos Iudæos, alij solos iustos, alij solos amicos, proximos esse putabant, ex Matth. 5.

30 *ad 38. Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.*] Non suspiciens vt quidam legunt, sed excipiens & succedens in vicem respondendi quæstioni propositæ. finis parabolæ est vt doceat Christus, qui vere noster sit proximus: & eum à Christo designari, non qui nobis benefecit, sed qui nostra indiget ope, siue alienæ, siue nostræ sit gentis; Quid si non indigeret? concludendum, eum esse proximum nobis, cui exhibendum est officium misericordię, si indiget. vel exhibendum esset, si indigeret: generalius dicendum omnes omninò homines, etiamsi indigere non possint, nobis tanquam proximos diligendos esse. Et non solum Iudæum Iudæo: sed Samaritanum etiam Iudæo, ideſt, hostem hosti proximum esse, quod Christus probauit

ex

ex effectu ; quia Samaritanus fecit Iudæo, quod proprium est proximi, scilicet proximũ iuuare : Sicque in definiendo proximo nullam amicitiæ, patriæ, gentis, conditionis aut officij rationem haberi oportere. Quid ergo ? Sacerdos ille & Leuita qui vulneratum præterierunt, proximi non erant ? erant quidem ; sed non se gesserunt vt proximi. Alter & erat, & se gesserat, vt proximum : quamuis minus videretur esse, legisperito : sed hostis. Mysticus sensus est : esse Adamum, & in eo omnes qui à gratia in peccatum lapsi sunt : latrones dæmones. Sacerdos & Leuita, vetus lex : quę hominem non sanauit. Samaritanus, Christus, qui misericordia motus in hunc mundum descendit in quo homo erat, cuius vulnera vino, id est, sanguine suo lauit, &c.

38. *Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.*] *Dum irent*, Ierosolymam, intrauit in pagum, scilicet Bethaniam, Marthæ & Mariæ. Hæc historia eo spectat vt ostendat, quo modo Dominus magis sit delectatus eorum studio, qui auidi essent à se audiendi verbum Dei, quàm qui ipsum pascere corporaliter studerent, & maluerit suos hospites pascere, quam ab illis pasci : relinquens exemplum concionatoribus, vt idem facerent. dicitur Marthæ, quia erat maior natu, & ad eam spectabat Christum excipere.

39. *Et huic erat soror nomine Maria quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.*] Ad significandum ipsam non obiter audisse verbum Iesu quo modo Martha audire potuit. Vel vt significaret etiam cum alijs mulieribus assedisse

assediſſe pedibus Ieſu. Et notatur mira in audiendo auiditas mentis, tranquillitas, & humilitas.

40. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.*] Anxie torquebatur, diſtrahebatur, ſeu diſtẽdebatur, turbabatur, dũ cogebatur diuerti ab audiendo verbo, & incũbere miniſterio, & ijs quæ præparabantur ad cõuiuium Chriſti, & diſcipulorũ eius, quærens quibus Chriſto grata eſſe poſſet, & ſuam caritatem declarare, quod ex caritate veniebat, non Chriſtum ſubincuſat, ſed ſororem apud Chriſtum, nam admirantis potius, aut iocantis, quàm accuſantis dictum eſt.

41. *Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima.*] Non prohibet Dominus hoſpitalitatem, ſed plurimorum turbationem & tumultum; & miniſterium Marthę inferius eſſe functioni ſororis oſtendit.

42. *Porro vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea,*] Vno opus eſt, Deo ſcilicet iugiter inhærere. vnitate quæ in Domino eſt. Verbum Dei audire, ſaluti operam dare. Martha illud vnum quærebat ſed per multa. Sunt qui vnum ac ſimplicem cibum interpretantur: quod natura paucis contenta, ſit. Maria optimam partem elegit, ſcilicet ad Chriſti pedes ſedere, ſuã ſalutẽ quærere cæteris neglectis. A te autẽ auferetur Martha, quod elegiſti, ſed bono tuo auferetur, vt quod melius eſt detur: auferetur enim à te labor, vt requies detur: tu nauigas, ſed illa in portu eſt ait Aug.

CAPVT

CAPVT XI.

Præscribit formam orandi.

1. *ET factum est cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.*] Cum Lucas multa misceat, non inquirendum quomodo hæc cohæreant. Matth. 6. prudenter fecit discipulus, dum orantem Christum non interpellauit. vt comedit & bibit quia homo ita oratione vtitur ait Cyril. ex hoc loco apparet Christum bis orandi modum docuisse, semel in monte, & iterum illo interrogãte. Nec mirum quod vterque suis præscripserit discipulis modum orandi, pars enim est, & quidem ex primis vna Religionis, orare. De Arianis, Athan. de Valent. Iren. de Marcion, Tertul. de Luth. & Caluin. omnes passim referunt precandi formulas.

2. *Et ait illis: cum oratis dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum.*] Hæc oratio pauciora habet quam quæ apud Matth. cuius explicationem vide c. 6.

5. *Et ait ad illos: quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes.*] Vim ostendit orationis, maxime si sit perseuerans vt sic ad fiduciam inuitaret. Docet etiam noctibus orare vt notat Amb. Pf nõ timuit excitare dormientem quem scit semper vigilantem. tres panes petit, vnum sibi, alterum amico, tertium communem, in supplementum. Mystice sunt cœlestis myste-

rij

rij alimentum, intelligentia Trinitatis. Ex S. Aug.

6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.*] Ad impetrandi facilitatem facit, & quod non pro se, sed pro alio: Et quidem de via venienti: & quod non carnes, aut vinum pretiosum, sed tantum panes petit.

7. *Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.*] Hæc ab amico responsio, non erat expectanda, sed faciebat ad argumentum, quo Christus vti voluit; vt pateret quantum valet importuna perseuerantia. Qui differt dare vult vt amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. ait Aug. refert omnia, quæ excusationis causa esse poterant; vt appareat petitio necessaria, & iusta repulsa.

8. *Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.*] In Græco hæc desunt, & Deo non conueniunt: sed dicta sunt vt appareat quantum valet perseuerantia: Et si propter improbitatem petentis hæc fecit amicus: quanto magis Deus faciet; qui & amicus, & Pater est. Potest & ad Deum accõmodari, qui non solum amicis, sed & inimicis: non propter amicitiam, aut gratiam quam non habent, sed ob perseuerantiam concedit quæ petunt.

9. *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.*] Hæc parabolæ

parabolæ conclusio. Quæ sequuntur vsque ad vers. 27. vide apud Matt. 7. & 12.

27. *Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*] Scribis & Pharisæis Dominum tentantibus, & blasphemantibus, mulier simplex, & dolo carens, & ignota quasi afflata Spiritu sancto, illum celebrat: cumque illi nec magnitudine miraculorum commouerentur in admirationem: hæc sola sapientiæ, & efficaciæ quæ in verbis Domini percipiebatur consideratione, in tantam admirationem venit, vt in media turba & hostium frequentia, non sit verita Christum exclamando prædicare, quem audiebat Scribas & Pharisæos vituperare, (sic Deus spretis superbis humiles eligit.) Beatam Christi matrem dicit, quia concepit, & alait: nec tantam illi gratiam contulisset, nisi dignam Christi matrem eam facere voluisset.

28. *At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*] Græce, certe imo potius quasi confirmans mulieris sermonem, subiungit potiorem beatitudinis partem, quæ nisi B. Virgini competiisset, nihil ei partus Christi ad veram beatitudinem profuisset. Et ideo B. Virgo, per hæc verba filij magis fuit beatificata in genere, ex parte animæ; quam in specie fuit beatificata, per verba mulieris in corpore, vt Matth. 12. Nam magis erat beata quod mente quam quod ventre concepisset contra Caluin.

29. *Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: Signum quærit & signum non dabitur ei, nisi signum Iona*

Prophetæ.] Quæ sequuntur vsque ad vers. 34. vide apud Matth. 12. vbi connexio & occasio huius sententiæ declaratur.

36. *Si ergo corpus tuum lucidum erit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum: Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.*] Hæc comparatio oculi, & corporis, explicatur apud Matth 6. vt tautologia, quam aliqui esse putant, vitetur: nota quod non dicitur erit lucidum totum corpus, *sed erit lucidum totum*, vt hoc *totum* non ad corpus referatur, sed ad totum absolute, ad omnia quæ habet homo: Oculus, intentio est, quæ si recta fuerit omnes aliæ facultates, vel actiones lucidæ & rectæ erunt. Ex Aug. l. 2. q. Euang. c. 2.

37. *Et cum loqueretur rogauit illum quidam Pharisæus vt prandiret apud se. Et ingressus recubuit.*] Postquam nuntiatum esset foris matrem & fratres esse, vt ait Beda. alij eodem loco & tempore quo superiora accidisse putãt, diuersa occasione. statim vt ingressus est, ne lotis quidem manibus recubuit.

38. *Pharisæus cœpit intra se reputans dicere; quare non baptizatus esset ante prandium.*] Græce cum vidisset miratus est, quia non lotus accubuisset. Ceremoniales illæ Iudæorum lotiones baptismi vocabantur: Ideo forte Ioannis & Christi baptismus, ita dictus est, quia erant ceremoniæ Religionis. fecit vt doceret quam vana & superstitiosa consuetudo qui neglecta animi munditie, mundabant corpora Mar. 7. & Ioan. 2.

39. *Et ait Dominus ad illum. Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & ini*

& iniquitate.] Respondens cogitationibus, quasi dicat nõ solum alias sed etiam *nunc* cum id quod foris est religiose mundatis : quod autem intus est plenum sit rapina, non est laudanda consuetudo.

40. *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est fecit.*] Hæc apud Mar. exposita.

41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam : Et ecce omnia munda sunt vobis.*] Græce *quæ suppetunt*, quæ adsunt, prout quisque potest ; vel quod *supersit* victui vestro, atque vestitui : Alij facta rapinarum restitutione : Alij quod vnicum remedium vobis reliquum est, est vt detis eleemosynam. *Et omnia munda sunt vobis*, si recte fiat, & adsint reliqua ad salutem necessaria, vt pœnitentia : sic enim intelligendæ similes sententiæ, quæ salutem promittunt. Quidam dicunt: eleemosynam pro omni opere misericordiæ accipi. Accommodate autem Christus loquitur, dixerat Pharisæos mundare quod deforis est, calicis, intus autem plenos esse rapina & dolo : dicit nunc si velint omnia quæ rapuerunt, sibi mundari, dent eleemosynam, per eleemosynam aliena restituentes, erunt mundi. Alij fore vt anima & corpus mũdentur, quia Eleemosyna ad remissionem peccatorum disponit, & propriè pœnam remittit ex Bonauent Et Dan. 4. Eccl. 3 Tob. 4. & 12. Luc. 16. Act. 10. Et sic eleemosyna erit vobis instar vestrarum lotionum. Cætera vsque ad vers. 52. apud Matth 23.

52. *Va vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.*] *Abstulistis, abscondistis*, quia sibi

solis vsurpabant scientiam salutis, vt docerent neminem, nisi viam se monstrantibus salutem consequi posse: neminem cœlum ingredi nisi ipsis aperientibus, vt Matth. 23.

53.54. *Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.*] Græce instare, vel sæuire, grauiter ferre, arguere. Ab ore eius pendere, obseruantes ecquid illi excideret, quod calumniarentur, obruere quærendo multa.

CAPVT XII.

Docet non timendam esse mortem corporis, & paratum seruum.

1. *MVltis autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.*] Cum discipuli fretum Galilææ traiecissent, & obliti essent secum panes quærere. Matth. 16. In Iudæa enim acciderant quæ superiori capite narrauit. Cætera vsque ad vers. 13. vide apud Matth. 10. 8. 16. Mar. 4. 8. 12.

13. *Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem.*] Id ea fecit opinione, qua Christum putabat esse Messiam, qui vt Rex temporalis causas pupillorum esset defensurus: sic multi ad veros religiosos veniunt, vt eorum abutantur gratia

in

in rebus profanis; pauci ad colloquia spiritualia.

14. *At ille dixit illi: Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?*] Dissidentes de re terrena: Christus ita respondet vt declaret se maiora tractare: vt eum à terrenis, ad cœlestia vocaret: vt c. 9. & Matth 8.

15. *Dixitque ad illos: videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex iis quæ possidet*] *Ad illos* duos fratres; vel ad omnes qui aderant accipiens occasionem ex eius petitione quæ speciem auaritiæ habebat; docuit cupiditatem terrenorũ vitandã *ab omnibus* siue magna, siue parua, aperta, vel occulta auaritia: quia vita hominis *eius quam* in abundantia diuitiarum sita nõ est: quo enim quisque ditior est, non eo diutius viuit, vt probat ex sequenti parabola.

16. *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.*] Parabolam excogitatam ex rebus quæ fieri solent diuiti qui multos habet agros; ex quibus collegerat vberem fructum, quo maximè vita alitur, & propagatur: Et cum ille ne vna quidem nocte, vitam producere potuerit, tanta frumenti abundantia, facile intelligitur conclusio, nullo genere diuitiarum vitam propagari.

17. *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos.*] Copiam diuitiarum, & solicitudinem quam secum afferunt significat.

18 *Et dixit: hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.*] Hoc intra se, non cum Deo, non cum hominibus, cõsilium iniit,

quod auaritia suggessit: caritas postulabat, vt saltem egentibus daret, quod Deus illi dederat supra quam sperabat: auaritia suasit vt magnis sumptibus vetera horrea destrueret, & noua faceret. *bona* appellat sua, quæ non vere bona & sua; quæ Deus illi tanquam dispensatori contulit.

19. *Et dicam animæ meæ, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.*] Vitæ meæ habes vnde viuas, annos multos, ideo stultus vocatur, habes quidem in horreis fructus, ô diues: sed annos plurimos, vnde habes? Errat etiam in hoc: bona enim animæ putat terræ fructus, & quæ corporis sunt.

20. *Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?*] Dixit per internam inspirationem, vel Deus ipse quasi cum securo diuite loquens, vel Deus Christus reuera illi dixit; vel per Angelũ; vel per Prophetam. Stultũ vocat quia insomnes noctes ducens Dei oblitus est: & quia multa tempora sibi promittebat, diem sequentem non vidit Greg. 22. Mor. cap. 12. Repetunt propetitur, ab Angelis, à Deo, quia immortalis est anima: id enim solum repetitur quod manet. non dixit in æternum cruciaberis, quia cum stulto loquebatur, qui non de anima, sed de diuitiis erat solicitus: & quia nihil magis dolet auarus, quam bonorum iacturam.

21. *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.*] Stultus, & in nocte rapiendus. Qui vult esse in Deum diues, non sibi thesaurizat sed pauperibus; possessa distribuit ait Beda. In Deum diues; qui spem non ponit in incerto diuitiarum: sed in solo Deo: vel qui diues est virtu

virtutibus. 1. Tim. 6. cætera vsque ad vers. 32. apud Matth. 6.

32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*] Significat regnum cœlorum gratuita Dei voluntate & benignitate, esse nobis prædestinatum, quod tamen non nisi merentibus, & vincentibus datur, vt præmium in stadio.

33. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit, vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.*] Ostendit quod ad illud regnum venient faciendo eleemosynam. Nam etsi gratis detur, emitur tamen, sed tam vili pretio, vt gratis dari videatur. Est autem consilium non præceptum. Vel dicendum alloqui discipulos, qui perfecti esse volebant: vel omnes Christianos, qui paratum animum habere debent, vt quando necesse fuerit, omnia vendant quæ habent; deposito omni humano timore. *Thesaurum* vocat *sacculos*, qui cum vetustate rumpuntur, perit pecunia, quæ in illis erat: Et per *sacculos qui non veterascunt* pauperes intelligit, quia quod illis datur, in tuto est; potius crescit, quam minuatur. Ps. 19. Matth. 19. reliqua vide apud Matth. 6.

35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*] Vbi Christus discipulum suum superfluis exuit, & ab omni sollicitudine, & cupiditate temporalium nudauit, & regni cœlestis ingessit mentionem: iam ipsum ad ministrandum sibi inducit; & docet quo modo, qua vigilantia, quo habitu, illud

expectare debeat, seruorum exemplo, qui cum dominum suum noctu reuersurum expectant, non solum vigiles, sed etiam præcincti, expediti, & attenti sunt, & faces accensas habent: Orientales longis vtebantur vestibus, & ideo ministraturi, collectam vestem cingulo stringebant ad lumbos, ne ministrantibus esset impedimento, sicque præcinctos habere lumbos, idem est, quod paratum esse. vers. 37. & cap. 17. Ioan. 13. Act. 12. Tob. 5. 3. Reg. 18. 4 Reg. 4. Eph. 6. Moraliter castitas significatur. Græci non legunt *in manibus vestris*. Sed sensus idem, scilicet oportere esse paratos, cum venerit ad iudicium, pulsante fores domino, nihil facilius quam facem accendere & obuiam ire. Et tamen hoc iam vult factum esse, vt neminem expectet. eo spectat parabola decem virginum. Moraliter lucernæ, bona opera: vel bona intentio.

36. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.*] Hoc tertium documentum, & præparatio ad regnum Dei capessendum, vt simus in spe, & expectatione, Domini venturi, à quo pretium accepturi sumus. q. d. estote vigiles, num pulset: dixit *quando reuertatur à nuptiis*, quia noctu celebrabantur. Mat. 25. & cap. 12. Apoc. 19. Et quia noctu homines sunt minus parati: voluit Christus, tum nos esse paratos, & minus securos, *cum pulsauerit*: circa tempus mortis, per immissam ægritudinem: vel ad animam nostram; ad iudicium vocabit in sono tubæ, in voce Archangeli, aperiemus ei, cum læti, non male-conscij recipiemus: *confestim*, ideſt, haben

habentes iam omnia bona opera nostra parata.

37. *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis quod praecinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.*] Q.d. Beati qui semper vigilant & parati sunt, quocumque venerit Dominus *& transiens* more ministrantium mensis, obseruánsque quid cuique desit, aut quisque desideret. *ministrabit illis.* significans fœlices esse quos inuenturus esset vigilátes in fide, & bonis operibus, & paratos ad iudicium, eo quod talibus Dominus sit concessurus, accumbere mensę regni cœlestis, & communicaturus suorum gaudiorum fruitionem, & prouisurus ne quid illis ad iucundam vitam desit: imo largiter suppeditaturus quicquid desiderare possint. Et inusitatum honorem, & gloriam exhibiturus esse in cœlo.

38. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.*] Significat incertum mortis hominum, & aduentus Christi horam esse: vnde oportet continuo vigilare. quod ait: *ita* sic, idest, paratos & vigilantes inuenerit. Noctis vigilias exposuimus cap. 2. Et Mat. 14. vsque ad vers. 47. quæ hic desiderantur.

47..48. *Ille autem seruus qui cognouit voluntatem Domini, & non se praparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagu, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quaretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*] Voluntatem domini vocat non eam quam nobis per datam legem

declarauit: nam quo iure qui contra eā ignorans fecit, *vapulabit*, licet paucis: sed eam de qua loquebatur, qua Dominus decreuit aliquando ad iudicium venire, quam voluntatem Apostoli, & alij quos de suo aduentu monuerat, sciebant: & sciunt omnes Christiani: Alij autem, & nunc ignorant, & tunc ignorabant; inter quos hoc erit discrimen, quod illi, quia sciunt venire decreuisse, hoc est, sciunt voluntatem Domini, & non se praeuerunt, sed se sesomno dederunt, vapulabunt multis, propter ea nimirum peccata, quibus impediti reperiūtur. Hi vero propter eadē peccata vapulabunt paucis. Quia eadem peccata, in illis, hoc grauiora sunt, quod sint quasi cum Domini contemptu coniuncta, quia eius scientes voluntatem, quod venire decreuisset, ea commiserunt, aut cum iam ante commisissent, non ea per pœnitentiam deluerunt, & ad excipiendum Christum præparaueruut. In his verò leuiora, quia quamuis contra legem Domini, & voluntatem sint: tamen se cognouissent Christum ad iudicium aliquando venturum fuisse, non ea fecissent, aut si ea iam fecissent, per pœnitentiam expiassent; ex Maldon. Dices si hic non fecit contra voluntatem Domini, qua ignorabat venire velle, quare vapulabit? Respondetur quia faciendo contra aliam eiusdem voluntatem digna plagis admisit. Docemur futurum in altera vita supplicium, maius vel minus, pro magnitudine peccati.

49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?*] Postquam discipulos officij eorum admonuit, explicat nunc proprium suum officium: nimirum vt Euangelij prædica-

prædicatio longè latéque spargatur, & fructum faciat. ad hoc Pétrum constituit aliósque super familiam suam, in dispensatores: Sunt qui hæc alio loco & tempore dicta putant. Ignis, est Spiritus sanctus, quem venit impertiri hominibus: aut charitas, & ardor diuini amoris: vel prædicatio Euangelica, quia non vt lex vetus frigida, sed in virtute Spiritus sancti accensura erat homines ad pietatem: vel afflictio & res aduersa. vt Psal. 65. Isa. 43. Eccl. 51. quia præmuniebat suos ad ferendas fortiter persecutiones, & vt eas animo æquiore acciperet eas a se mittendas ait: ideſt, propter se, & suo permissu. vt Matth. 10. Sic baptismum vocat suam passionem, *& quid volo nisi* vt accendatur, id est, valde volo. verba sunt ignem prouocantis, & gladium, & omnia genera persecutionum, & discipulos hortantis vt idem faciant.

50. *Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.*] Græce, habeo baptismum quo baptizandus sum; mortem & passionem suam intelligens vt Mat. 10. 1. Cor. 15. quia solet aqua passionem, & afflictionem significare Psal. 62. & 68. & 106. *Donec perficiatur*, id est donec mors veniat: non enim sunt verba timentis vt quidam putant, sed optantis. Quasi vellet Christus exui corpore: vel potius, vt nos a peccato solueret, & Patris voluntatem adimpleret. Hic superiore animæ parte illam prouocat, inferiore verò in horto, timet, contristatur. Cætera in Mat. 10.

CAPVT XIII.

Hortatur ad pœnitentiam.

1. *Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum.*] Ideſt quos inter ſacrificandum occidit. Credibile eſt hanc hiſtoriam tanquam rem nouam, quæ omnibus colloquiis miſcetur, eodem accidiſſe tẽpore quo narratur, eo fine, vt Galilæos, quos pro hoſtibus habebãt, homines impios eſſe declararent: quos Deus per Pilatum ipſis ſuis ſacrificiis obruiſſet: & probabile eſt, eos qui hoc referunt non tanquam rem recentem narraſſe, ſed acceſſiſſe ad Chriſtum, vt audirent quid de ea re ſentiret: & quonam id diuino conſilio accidiſſet. vt Io. 9. Sunt qui ad eã cædem referunt, quæ accidit Act 5. alij occiſos dicũt, quia tenerent, non eſſe ſacrificandum aut orandum pro Imperatore. Quem Dominũ, non fatebantur, ſed ſolũ Deum, eſſe Dominum. Hi vero qui occiſi ſunt non Galilęi, ſed Samaritani erant. Et dicuntur Galilæi quia Iudam Galilæum ſequebantur: vel vicinæ, quia Samaria Galilææ maiori vicina erat: & tam Galilæi, quàm Samaritani, à Iudæis odio habebantur. & ſolent vrbes, prouinciarum nobiliũ nomine appellari. ideo facta eſt hæc cædes non in templo Hieroſolymitano in quo ſolo fiebant ſacrificia, ſed in monte Garizim, vbi Samaria eſt. Et ſi verè fuiſſent Galilæi, Pilatus ius nullum eos occidendi habuiſſet Luc. 23.

2. *Et reſpondens dixit illis: putatis quod hi Galilæi, præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia*

talia

talia passi sunt?] *Illis*, qui hæc nuntiauerunt: videntur hoc fecisse, vt Galilæorum illorum impietatem, tam atroci supplicio punitam, Domino indicarent, & illorum seditiosum animum detestantes, Pilati factum commendarent: execrantes illos velut maximos peccatores, ac cupientes scire quid de illis pronuntiaret: vt appareret ex responsione, qua videtur corrigere voluisse illorum opinionem, qua putarent illos præ aliis peccatores fuisse, qui tam crudelem & nouam pœnam dederunt: contra quem errorem totus liber Iob agit. Itaque horum gloriationem, qui sibi placebant tanquam meliores occisis Galilæis, Christus hic reprimit, docens ex vltione, quæ de illis sumpta est, non colligendum ipsos fuisse grauiores peccatores: esse enim ipsos æqualibus, aut etiã grauioribus peccatis obnoxios: ob quæ nisi resipiscant sunt similiter puniendi: nec ideo quia nunc simili pœna nõ afficiantur, æternam, nisi pœnitentiã egerint, euasuros. Discamus ex hac Christi responsione, vt ex omnibus quæ narrãtur ab hominibus, occasionẽ sumamus ædificãdi, tum nos tum alios, & de rebus gestis curiosè non inquirendũ iustè an iniustè euenerint.

3. *Non dico vobis; sed si pœnitentiam non habueritis omnes similiter peribitis.*] Non eodem genere mortis, sed omnes inopinato, & crudeliter perituros, post 40. annos à Romanis: vel *similiter* non morte corporis sed animæ, non temporali, sed æterna: sicut vnus sic alius, sicut pauperes, ita & diuites.

4. *Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë: & occidit eos; putatis quia & ipsi debitores fuerint prater omnes habitantes in Ierusalem?*

lem?] Rectè intelligitur significari etiam illos vltione diuina opprimendos inter ruinas ciuitatis Siloë erat nomen fontis, vel piscinæ, iuxta muros ciuitatis in quibus multæ fuerunt turres. Isa 8. Ioan. 9. Aliud familiare proponit exemplum, non quo Galilæi, sed quo Ierosolymitani ciues, qui sancti habebantur, quales se illi ipsi, cum quibus loquebatur, esse putabant, occisi fuerant: & occisi non ab hominibus, sicut illi à Pilato, quorum mors magis crudelitati Pilati, quam diuinæ vltioni tribui poterat; sed ab ipso Deo subitò turris casu, vt non nisi diuina id prouidentia, peccata vindicante factum esse putandum sit: & tamen illi ipsi non magis quam cæteri ciues Ierosolymitani peccatores fuerant. vnde concludit, non debere eos esse securos propterea quod non casu perierint, quasi ideo non fuerint peccatores: perituros enim peius nisi egerint pœnitentiam. ita Mald.

5. *Non dico vobis, sed si non pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*] vt supra vers. 3.

6. *Dicebat autem & hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit.*] Parabolam qua iam aperit quomodo pericturi sint, nempe vt ficus quæ fructum nō fert quamuis cultra, & expectata exscinditur, & in ignem mittitur: ita ipsi bona opera non facientes, post longam Dei patientiam, si pœnitentiā non egerint, in ignem æternum mittentur. Hę sunt partes parabolæ necessariæ, cætera sunt ornamenta. Ficus, significat omnes homines: vinea, Ecclesiā. Dominus vineæ. Deū: colonus, Christū, Apostolos, Petrum, vel omnes sanctos

quā

qui vineam Domini Sabaoth coluerunt. Hi Dominum rogant vt expectet, patientiam habeat: & si post trium annorum expectationem, hoc est, post multum temporis, aut post iuuentutem, adolescentiam & virilem ætatem, ac demum post culturam eis ab Ecclesiasticis impensam, pergant manere infrugiferi, exscindendi sunt, & in ignem mittendi.

7. *Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terrã occupat?*] Indicat Deum vniuscuiusque arboris naturã, ideſt, vniuscuiusque mores cognoscere, & scire, quandiu vnusquisque expectandus sit, vt fructum afferat. Sunt qui in sola senectute sapiunt, similes palmis. Alii in pueritia senes sunt, in senectute pueri: similes ficui, quæ nisi primo anno aut secũdo, aut tertio ferat fructum, nũquam feret: ideo Deus alios minus, alios diutius expectat. Deum venire ad quærendum fructum, est oculos conuertere ad vnumquemque vt videat, quẽ fructum habeat, & admonere vt ferat, & minari nisi ferat, excidatur. q.d. vt quid terram exugit & exhaurit, & impedit quo minus aliæ plantæ ferant: huic similes sunt, qui non solum non fructum ferunt bonorũ operum, sed alios etiã impediunt.

8. *At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illã & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora.*] Ideſt, omne remedium tam hieme, quam æstate adhibeas.

9. *Et si quidem fecerit fructum: sin autem succides illam.*] Subintelligitur, Iterũ quidem aut finemus eam. *Sin autem* subintelligitur fructum non fecerit, succides eam. q. d. satis erit temporis

temporis, ad succidendum eam.

10. *Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis.*] Ideſt, ſingulis ſabbatis, quibus Iudæi ſolebant conuenire, in ſynagogam ad Dei legem audiendam. Mar. 1.

11. *Et ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum aſpicere.*] Iã ſubiicit exẽplum, fici ſterilis vt quod parabolæ typus delineauit, res ipſa iã ſubiiceret oculis. Græce *aderat*, venit ad Chriſtum mulier quã dæmon alligauerat ea infirmitate, vt curaretur adducta eſt. indicat etiam à dęmonibus morbos immitti, quibus vt miniſtris Deus vtitur. patet ex Iob. & Pſal. 77. Mar. 9.

12. 13. *Quam cum videret Ieſus, vocauit eam ad ſe, & ait illi: Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua. & impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.*] Non inuitatus eam inuitat vt ſanari velit, ſciebat ob curatam in Sabbato mulierem, Archiſynagogũ murmuraturũ eſſe, & volebat ex eius murmuratione occaſionẽ ſumere arguendi ſuperſtitionẽ in Sabbato ſeruando: vt Mat. 12. Mar. 3. Demonſtrat diabolum hoc vnum agere, vt homines à cõditionis ſuæ nobilitate abſtractos, ſimiles faciat iumentis, ac terrena tantum ſpectare: *& ait illi* iam liberaberis: videtur enim inter tangendum dictum; & his ipſis verbis curatam eſſe vt peccatrix cap. 7. tamquam homo, impoſuit, tanquam Deus, verbis imperauit vt liberaretur. voluit oſtendere ſuam carnem eſſe viuificam: quia coniunctam habebat diuinitatem. Exiit diabolus à muliere, manum Chriſti ferre non valuit, qua creatus, qua de cœlo deiectus, fuerat

fuerat : & non ingrata, Deum publice in synagoga glorificauit.

14. *Respondens autem Archisynagogus, indignãs quia Sabbato curasset Iesus, aiebat turbæ, sex dies sũt in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati.*] Hebraïs, pro locutus est, seu loqui exorsus est. vt Mar. 5. Archisynagogus dicitur qui synagogæ præerat. vt æmulator literæ legis, non ausus Christum reprehendere, ad turbam se conuertit, docens vti non Sabbato, sed aliis diebus quærant curationem, inuidiam simulans specie religionis.

15. *Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, vnusquisque Sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati?*] Cum tamen Christum non esset allocutus, sed populum: vt erubesceret Archisynagogus, & aduersarij eius: & populus lætaretur ab eo defensus. Et proprio exemplo eos arguit, quod maioris est operæ, quam impositis manibus dicere *dimissa es ab infirmitate tua.* Et quod sit pluris faciendã quæcumque filia quam bos, aut asinus, multo magis ea quæ est filia Abrahæ, quæ cum ad Dei populum pertineret tenebatur à diabolo, à quo si non alligata, sed à causis naturalibus, & si non tanto tempore ligata fuisset, videri potuisset non esse soluendam die Sabbati. At maxime debuit curari die Sabbati, quia ideo institutum est vt homines à satana liberarentur: & multo magis quam bos aut asinus; qui per medium tantum diem, sine potu ligatus

est.

est Quæ sequuntur vsque ad vers. 31. habes apud Matth. c. 7.

31. *Et ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi: exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.*] Non animo eum liberandi, sed ejiciendi in exilium, simulantes se diligere, cum tamen essent ad iram provocati quia populus ei adhærebat. Chryſ triplici vtentes nequitia, & quod mendacium conflabant, & quod Christum, vt inde discederet, volebant deterrere; & quod fingebant se velle ipsius saluti consulere.

32. *Et ait illis: ite, & dicite vulpi illi: ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio, hodie & cras, & tertia die consummor.*] Illi qui mendacium finxerat: vel Herodi à quo se nihil metuere voluit significare, vt terrorem injeceret ipsis Pharisæis: nec propter illum se minus locuturum esse. *Hodie & cras* Hebr. pro breui tempore. tertium vero vocat diem, quicquid post breue illud tempus secuturum est. Mortem scilicet suam, post breue tempus futuram. *Consummor* significat sibi constitutum tempus moriendi, quod nec Herodes, nec alius quispiam breuiare poterit.

33. *Veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.*] Ideſt, ire in Hierusalem: vel operari, vt Ioan. 12. Rom. 1. sicque tertia die ambulare, est miracula facere, & officio suo satisfacere. q. d. quamuis breui tempore victurus sim, & miracula facturus: tamen illud ipsum tempus, nec Herodes, nec alius breuius efficiet quin toto illo ambulem. Ideſt, officio fungar. Quod si longum tempus

signifi

significetur, sensus erit: etsi post tertiam diem moriturus sim, tamen interim nemo me impedire poterit, quo minus miracula faciam. *Oportet* suam moriendi libertatem, Herodis vero necessitatem declarat, quod in eius non esset potestate illud tempus præuenire. vt Ioan. 9. *Non capit*, non contingit, non decet, siue impossibile est, Prophetam alibi occidi, quam vbi vsitatissimum est, occidi Prophetas, in quo illorum crudelitatem notat, & impietatem. Cætera vide apud Matth. 23. Non quod peccandi necessitatem imponat ciuibus Hierusalem, sed significat ideo fieri non posse, quia ipsi nolunt: Ideo supra dicitur ambulare, idest, ire Hierusalem quia fieri non potest, vt Propheta alibi moriatur. Dixerat se moriturum, sed non statim, vt illi minabantur, quia adhuc oportebat se hodie, & cras, & sequenti, idest, vsque ad destinatum tempus à Patre, facere miracula, & officio suo fungi. Vnde concludit se non posse statim occidi cum in Galilæa esset, & fieri non posset, vt extra Hierosolymam Propheta occideretur.

CAPVT XIV.

Curat hydropicum, docet humilitatem.

1. ET *factum est cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eũ.*] Pergit, eodem loco, & tempore, recensere Pharisæorũ technas, & quomodo eorum peruersa iudicia & mores

& mores à Domino sunt notati. Eutym. putat Pharisæum eum inuitasse animo gloriæ cupido, vt ostenderet se ex ijs non esse qui illi inuidebant: Alij vt insidiaretur, & experiretur num Sabbatum curaret; aut aliquid aliud faceret, vel diceret, vnde eum accusare posset. Princeps Pharisæorum dicitur, quia electi inter se sacerdotes & singulæ familiæ, & synagogæ, & lectæ, & artes, suum principem habebant vt c. 8. 19. & Io. 3. *Et ipsi* Pharisæi qui simul erant inuitati obseruabant, si quid forte faceret, quod possent accusare.

2. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*] Illorum vt putandum opera illuc adductus, quærentium occasionem calumniandi, id tamen Lucas dixisset.

3. *Et respondens Iesus dixit ad legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbato curare?*] Hebr. exorsus loqui: vel eorum cogitationibus respondens: sciens se ab illis obseruari, num Sabbato curaret. Et cum non auderent interrogare, eos ipse interrogat, si Sabbatum solueret.

4. *At illi tacuerunt: ipse vero apprehensum, sanauit eum, ac dimisit.*] Si enim dicant licere: cur Christum obseruant. Si non licet, cur ipsi curant pecora Sabbato. Et contactu suo *sanauit*: vbi enim magna vtilitas resultat, non est curandum si stulti scandalizentur. ac dimisit, ne gloriabundus videretur detinere: vel vt liberius Pharisæos argueret: vel vt eius incessus, ferret testimonium restitutæ sanitatis.

5. *Et respondens ad illos dixit: cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati?*] Et pergens loqui cum

cum eis: vel ad cogitationes eorum respondens, quos hoc facto videbat offensos: & eos sic conuincit. nam bos & asinus multo minoris erat, quam homo. Et erat maioris operæ, bouem aut asinum extrahere de puteo seu fossa: quam hominem solo verbo, aut tactu curare, nullo opere, nullo labore, quæ sola in Sabbato erant prohibita.

7. 8. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam intendens quo modo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honorior te, sit inuitatus ab illo: & veniens is qui te, & illum vocauit, dicat tibi: da huic locum: & incipias cum rubore nouissimum locum tenere.*] Sic & illis esse faciendum declarans hac præcepti forma ad modum parabolæ, quare ad conuiuium veniisset, non vt pasceretur, sed vt sua doctrina pasceret inuitatos. Cætera vsque ad vers. 28. habes apud Mat. 10. & 23.

28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.*] Cum Christus dixisset, ei qui se sequi vellet, tollendam esse crucem: docet nunc rem non esse facilem, sequi se, nec temere aggrediendam; sed maturè considerandam ei qui eam vult suscipere professionem. Nam qui turrim vult ædificare, diu considerat num possit sumptibus satisfacere: idem qui bellum intentat: sic qui vult esse Christianus, vel Christi discipulus, qui non tantum præcepta, sed etiam consilia seruare aggreditur, difficile est, & quisque debet probare vires suas. Hæ autem duæ parabolæ eo spectant vt doceat nos omnem diligentiam adhibere

adhibere vt Christum sequamur : & vt in suscepta professione maneamus, omnia præcepta obeamus, turpe esse desistere. vt 1. Cor. 24. Cætera ad parabolam non faciunt : nec sunt accommodanda ad rem significatam.

CAPVT XV.

Pœnitentiam Angelos lætificare.

1. *Erant autem appropinquantes ei, publicani & peccatores, vt audirent illum.*] Quales olim causa doctrinæ, & baptismi ad Ioannem confluxerant : sic cum Christo versantur, eum inuitant, sæpissime quod Pharisæi arguunt. vt Mat. 18.

8. *Aut qua mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam & verrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?*] Intentum huius parabolæ idem quod superioris. Merito Christum, maiorem adhibere diligentiam, in conuertendis peccatoribus, quàm in ijs qui aut minus erant peccatores, aut minus sibi esse persuadebant vt habet Mat. 18.

11. *Homo quidam habuit duos filios.*] Conclusio duarum præcedentium parabolarum fuit : Maius gaudium in cœlo esse super vno peccatore qui egit pœnitentiam : quàm super nonagnita nouem iustis, qui non indigebant pœnitentia. Hanc nunc confirmat exemplo patris, magna cum lætitia excipientis filium perditum. Tres sunt in parabola personæ præcipuæ, Pater & duo filij : ad has cæteræ referuntur.

referuntur. Homo, qui duos habebat filios; Deus est. Duo filij, Iudaicus & Gentilis, qui minor natu, qui posterior Deum coluit: Hic accepit à Patre partem substantiæ suæ, quæ se contingebat, ideſt, ſolam naturam, ſolam liberi arbitrij facultatem, ſine lege, ſine gratia, ſine vllis ſupra naturam donis: abijt in regionem longinquam: ideſt, longe à Deo diſceſſit: & homini cuidam, ideſt, diabolo, principi huius mundi; Ariſtoteli, Platoni, & alijs Philoſophis, adhæſit: qui vix illum ſiliquis, ideſt, humanis artibus alebant, plus vanitatis, quàm veritatis habentibus. Alij per filium maiorem Angelos; per minorem homines intelligunt: Alij Phariſæos, maiores natu; & publicanos, & peccatores, quos Chriſtus recipiebat, eſſe minores natu; de quo illi murmurabant. Vel maior natu filius: omnis iuſtus: minor natu, peccator: qui in Eccleſia eſt, ſiue ante, ſiue poſt Chriſtum paſſum, & hic filius Dei eſt, ſed mortuus; quia fidem habet, quam non habet Gentilis; ille dicitur maior; hic minor, quia moribus hominum vnde parabola ſumebatur, magis congruebat.

12. *Et dixit adoleſcentior ex illis patri; Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit: & diuiſit illis ſubſtantiam.*] Proprie diuiſit ſolam iuniori: nam maiori non diuiſit partem hæreditatis, à bonis paternis, ſcilicet, à Deo, alioqui iuſtus non fuiſſet. dicit illis diuiſiſſe, quia duas partes fecit æquales.

13. *Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior peregre profectus eſt, in regionem longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo*

viuendo luxuriose.] Collectis bonis & in pecuniam redactis, profectus in regionem longe à patria dissitam : quæ regio, designat illum fuisse valde perditum ; Dei oblitum. Et quid longius ire, quàm à se recedere, se à Christo separare, extra ecclesiam esse. Sunt qui per partem substantiæ, intelligunt liberum arbitrium: at certum est, illud non perdidisse, cum postea deliberauerit, de reditu ad patrem. Alij imaginem ac similitudinem Dei : quia Dei conformationem in bonis moribus amisit: Alij fidem, quam ab Ecclesia discedens, & inter Gentiles viuendo in luxu vestium, & conuiuiorum & cum meretricibus perdidit : At peccator, fidem non perdit : nihil ergo dicendum est quàm perditissimum peccatorem describi.

14. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida, in regione illa, & cœpit egere.*] Fames, est Sacramentorum priuatio, verbi Dei & virtutum, & bonorum operum : melius peccatoris tantum miseria designatur.

15. *Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.*] Q. d. decreuit herum quærere. vel abijsse est in peccato creuisse, & dicitur, adhæsisse vni ciuium, ideſt, principi ad militiam diaboli pertinenti, qui illum seruum fecit, & redegit ad vilissimum ministerium: Villa, est mundus, vel modus potestatis diaboli. Porci, sunt dæmones, carnales cupiditates; sordidæ cogitationes.

16. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.*] Q. d. non poterat aliunde habere quàm ex ipso loco vbi ijs porci vescebantur. Siliquæ sunt carnales voluptates ; vel inanes scientiæ:

vel

vel ipsa peccata, quibus peccator quo magis peccat, magis exsatiari cupit: Vel flagitiosissimus peccatoris status, qui ad extremam malitiam venit.

17. *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*] Iam tandem per summam inopiam & miseriam ad sui considerationem reuersus: & bene in se reuertitur, qui à se recessit intellectum dante vexatione. Hinc colligitur bonum esse timorem seruilem, quo metu pœnæ ad Deum conuertimur. In domo Dei dicuntur mercenarij qui intuitu futuræ mercedis digna operantur. Melius qui infimo sunt gradu, velut in domo sunt mercenarij. Quare ijdem illi qui mercenarij sunt in Ecclesia; etiam sunt filij Dei sed in infimo gradu. Et in hoc est similitudo mercenarij, inter illum & filium, non quod ille mercede, hic gratis patri seruiat; sed quod ille abiectus, & despectus, hic honoratus, in domo patris sit: Ego Sacerdos, ego doctor, qui filius sum hic fame pereo, diuina gratia priuatus, & tot pauperes, tot mulierculæ abundant diuinis consolationibus.

18. *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te.*] Incitat se perditus ad reuertendum in patriam, & peccator qui per eum significatur ad confitenda peccata, & ad agendum pœnitentiam in Ecclesia, vbi legitima & fructuosa peccatorum confessio. Peccauerat in cœlum qui Hierusalem cœlestem reliquerat matrem: peccauerat coram Patre, qui deserto conditore lapides & ligna fuerat veneratus; Non fuerat dignus

vocari filius Dei, qui idola fuerat, & ligna veneratus: Non fuerat dignus vocari filius Dei, qui seruus esse maluerat idolorum, ait Hier.

19. 20. *Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: & surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset; vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.*] Q. d. non sum dignus esse in domo tua, eo loco quo ante eram, ea gratia, & dignitate, qua prius apud Deum eram: cum sua culpa eam perdiderit: rogat tamen vt se vel in minimum locum gratiæ recipiat: vt non iam diabolo, sed illi soli seruiat. Sicut deliberauit; ita implet. docemur, statim atque Deus inspirat aliquid boni, vt reipsa perficiamus: Et quod redeuntes benignè recipit, larga ac facili misericordia. *Accurrit*, quasi ad gratiam inuitans; *osculatur*, singularem benignitatem declarans.

21. *Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam nō sum dignus vocari filius tuus.*] Non omnia dicit quæ statuerat, quia peccator qui ad Deum redit sua tantum peccata confitetur, de cætero curam Deo relinquit vt de se quicquid velit, agat: Vel postquam Dei amplexum & gratiam est expertus; filius esse vult, non mercenarius: Vel prohibitus est; patris amplexu & osculo, cætera dicere: videbat enim se iam tanquam filium admitti.

22. *Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.*] Græce illam *primam*, qua ille prius indui solebat, eximiam

miam vestem, talarem scilicet, qua non serui, sed nobiles induebantur: quæ omnia indicant, adolescentem in filij locum recipi: ideoque seruis imperari, vt vestiant, calceent, & annulo adornent: quæ omnia declarant, Deum obliuisci peccatorum præteritorum; & peccatorem restituere ad eundem, vel meliorem gratiæ statum, quam ante peccatum: stola prima, est innocentia, quam Adam perdidit vel gratia; vel sapientia: vel melior status: vt Eccl. 6. & 15. Apoc. 6. *Annulus* est pignus Spiritus sancti, fides: Vitulus saginatus est Christus, ob immolati corporis hostiam, ex Chrys. saginatus opprobrijs.

24. *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est: & cœperunt epulari.*] Quia pro mortuo habebatur; vel quia perierat, quod perinde est ac si fuisset mortuus.

25. *Erat autem filius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum.*] Hic senior filius, iustum significat, qui dicitur pœnitentibus peccatoribus inuidere eo modo quo illi murmurant. Mat. 20. diximus enim hoc, partem non esse parabolæ, nec esse ad rem significatam accõmodandum. Quod significat Deum tanta benignitate peccatores excepturum, vt ipsi etiam iusti, quasi murmurandi occasionem accipiant: posse tamen illis respondere, *fili tu semper mecum es, &c.* Alij per filium maiorem, scribas & Pharisæos intelligunt, qui se iustos putabant, qui contra Christum murmurabant quod peccatores recipiebat.

CAPVT XVI.

Proximo subueniendum: Deo soli seruiendum.

1. *Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.*] Homo diues est Deus: villicus, est homo: vel Apostoli, & alij Ecclesiæ rectores: vel omnis diues, qui vere non suarum diuitiarum dominus est, sed dispensator: Omnia ad Deum pertinere, quæ illi dispensanda, in pauperes dedit. Ps. 49. Nam proprie de diuitibus agit, quãuis parabola ad peccatores etiam spectet: qui debitis tenentur obstricti, & curare debent, vt ab illis immunes fiant. Quare villicatio non est sola administratio Ecclesiastica, nec sola dispensatio bonorum temporalium: sed generaliter officium hominis Christiani. Et cum dicitur *non poteris villicare*, ideſt, male administrati officij pœnas dabis: sic peccator, propter male administratum officium, ideſt, propter legem Dei male seruatam pœnas dabit. Accusatur ergo villicus, ideſt, Christianus à dæmonibus coram Deo; male seruatæ legis: non in iudicio: quia tunc non erit tempus faciendi amicos, de mammona iniquitatis; sed in hac vita. Et significatur sententia quæ contra nos, simul atque peccauimus pronuntiatur à Deo. *Iam non poteris villicare*: ideſt, iam in seruorum meorum numero non eris: iam pane gratiæ meæ non nutrieris. Quod autem

autem villicus dicit, *Quid faciam* : designat statum hominis, quem Deus deseruit vt Ps. 120. Isa. 5. & hæc est prima deliberatio hominis peccatoris, salutem quærentis. vt c. 15.

5. *Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo ; Quantum debes Domino meo?*] Debitores Dei, sunt pauperes, quos peccator sibi facit amicos : dum partem debiti remittit, vt se accipiant in æterna tabernacula, cum eiectus fuerit : Alij dicunt hos duos debitores esse populum Gentilem, qui centum cados olei, & Iudaicum, qui centum coros tritici debebat : Vel omnes quos ille villicus poterat sibi, bene merendo deuincire : merito tamen non eodem : sic nos debere non vno, sed diuersis modis homines promereri. *Cadus* erat vas ad omnia liquida ferenda : *Corus* erat mensura liquidorum. Filij sæculi, qui sæculo, idest, tenebris : filij lucis qui Deo, moribus sunt similes, vt Ioan. 12. 1. Thes. 5. *in generatione sua*, idest, *in genere suo*. q. d. prudentiores sunt profani homines in malum, quam iusti in bonum. Et hæc verba sunt potius Christi, quàm Lucæ, aut diuitis, qui laudauit illius prudentiam, non quod peccatores, sint iustis prudentiores, in quærenda salute, sed quod esse deberent : Nec quod Deus sit defraudandus, aut furta sint facienda : vt habeant pauperes, vnde sibi amicos faciant, vt fecit ille villicus : sed in hoc est parabola, vt cognoscamus peccatorem, qui est à Deo condemnandus : omnem diligentiam, & curam afferre debere, vt se eximat ab onere, & debito peccati ; & fugiat condemnationem : Nam si villicus ille tantam adhibuit malis artibus, vt fu-

giat pœnam temporalem, quanto maiorem afferre debet peccator, vt fugiat æternam. Et si ille à Domino suo laudatus est, quanto magis hic à Deo laudabitur.

9. *Et ego dico vobis : facite vobis amicos de mammona iniquitatis : vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*] Pro *iniquo* : Iniquæ autem sunt diuitiæ, quod iniquitate collectæ ; aut quia iniquitatis materia : aut quia iniquè, sibi diuitiarum nomen vendicant : aut quia iniquum faciant : & iubet non vt per fraudem acquiramus, vt ille fecit : sed vt ex iniquè partis, amicos nobis ex pauperibus comparemus : qui nos cum defecerimus, in æterna recipiant tabernacula. Nec vult vt ex solis male acquisitis, sed etiam ex iustis & legitimis id faciamus : Nam si ex alienis quanto magis ex nostris. *Cum defeceritis*, ideſt, cum mortui, vel in iudicio condemnati : Vel cum destituti alijs bonis fueritis, & à Deo, sed in hac tantum vita, condemnati ; & remoti à villicatione : ideſt, priuati diuina gratia ; excluſi à consortio diuino. Quod cum nobis contigit, optimum remedium est, eleemosyna, vt Deus nos in gratiam recipiat. Amici sunt pauperes, qui nos recepturi sunt ; Non Angeli, non gentiles. Certum est Deum propria authoritate recipere : pauperes vero dicuntur nos recipere, quia propter illis factas eleemosynas recipimur ; vt non tam ipsi, quam merita erga eos, nostra sint ; quæ nos proprie recipiunt Chrysostom. in Pſ. 48. vel quia suis à Deo precibus impetrant vt recipiamur. Hinc & merita nostra ; & Sanctorum

rum suffragia colliguntur.

10. *Qui fidelis est in minimo ; & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est ; & in maiori iniquus est.*] Vt magis ad dispensanda bona temporalia excitaret Christus, alterum etiam ex occasione eiusdem parabolæ subijcit documentum, de pœna scilicet mali dispensatoris, bonorum temporalium, quam duplicem fore insinuat : nempe quia talis, & in hoc sæculo habebitur indignus, cui veriores diuitiæ committantur dispensandæ : & in futuro sua carebit mercede. Sunt qui putant voluisse hic ad suos discipulos parabolam accõmodare; & docere, quo modo essent a villicatione remouendi, si datas sibi à Deo facultates non recte dispensarent : non dando scilicet eis bona spiritualia, aut iam data auferendo. Non dari autem, vel tolli, ijs qui minora bona temporalia non satis fideliter administrassent. Nec vero obstat, quod aliquando, reperiantur fideles quidam in paruis ; & infideles in magnis aut contra : sunt enim tres vulgares sententiæ: quibus significantur quid vt in plurimum vsueniat ; quodque solent homines ex minoribus factis maiorum coniecturam facere. Vnde Domini, primum tentant fidelitatem seruorum suorum in paruis, quam si integram inuenerint ; solent etiam magna eis committere. Et ex furtis minoribus puerorum, coniecturam facimus maiorum furtorum, ætatis maturioris. *Minima* vocat temporalia : *maiora* spiritualia, & si bona temporalia quæ minima sunt bene pauperibus erogando, administrauerint : conijciendum est fore

vt & spiritualia bene administrent, & ideo illis administratio committatur: aut quibus iam commissa non auferatur. Et hoc dicit de gratia Dei, & alijs donis tanquam de magno thesauro, cuius custodia & administratio cui datur, homini committitur, cui non datur, eripitur tanquam indigno.

11. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?*] Infert ex his sententijs prouerbialibus, quod suo facit proposito. Si ergo in iniquo mammona re scilicet minima; si ad spiritualia comparetur; nō fuistis fideles ea dispensando secundum voluntatem Domini vestri: *quod verum est, quis credet vobis?* hoc est spirituales diuitias, quæ solæ vera sunt bona: Deus nequaquam committet vobis dispensandas: discipulos alloquitur, & in eis, omnes nos, quos significat inepros, & indignos esse quibus Euangelium Dei, alijs prædicandum committatur: aut alia dona spiritualia dentur, in ædificationem & vtilitatem aliorum. vt 1. Tim. 3.

12. *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?*] Alienum vocat, diuitias temporales, quod pleno iure eas non possideamus, cum minimo momento, vel ipsæ nobis, vel nos illis eripiamur: & quod Deus eas conferat hominibus, non tanquam propria eorum bona; sed tanquam ea, quæ per eos vult dispensari: id quod nostrum est vocat spiritualia & æterna bona, quia ad eorum possessionem, omnes vocati sumus: & conueniunt nobis, in quantum rationales sumus: & sola hæc cum obtenta sunt, beatos nos faciunt,

faciunt, nec auferri possunt. Itaque significat eos, qui modo in alienis opibus dispensandis, non fuerunt fideles: sed subtraxerunt eas, aliis quibus debentur, Deum vicissim ablaturum illis, propria ipsorum bona.

13. *Nemo seruus potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit: & alterum contemnet: non potestis Deo seruire & mammonæ.*] Pergit Christus dehortari ab auaritiæ, & pecuniæ studio, ac rursum vulgares assumens sententias accommodat eas suo proposito, hæc vide apud Matth. 6.

14. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.*] Græce & *subsannabant* eum: idest, externis signis derisionem monstrabant. Deridebant autem Christum quod ipse, vtpote pauper, adhortaretur diuites ad suorum bonorum distributionem in pauperes: quod diuites suarum facultatum diceret tantum esse dispensatores: quod suaderet diuitibus, vt sibi amicos pauperes facerent: quod diuitias vocaret mammonam iniquum: quodque diceret impossibile esse, simul seruire Deo & diuitiis congregandis; cum hæc non didicissent ex lege Mosaica: sed contra, hæc suis cultoribus promitteret diuitiarum abundantiam. Hi referunt imaginem mali auditoris verbi Dei vt 1. Cor. 2.

15. *Et ait illis, vos estis: qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est: abominatio est ante Deum.*] Idest, opinionem iustitiæ vobis parare studetis apud homines, facientes opera vestra, vt videamini ab eis, ac his rebus

ſtudentes, ex quibus homines ſanctitatem æſtimant, externis ſcilicet cæremoniis, baptiſmatibus, &c. Atque vitia veſtra palliantes, ſub ſpecie boni, vt auaritiæ ſtudium, ſub ſpecie promiſſionum legis, & imitatione patriarcharum. At quamuis iuſti ſitis habiti ab hominibus qui foris iudicant: Deus nouit corda veſtra: & quia ſcit ea plena eſſe hypocriſi, elatione, auaritia, inuidia, vos abominatur. Nam tale quid addendum videtur. Triplicem facit antitheſim, vnam qua iuſtitiam nequitiæ, alteram qua externum interno, tertiam qua Deum, hominibus opponit. Apud Deum enim beati pauperes, mites, &c. cum hi miſeri, & abominabiles ſint hominibus, ſicque rationem reddit non eius quod dictum eſt, ſed quod ſubintelligitur, corda veſtra plena ſunt auaritia, &c. cætera apud Matthæum 23.

19. *Homo quidam erat diues qui indúebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè.*] Pergit ad fidelem diſpenſationem in pauperes prouocare, & ab auaritia reuocare; & vt Phariſæos deterreret, terribile quoddam diuitis exemplum proponit: & oſtendit inſuper, in diuitiis & proſperitatibus huius vitæ, fœlicitatem non eſſe ſitam; ob paupertatem verò, infœlicem non eſſe hominem putandum: vt etiam hinc intelligamus, verum eſſe quod dixit: Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum. Parabolam putat Theoph. Alij hiſtoriam: quia Lazari nomen exprimitur, & Eutym. diuitem vocat Ninenſem. Alij, quid mixtum ex vtroque vt Tragicomœdia. Nã quod diues ille, & Lazarus fuerit

rit: quodque ille in inferno sepultus; hic ab Angelis in sinum Abrahæ portatus fuerit, historia est. Quod autem diues in inferno locutus sit cum Abraham, & eum rogauerit vt eum ad se mitteret vt gutta linguam refrigeraret; quod videris oculis corporeis: parabola est, historiæ admixta. Christus tria huic homini tribuit, quibus beatus homo in hac vita iudicatur; pauperem nominat: diuitem, quem aliqui regem faciunt non nominat. Nam diuitum nomina satis sunt nota: pauperum vero obscura, vel quod Deus pauperes nouit, & approbat: superbos, ignorat; quibus dicet *nescio vos*, vel prudentiæ Christi adscribendum, qui pauperem quem laudabat nominat; diuitem quem vituperabat non nominat, ne illi iniuriam faceret, & sibi inuidiam conflaret.

20. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus.*] Vt diuitis in hac vita, summum bonum, sic pauperis summam miseriam describit. Hic alius fuit ab eo quem suscitauit Ioan. 11. & 12.

21. *Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes venientes lingebant vlcera eius.*] Ad modum catelli diuitis, quibus exprimit extremam paupertatem. Aug. ait se non legisse, *& nemo illi dabat*, ideo Lazarus à Deo adiutus dicitur. ex Chrysost. & quod auget inhumanitatem, canes lingebant vlcera eius, non vt ei, sed vt sibi bene esset ait Chrys.

22. *Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ: mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.*] Q.d.

non eum diuitiæ à morte liberare poterunt. Imam partem inferni, in qua est sepultus, opponit sinui Abrahæ, in quo magna quies & voluptas, in quo erat Abraham & cæteri iusti, forte, ab eo loco distinctus, in quo nunc infantes, sine baptismo morientes recipiuntur. vel quia meritis Abrahæ proximus, vt Ioannes in sinu Iesu, & ipse in sinu Patris esse dicitur. Dicitur Abrahæ, potius quam alterius, quia hospitalis fuit, vel pater credentium, vel parabolicè hæc dicta sunt, ad significandum alterius præmium, alterius supplicium. Et quia ita futurum est post resurrectionem, sic est de illis loquutus per anticipationem. Quidam hinc probant animas iustorum, à corporibus egressas, à bonis Angelis in cœlum: iniustorum verò, à malis in infernum deportari. vt Ps. 90. & morte afflictis sine esse afflictionũ, vt diuitibus voluptatũ.

23. *Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.*] Res spirituales corporaliter describit, vt melius intelligantur, vel eo modo quo scriptura, Deo membra assignat: vel quia corpora animarum in eis velut in speculo repræsentantur, vel more prophetarum rem futuram quasi præsentem narrat. Et quia animæ post resurrectionem præmio, aut pœna simul cum corporibus donantur. vel accommodate ad nostrum captum loquitur, futurum enim fuisse, vt intelligeremus, quomodo sine oculis videre, sine lingua loqui, sine corpore cruciari, flamma diues potuisset. vel hoc partim historiam, partim parabolã esse. finxit ergo Christus membra quæ non erãt, sicut parabolam ipsam super historiam finxit. Quod diues Abraha-

mum

mum rogitet, cum esset damnatus, & damnati sanctos non rogent: hoc ad parabolam pertinet & vt diuitis miseriam exprimat, opem vt solet, implorantis ab aliis qui longè sunt.

24. *Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*] Singula verba ad commiserationem mouendam data opera Christus refert, vt ostendat, vtriusque vices esse mutatas: Lazarum, in hac vita mendicasse: diuitem in altera. diuitem in hac vita lætatum: Lazarum in altera: diuitis cruciatus esse æternos qui guttam petit, si fieri posset ab eo cui micam negauit.

25. *Et dixit illi Abraham: fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*] Quia Patrem vocauerat, parabolæ venustas requirebat vt illum vocaret filium non tam honorificè, quam irrisoriè. significat istum, si quid boni fecit, recepisse eius in hoc mundo præmium: Lazarum verò si quid deliquit pœnas luisse. Ex Chrysost. par est, vt in spe liberationis per Christum faciendæ, consoletur, tu verò cruciaris: nam mutatæ sunt vices, vt doceat, non modo fieri non posse, vt bonorum & malorum conditio mutetur: sed iustum etiam esse vt ita fiat.

26. *Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.*) Græce hiatus, qui non tam loci distantiam, quàm conditionis & status permanentiam significat: vel sinum Abrahæ esse

sub

sub terra longe remotum à loco damnatorum.

27. 28. 29. *Et ait: rogo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, Et ait illi Abraham: habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.*] Parabolice fingit fratres habuisse, vt significaret: non esse nobis expectandum, vt mortui ad nos veniant; vt nos hortentur ad pœnitentiam: cum & Scripturas & viuos Doctores habeamus, qui hoc quotidie faciant: vel non esse expectandum, vt aliquis ab inferis redeat; qui vera esse confirmet, quæ de pœnis, & præmiis alterius vitæ dicuntur. Quod homines impij & increduli solent optare. Non fratrum sed sua causa rogat: ne si fratres damnarentur, pœnas maiores acciperet; ex eorum pœnis: quos suo exemplo huc traxisset. Vel quod inde sibi leuamen aliquod esset, si quamuis damnatus esset: fratres tamen ipsius salui essent. Lazarum mitti rogat; vt cognoscerent sortem pauperis meliorem esse quam diuitis in altera vita, & fidem maiorem afferrent homini noto. Hic quæri solet, num animæ mortuorum viuentibus appareant. Chrysost. Tertull. Athan. & alij negant: quia etiamsi oculis ipsis, damnatorum supplicia cernerent, tamen à peccatis non abstinerent: & quia dæmon sæpe homines deciperet. S. August. lib. de cura cap. 15. ait, non nisi impudenter negari posse, Moysis enim & Eliæ animæ, in transfiguratione Domini apparuerunt, ad testandam gloriam & passionem Christi. Et credendum, aliis etiam de causis

causis fieri solere, quæ multæ & graues possunt occurrere Non enim respondet Abraham, non posse, aut non solere mortuos ad hanc vitam redire, sed *habent Moysen & Prophetas.* Tamen non quoties qui apparet, se huius, vel illius animam dici, credere cito debemus. Sed explorandum, num sit ipse dæmon, qui se animam esse mentitur. Mittit autem ad scripta Mosaica & Prophetica, illos fratres diuitis Christus, non vt per se, suáque lingua, sed vt per eos quorum id erat officium, legerent. & intelligerent vt Mat. 25.

30. *At ille dixit: non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.*] Supple *audient illos.* Vel non sufficit, quod Moysen & Prophetas habeant, sat scio: sed si Lazarus aut aliquis ex mortuis ierit ad eos, & testificatus scilicet fuerit eis, tunc pœnitentiam agent.

31. *Ait autem illi: Si Moysem & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*] Ratio est, quia ei qui Moysem & prophetas suscepit, certior est auctoritas, & veritas eorum librorum; quam posset esse eius qui ex mortuis resurgeret: causari enim posset num phantasma esset, an dæmon; cum auctoritatem Moysis constet esse diuinam. Experientia etiam docet, nam Iudæi, eo quod non satis credebant Moysi, ac prophetis: nec iis qui ex mortuis resurrexerunt, crediderunt. Imo, Lazarum Marthæ & Mariæ fratrem, cum ex mortuis resurrexisset, voluerunt occidere: & Dominum ipsum post suam resurrectionem acrius in suis membris persecuti sunt ex Chrysostom. & Gregorio. Et

forte

fortè diues ipse ex seipso de suis fratribus coniecturam faciebat, quod ipse dum viueret, diceret se crediturum, si quis è cœlo vel ex inferno ad se veniret: vel loquitur ex communi hac hominum opinione ex Chrysost.

CAPVT XVII.

Cauendum à scandalo, remittendam offensam.

1. *ET ait ad discipulos suos: impossibile est vt non veniant scandala. Væ autem illi per quem veniunt.*] Supposita hominum malitiâ, egit Christus præcedenti cap. de auaritia Pharisæorum, qui eum, paupertatem diuitiis præferentem, irridebant; & discipulos scandalizabant: nunc de pœnis agit qui alios offendunt. Cum autem hæc verba bene cohæreant apud Matthæum cap. 18. cum his quæ præcesserunt: hic non hæreant: certum videtur, illic suo loco; hic alieno esse posita, quorum sensum vide ibidem.

7. 8. 9. *Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem; qui regresso de agro dicat illi: statim transi, recumbe: & non dicat ei: para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat?*] Christus exegit diuitiarum in

pau-

pauperes distributionem, voluptatum contemptum, scandalorum fugam: ne quis cum hæc perfecisset, sibi placeret: nunc iactationis affectum qui bonum opus consequi solet, euellit. Ad quod profert exemplum de seruo quem nullus Dominus, quantumuis commodus, solet ex agro reuersum honore afficere, ob diuturnũ eius laborem, sed rursum iubet, ac debitam adhuc exigit seruitutem. Et nec sic quidem gratiam habet ei. Hoc ergo exemplo nobis proposito accõmodans illud suæ intentioni subiunxit: Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite serui inutiles sumus. Alij dicunt Christum docuisse discipulos, vt sic de se humiliter sentirent: nec debere nos prius à Deo gratiam, ideſt, mercedem petere, quod est ad eius mensam recumbere, quam omnes officij nostri partes; ideſt, legem omnem expleuerimus. Et paratos esse ad faciendum si quid nobis præterea præceptum fuerit.

10. *Non puto: sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus.*] Non sic accipiendum, quasi quis sit, qui omnia adimpleuerit (in multis enim offendimus omnes Iac. 3.) Sed sensus est, etiamsi feceritis omnia, tamen vos agnoscite seruos inutiles: quo significatur, quam inutiles nos debeamus reputare, & nos deprimere, & humiliare, cum aduerterimus nos multa nobis præcepta non adimpleuisse, quia Domino nostro operibus nostris nihil commodamus: Et quia nihil, vltra quam debemus, & præceptum nobis est, facimus. Non sic inutilis seruus dicitur Matth. 25.

quem

quem Dominus proiicit in tenebras exteriores. Male ex eo contendunt hæretici non posse nos facere opus supererogationis : Nam etsi seruus ille non fecit, tamen facere potuit. Nam si non potuisset, non dixisset dominum illi gratiam non habuisse : quia non feciſſet nisi quod facere debebat : indicans, gratiam illi habiturum, si plus feciſſet. 2. contendunt nos ne id quidem quod præceptum est facere posse, vt Deum ex totis viribus diligere : At quid est hoc nisi in quantum possumus diligere? possumus autem diligere, quantum possumus. 3. contendunt nos nihil mereri etiamsi omnia quæ præcepta sunt obseruauerimus. At in hac parabola non dicitur nunquid mercedem dabit illi ? Sed nunquid gratiam habebit seruo illi, quæ plus est quam merces. quæ propter gnauiter nauatam operam à seruo supra pactũ conuentum superadditur: quæ ideo gratia, non merces dicitur, quia non ex pacto, & iure, sed ex Domini liberalitate, & morali vt vulgo dicitur honestate debetur, debetur tamen. Obseruantibus autem præcepta certam mercedem dari diximus cap. 6. Mat. 5. & 10. Mar. 9. 1. Cor. 3. 2. Ioan. 8. Apoc. 18. & 22. id ergo est inutiles seruos esse cum fecerimus omnia quę præcepta sunt nobis, non quidem, nihil nos præceptorum obseruatione meruisse, sed nihil meruisse præter mercedem quæ præceptorum obseruationi respondet. Vult igitur Christus nos non gloriari, cum præcepta seruauimus, quia etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium fecimus : nihil quod non quilibet seruus facere debuerit.

11. *Et factum est, dum iret in Ierusalem,*

tran-

transibat per mediam Samariam, & Galilæam.] Hæc historia suo loco non refertur vt notat Iansſ. cuius explicationem vide apud Matth. 8. Notat vnde, quo, & qua Christus ierit, vt ex decem leprosis nouem Iudæos, vnum Samaritanum fuisse credibilius redderet.

12. 13. *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.*] Cum iam pagum esset ingressurus: nam non intra, sed extra, illi occurrerunt leprosi, nec enim talibus ingredi licebat. Num. 5. *occurrerunt*, non fortuito, sed de industria, vt sanitatem recuperarent. *Decem* esse ait, vt doceat multos esse vocatos, paucos esse electos: multos à Deo beneficia consequi, paucos esse gratos. *stant* à longe ob lepræ fœditatem: loco quidem procul stant, oratione autem prope fiunt. *Clamant*, quia longe aberãt, & affectus cogebat, vt paucis verbis, sed feruenter simul orarent. *Miserere nostri*, tam Iudæi, quam Samaritanus, communi morbo & studio, in vnam vocem prorumpentes. Docet vt non priuatas tantum sed etiam publicas preces Deo offeramus. Chrys.

14. *Quos vt vidit dixit: ite, ostendite vos Sacerdotibus: Et factum est, dum irent, mundati sunt.*] Apud Matth. 8. prius sanat, quam ad Sacerdotes mittat: hic contra: probare volens illorum fidem, & ex fide nascentem obedientiam: Et vt constaret Sacerdotum testimonio, veram esse qua infecti erant lepram, & verum miraculum cerneretur. *Sacerdotibus*, pluralis est pro singulari, vt Iac. 5. vt si quis diceret ite ad medicos cum vnus sufficiat. Sanati autem

sunt

sunt antequam ad Sacerdotem venirent, vt agnoscerent se à Christo, non à Sacerdote sanatos.

15. 16. *Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: Et hic erat Samaritanus.*] Tum Iesu, à quo licet absente curatus fuerat, gratias agens, idque cum summa lætitia & animi reuerentia, prosternendo se in faciem suam ad pedes Iesu, quem iam mundatus, non dubitauit apropinquare.

17. *Respondens autem Iesus, nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?*] Loqui exorsus, vel respondens ad ea quæ dixerat Samaritanus. q. d. quomodo non redierant. Mirum tam ingratos, tanto & tam recenti beneficio: forte putabant cum Iudæi essent, se à Sacerdotibus sanatos, aut quidem à Christo: sed oportuisse tamen ad Sacerdotes ire: Et quia missi erant, & quia lex iubebat, vt Sacerdos de curata lepra iudicaret, vt leprosus tum hominibus versari posset. Samaritanus autem non alium quam Christum agnoscebat Sacerdotem, à quo sanatus fuerat.

18. *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo; nisi hic alienigena.*] Quibus verbis aliorum nouem ingratitudinem auget: Et illis anteponit Samaritanum, quam illi gentem, tanquam peccatricem execrabantur.

19. *Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.*] Q.d. securus scilicet de beneficij nunc dati perpetuitate. Alios fide saluos, non negat; hunc affirmat: quia forte illos quidem à lepra corporis, animo saluos non fecisset:

set : sed solitus erat Christus, animam sinui & corpus curare. Si ergo sunt iustificati quo modo ad Christum non redierunt ? Non mirum si ob curationem corporis quam videbant non redierunt : non redirent ob animi curationem quam non videbant. Nec constat, eos mortaliter peccauisse, cum potuerint beneficium iustificationis animo recognoscere : Et si peccauerunt ; nihil obstat eos prius iustificatos fuisse : deinde ob ingratitudinem peccauisse : Et bonũ sæpe nobis est peccandi occasio ; adeo ad malum propensi sumus. Vide quo modo intelligendum sit *fides tua te saluum fecit.* Matth. 9.

20.21. *Interrogatus autem à Pharisæis : quando venit regnum Dei ? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum obseruatione. Neque dicent : Ecce hic, Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.*] Venturum esset seu venire deberet : Occasio huius quæstionis fuit, quia sæpe Dominum de regno Dei disputantem audiuerunt. imo & Ioannes, & ipse Christus & Apostoli, suam missionem auspicati, à promissione regni cœlorum & regni Dei, dicentes appropinquauit regnum cœlorum. cum ergo ab his omnibus promissum regnum Dei Pharisæi nõdum venisse cognoscerent, interrogant Dominum, sine serio animo discendi : vel irrisorie, quod verosimilius, quando venturum esset regnum Dei : existimabant veniente Domino Hierosolymam, regnum Dei manifestandum : vnde multi putant quod hæc paulo post in Hierusalem iturus dixerit : Et quod hic, suo loco non sunt posita à Luca. Regnum Dei, est vita beata, vel Christus ipse, seu Messias, regnũ pro rege. *cum obseruatione*, temporis scilicet, vt

possit

possit sciri tempus certum, & prospiciendo signa naturalia cognosci: Neque cum venerit dicere poterunt *Ecce hic* est regnum Dei, aut *ecce illic*: Regnum Dei intra vos est; Messias seu Rex quem expectatis *intra vos est*, idest, in medio vestrum est: q.d. vel hinc discere potestis, quia non veniet cum obseruatione regnum Dei, quod cum venerit, venisse tamen ignoretis. Ac si clarius dixisset, regnum Dei non est corporeum aut temporale, sed spirituale, & oculis animi quærere oportet. Contrarium videtur dicere ver. 23. *Ecce hic, ecce illic, nolite ire* neque sectemini: sed non aduersatur, nam hic loquitur de regno Dei, quod spirituale est: nec potest digito designari: illic de Christo Rege, quem alij hic, alij illic esse dicturi erant: Et hic de primo: illic, de secundo Christi aduentu loquitur. Et quia regnum Dei quod iam venerat, eius quod venturum erat, imago, & inchoatio quædam erat: interrogatus Christus de futuro, de præsenti respondet. *Regnum Dei intra vos est*: idest, in potestate vestra est; si vultis Christum recipere, vt Deut. 31. quasi d. in medio vestrū sum. Vel regnum Dei, est imago Dei quam intra nos habemus: vel gustus & lætitia illius, quam in animo sentimus: vel Christus habitans per fidem, in cordibus nostris regnans.

22. *Et ait ad discipulos: Venit dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.*] Græce *vnum dierum* scilicet quibus vobiscum nunc sum, & mea estis protecti præsentia; vel q. d. meam vel vno die præsentiam desiderabitis, in periculis, & in dubiis cōstituti. Ex quo patet non loqui de die iudicij, quem

quem omnes videbunt, & pauci cupiunt videre. Hoc dixit discipulis non vt eorum patientiam; sed fidem roboraret. Cætera vsque ad finem cap. vide apud Mat. 24. & Mar. 13.

CAPVT XVIII.

Docet orare.

1.2. *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere. Iudex quidam erat in quadam ciuitate qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.*] Locutus fuerat in fine capitis præcedentis, de futuris persecutionibus, de repentino suo aduentu ad iudicium: docet nunc vigilandum esse, & orandum ne aduentus suus opprimat imparatos. Vt ab omnibus periculis imminentibus eruantur, nihil esse quod assidua oratio à Deo non impetret. vt cap. 11. 1. Thes. 5. *Non deficere* est instare, pulsare; non dies ac noctes sine vlla intermissione orare: quod fieri non potest: aut horis statutis vt pie fit in Ecclesia. Argumentatur in hac parabola à minori ad maius, aut à dissimili. Si homo ille iniquus, nec homines metuens tamen mulieri, propter assiduas eius preces concessit, quod petebat, quanto magis Deus natura clemens, nobis cõcedet, si assidue illum orauerimus, vt cap. 11.

3. *Vidua autem quadam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens, vindica me de aduersario meo.*] Inducit non quamuis personam, sed viduam, quæ omnium iniuriis solet esse exposita, hunc iudicem interpellantem, partim quod id cõueniret rei per parabolam significatę: Nam fideles bene comparantur viduæ,

sed

sed multo magis, vt iudicis huius inclementiam magis exaggeraret; dum ne eius precibus longo quidem tempore flexus est; pro qualiū defensione, maxime præficiuntur. Cum nec Deum, nec homines reuereretur, nulla persona erat quam minus iuuare poterat, quam pauper vidua, à qua nihil aut sperabat, aut timebat: Et tamen iuuit eam propter assiduas preces. q.d. quotidie veniebat, non vindictam sed iustitiam petebat. Et loquitur de Deo humano more, quo læsi ab aliis vindictam quærunt. Et quia de persecutionibus agebat quas discipuli erant passuri: Et docebat fore, vt si continuis precibus Deum rogarent, eos liberaret. vt Apoc. 6.

4.5. *Et nolebat per multum tempus: Posthæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hac vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens, fugillet me.*] Declarat Christus, quod iudex ille fecit, vt molestiam euitaret, id multo magis facturum Deum, vt misericordiam præstet. *fugillet*, ideſt, suis assiduis precibus obtundat, aut tædio afficiat me: quo significatur iudicem hunc ob id statuisse vindicare viduā, vt à molestia liberaretur: ne cum perfunctus esset officio, à vidua illa, coram successore suo accusaretur, quod sæpius ab ea rogatus, vt ius ipsi redderet, non reddidisset. Et hoc est fugillare, ideſt, reprehendere, accusare, iudex est Deus non similitudine sed potius dissimilitudine, vidua nos sumus, & quisquis persecutionē iniuste patitur. Aduersarius homines iniqui, qui iustos affligunt.

6. *Ait autem Dominus: audite quid index iniqui*

iniquitatis dicit.] Hebræis pro iniquus, considerate ex iudice illo iniquo, & crudeli: quid benignus iudex Deus facturus sit, si illum assidue oraueritis.

7. *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se, die ac nocte, & patientiam habebit in illis?*] Interrogatiue. q. d. an id in cuiusquam animum venire potest, vt id de Deo sentiat; si aduertat, quid aliquando faciunt impij iudices, precum assiduitate, & constantia victi: Si apud eum, qui nec causæ iustitia, nec personæ miseria flectebatur, iustæ preces miserandæ viduæ tantum valuerunt, ob solam perseuerantiam: an non multo magis, ob similem constantiam iustissimæ preces piorum, in hoc mundo afflictorum, valebunt apud Deum: qui & iustissimus & misericordissimus est, & pios ad se clamantes elegit; & dilexit ante constitutionem mundi: Si audiuit ille, cui molestum erat rogari, an non multo magis audiet, qui vt oremus hortatur. *Et patientiam habebit in illis.* Et Deus patietur electos suos, perpetuo ab iniquis hominibus affligi. Q. d. minime. vel: An non faciet vindictam: etiam cum patiens fuerit, & longanimis super illis, ideſt, etiamsi ad tempus despicere, & negligere videatur illorum iniuriam, & differre eorum petitionem.

8. *Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?*] *Illorum*, electorum suorum; non vt ille iudex, longo post tempore vindicauit ab iniuria viduam, sed cito, vt Psal. 10. Isa. 65. Et indicat paucos futuros, qui vsque in illum diem quo sunt liberandi, persistant in

precum perseuerantia, ob fidei pusillitatem: sicque vix quos liberet, inueniet.

9. *Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros parabolam istam.*] Superiore parabola, de orationis perseuerãtia: nunc hac seu parabola seu historia, de humilitate in oratione seruanda loquitur: duos inducit orantes Pharisęũ superbum, & publicanum humilem.

11. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat; Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.*] Stat ipso habitu se superbum declarans; vel quia sic Iudæi orare soliti: At Christus flexis genibus orauit Act. 7. 9. 20. & 21. Et Iudæi. 3. Reg. 8. Par. 6. Dan. 6. Mich. 6. Mar. 17. Luc. 5. & 22. Quare stare significat solam præsentiam, vel quietem, vel audaciam, vel inchoationem Isa. 47. Ps. 105. bene *apud se*: quia apud Deum non orabat. In hoc Pharisæo quatuor superborum species quas refert Gregor. 23. in Iob c. 7. videbis cum bonum à semetipsis habere se æstimant: aut si sibi desuper datum credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum iactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris, singulariter videri appetunt quod habent. Chrys. multa mala facit qui aliis conuiciatur. 1. audientem reddit peiorem; si enim peccator est, lætatur inuento criminis collega: si iustus extollitur de se magna putans. 2. Ecclesiæ communitatem lædit, hanc enim vituperant qui audiunt. 3. Deum blasphemari facit. 4. illum cui conuiciatur, impudentem facit, & sibi aduersarium.

12. *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omniũ quæ possideo.*

possideo.] Secũdo forte; & quinto die ieiunabat: non tantum iis diebus quibus omnes secundũ legem, & maiorum statuta ieiunant, sed bis in vnaquaque hebdomada. Decimas dabat non tantum vt vulgus, frumenti vini & olei, sed etiã omnium quæ possidebat, decimãs etiam mentam, & minutissima quæque. Hic nota qualia sunt ob quæ hic Pharisæus, & qui huic similes sunt, sibi iustitiam vendicant; nimirum externa tantum: Et magis humanorum mandatorum quam diuinorum obseruationes: cum autem curanda sint omnia quæ ad mentem pertinẽt, pietas, misericordia, humilitas, & id genus virtutes, quæ Deus præcipit, priori loco sunt habendæ.

13. *Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicẽs: Deus propitius esto mihi peccatori.*] Quasi non ausus fuerit in templũ ingredi, aut versus arcã accedere, nec leuare oculos ad Deum. Nota in Publicano conditiones vere pœnitentis, ideſt, propriæ indignitatis, & quæ ex corde nascitur sui ipsius deiectio, & erubescentia. 2. est de cõmissis peccatis dolor, docuit natura pœnitẽtes percutere pectus suũ, & inter Iudæos & Christianos hoc fuit vsitatum. 3. est bona de diuina benignitate cõfidentia, quam breui sed efficaci oratione hic significat.

14. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.*] Audiuimus in Pharisæo superbũ accusatorem: in Publicano humilem reũ; audiamus nunc & iudicem sententiam pronunciantem: venit in templum iniustior, rediit iustior Pharisęo, ideſt, Dei gratia ex peccatore, iustus effectus est Publicanus, *ab illo*, ideſt, magis

quam ille descenderit, iustus: Sed cõparatione impropria, quia scilicet iste non descẽdit iustus. Aut potius Publicanus dicitur descendisse iustior quàm Pharisæus, quia & Pharisæus aliquã habebat iustitiã, qua, & coram hominibus, & suo iudicio iustus habebatur: sed hanc iustitiã, vicit iustitia publicani; vt quę Dei esset iustitia, & coram Deo iustitia, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Vide Dei benignitatẽ quĩ tam breui oratione, & tam parua pœnitentia, superatus mox pœnitentem in gratiam recepit. reliqua apud Mat. 23. & 19. & 20. & Marc. 10.

CAPVT XIX.

Excipitur à Zachæo.

1.2.3.4. *ET ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus; Et hic princeps erat publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum, quis esset: Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sicomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus.*] Hæc historia rectè cum superiore texitur: Nam in illa cæcus corporaliter, & pauper, visum recipit: in hac cæcus spiritualiter, & diues: quia neminẽ à sua gratia excludit Christus. Dum dicitur princeps publicanorũ significatur eum fuisse ditissimum: Et quantę fuerint illius eleemosynæ cum dimidiam partem erogauerit in pauperes. Cũ vrbem lustraret Christus quærens animas perditas: Zachæus cupiebat eum etiam de facie cognoscere, de quo rumor sanctitatis & miraculorum, tam admiranda sparserat: oblitus sui principatus, & suarum diuitiarum velut infimæ sortis homo, currebat

ante

ante eum, qua trāsiturus erat: vt antequā acce-
deret spatium haberet in arborem, quam in via
esse sciebat ascendendi, non metuens, quod
multis Iudæorum visui futurus esset: eo quod
diues, & publicanorum princeps sublimis, in
arbore spectator esset, vnius hominis humilis
& pauperis.

5. *Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vi-
dit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans de-
scende: quia hodie in domo tua oportet me manere.*]
Non ob inopiam quasi defuissent ei in quę re-
ciperetur, hospitia: sed quod suo desiderio ille
meruerat, Dominum habere hospitem: Et quia
oportebat Christum hac ratione, secundum
suum officium quærere & saluum facere quod
perierat.

6. *Et festinans descendit, & excepit illum gau-
dens.*] Eo modo quo iusserat Christus; hoc di-
uinæ gratiæ est respōdere: nihil cunctatus de-
scendit, & excepit illum gaudēs: veluti magno
honore affectus, & magno thesauro donatus,
cum prius temporalia tātum lucra sectaretur.

7. *Et cum viderent omnes, murmurabant, dicen-
tes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.*] Cum
cæcum ante ingressum Iericho Christus illu-
minasset, omnis plebs vt vidit, dedit gloriam
Deo: Nunc vero cum magis deberēt dare glo-
riam Deo, omnes murmurabant dupliciter; &
quod hunc adhuc peccatorem vocabant qui
animum mutauerat. Et quod hoc vitio ver-
tebant Christo, quod ad hominem peccatorem
diuerterit; cum viderent eum hoc vnum agere,
vt sua doctrina peccatores ad pœnitentiam
vocaret. In quo notandū homines semper plu-
ris facere corporalia quam spiritualia Christi

beneficia: Non absolute *omnes* murmurabant: Nam non Apostoli, & discipuli qui aderāt: sed plurimi Iudæi eius loci ciues, & præsertim Pharisæi. Causa fuit, vt quidā putarent, quia Zacheus Gentilis erat, & cum gentibus cibū sumere vetitum erat. Act. 11. Et solebant Iudæi omnes Gētiles peccatores vocare; Et nomine peccatorū Gentiles intelligere. vt Mat. 26. Mar. 14. Luc. 24. Si enim fuisset ex genere Abraham, sicut Iudæi omnes, non dixisset *eo quod & ipse*: Nam quid sibi vult *& ipse* nisi etiam ipse, quamuis carne Abrahæ filius non sit, spiritu est vt Rom. 9. Probabilis opinio est non certa, nam publicani omnes quamuis Iudæi essent, pro publicis peccatoribus habebantur. vt c. 5. & Mat. 9. similiter Pharisæi murmurabant.

8. *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominū: Ecce dimidiū bonorū meorū Domine, do pauperibus: Et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplū.*] Quod dicit *do* & *reddo* quidā sic accipiunt, quasi iam hoc facere cœperit, priusquam etiam ad ipsum Dominus diuertisset, vt intelligeret, num hoc quod cœperat Domino probaretur, nec ne: sed rectius videtur commotum Christi doctrina & præsentia, iam certo cōstituisse daturū & redditurum, vt cum dicit *do* & *reddo* sint præsentia pro futuris, dabo & reddā, sese iam facultates suas ad id deputare. Et ad id faciendum sese astringere, q. d. iam iam, pauperibus addico: id enim magis conuenit responsioni Hodie salus domui huic facta est. Sunt qui dicunt Zachæū omnibus relictis bonis Christū fuisse secutū: Et quod dimidiā partem dicitur retinuisse, fecisse, vt ablata restitueret: Et quia certus non erat, quantum cuique abstulisset, voluisse, ne forte

forte aliquid alienū retinens, erraret, quadruplo plus reddere, quam sibi debere videbatur. quod exemplum omnes fœneratores imitari deberent. Alij dicūt ex lege hoc fecisse. Exo 21. 2. Reg 12.

9. *Ait Iesus ad eū: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse sit filius Abrahæ.*] Si Zachæus Iudæus erat, sensus est, ideo saluū fuisse quia filius erat Abrahæ, non quod omnes, qui genere filij erant Abrahæ, salui essent: sed quod ius quoddam haberent ad salutē, cum propter illos præcipue Christus venisset. Aut filium Abrahæ non genere (quamuis genere etiā filius esset) sed fidei & charitatis imitatione appellat, vt Ioan. 8. Quod si Zachæus gentilis erat interpretandū est, *Eo quod & ipse sit filius Abrahæ* idest, quamuis genere non sit, fide tamen est, vt qui ex eo sunt oriundi. Non dixit hodie salus tibi facta est sed *domui huic facta est*, vt beneficium extendi significaret ad totam familiam, vt Act. 10. 16. & 18. Vel vt indicaret antea vitiis apertam fuisse domum, hodie vero saluti: Vel *domui*, idest, *Zachæo*. Cæteta vsque ad vers. 41. habes apud Matth. 11. & 13.

41. 42. *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem flenit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*] *Flenit*, prædicens summam calamitatem Ierusalem, cum fausta omnia acclamarent, ostendit se & futura scire, & inimicos suos amare. Beatitudines omnes, suo firmauit exemplo. Dixerat beati flentes. Itaque flet, ait Orig. *Si cognouisses & tu*: Oratio est imperfecta: Si pro vtinam cognouisses & tu, sicut ista turba cognoscit; Alij Chri-

sti personam: Si *cognouisses & tu* sicut & ego cognosco, & verbum referunt, ad, *quæ ad pacem tibi*: q.d. si cognouisses occasionem quæ tibi offertur, nunc pacem obtinendi, dum præsentem habes saluatorem tuum, subintellige non negligeres. Alij relatiuum *quæ*, ad diem referūt, si *cognouisses*, & tu *quia venient dies* in te, *& circundabūt te inimici tui vallo*, &c. Si inquam cognouisses, etiam in hac die tua, quæ ad pacem tuam est, idest, qua tanta pace gaudes, fleres vtique, sicut & ego fleo, non gauderes sicut nunc gaudes. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, quæ si cognouisses fleres, quia veniēt dies in te, *& circundabunt te inimici tui vallo*: In quo Christus describit futurum vrbis excidiū sub Tito, & Vespasiano. Et se Deum esse declarat: qui futura cognosceret. Et ciues Ierusalem monet, vt ad Deum se conuertant, & impendentem calamitatem effugiant. *Tempus visitationis*, idest salutis præsentem occasionem: tempus primi aduētus, dies salutis. cætera apud Matth. 13. & 21.

CAPVT XX.

Disceptat cum Iudæis æmulis suis.

1. *ET factum est in vna dierū, docente illo populū in templo, & euāgelizante, conuenerūt principes Sacerdotum, & Scribæ, cum senioribus: Et aiūt, dicentes ad illū: Dic nobis in qua potestate hæc facis?*] Marcus c. 11. tribus diebus continuis distincte refert Dominum venisse in Ierusalem, ibique vsque ad vesperā docuisse in tēplo. Lucas vero, non distincte referens gesta diuersorum dierū dixit: *Et erat quotidie docens in templo.* Ex quibus verbis, & ex eo quod postea Christus dicit, *quotidie*

sidie apud vos eram in templo docens: apparet Dominũ, non tribus tantũ diebus primis huius hebdomadæ docuisse in templo, sed etiam sequentibus duobus, vt notat Iansen. Nisi quod dicit Lucas *quotidie* sic referendum ad quatuor illos dies quibus post ingressum celebrẽ in Ierusalem vsque ad diem quo cõprehensus est in tẽplo docuit, cum noctu in Bethaniã rediret vt apud Mat. 21. & 26. vbi totius cap. explicatio.

CAPVT XXI.

Vidua oblationem profert.

1. *RESpiciens autem vidit eos, qui munera sua mittebant in gazophylacium, diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo: & dixit: vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quã omnes misit.*] Sedens è regione Gazophylacii, non quidẽ temere, & curiositatis gratia, sed ob doctrinæ quæ ex euentu est subsequuta, opportunitatem captandam, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in Gazophylacium, vt habet Mar. 12. apud quam hæc historia explicata est. Totum vero caput apud Matth. 24.

CAPVT XXII.

Post cœnam capitur.

1. 2. *APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebant principes sacerdotum & scriba, quomodo Iesum interficerent: timebãt verò plebem.*] *Dies Azymorum* qui post duos dies futurus erat. vt habet Mat. 26 vbi explicantur omnia quæ hic desiderantur vsque ad vers. 28.

28. *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*] Hęc sententia propter discipulorũ contentionem, ortã, antequam Ierosolymam ingrederentur, fuit pronuntiata; vt cõstat ex Math. c. 20. Quam cum suo loco prætermisisset, hic recordatus Lucas cõmemorat. Cũ ergo quẽ quisque in futuro regno Christi locum esset habiturus, discipuli contenderent, vt murmur sedaret, omnes futuros aliquomodo æquales declarauit, omnes eundem panem esuros & vinum bibituros, omnes futuros Iudices: & suo quemque sessurum throno, nec id fauore vt putabant, sed meritis, patientia, perseuerantia in aduersis, habituros, *sed quia* inquit *permansistis mecum in tentationibus* meis, ideſt, persecutionibus meis à Iudæis. Tentationes vocat quia per eas Pater, aliquo modo cum tentabat: vt non tam Patri quam hominibus eius virtus appareret.

29. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.*] Q. d. vos pro me feciſtis vt mecum in tẽtationibus meis permaneretis: ego vicissim vobis disponо testamento regnum declarans meritum præmio respondere, sed præmium esse tanto maius, quanto Christus discipulis. Et se breui moriturum, *sicut disposuit mihi pater.* Q. d. sicut mihi pater promisit, per varias tentationes, ita & ego vobis disponо; quia per tentationes mecum permansistis: vel sicut sua authoritate, mihi pater regnum dedit, eadem ego vobis illud disponо. q. d. quale regnum dedit mihi pater, tale ego vobis promitto. Loquitur vt homo: ideoque male hinc colligunt inæqualitatem Patris & filij.

30. *Vt edatis & bibatis super mensam meam*

in

in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.] Vitam beatam cibo & potu declarat vt Ps. 16. & 35. Matth 26. quia homines in cibo & potu delicias ponũt Amb. non victus, & potus promittitur, sed communicatio gratiæ cœlestis. Et priuilegium est regis mensæ accumbere, non omnibus aulicis concessum, vnde sequitur *& sedeatis, &c.* quod Apostolis proprium.

31. *Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ.*] Græcè *expostulauit.* quo verbo declarat Satanã nullam vexandi homines potestatem habere, nisi eam prius a Deo petat: vt Iob 1. & 4. vt purgentur & probentur sicut triticum Deus concedit. hoc quod ad omnes pertinet Petro dictũ est quia erat caput, & omnium fortissimus.

32. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*] Declarauit a quo sibi Petrus timere: nunc docet in quo fiduciam habere debeat. Ego te, maximè, fidémque tuam protegam ait Chrys. hom. 34. in Mat. vt semper tentat Satanas, sic semper Christus orat: vnde colligitur Romanæ Ecclesiæ & successorum in ea, Petri fidem fore perpetuam. Et cum negauit se nosse Christum, non fuit eius fidem deficere, sed tentari, quia fortior ex tentatione surrexit. Ore negauit, animo fidem retinuit vt diximus Mat. 26. idem dicendum de successoribus si quando visi sunt in fide vacillare. *Et tu*, idest, sicut ego te confirmaui, tu iterũ confirma fratres tuos. Vnde constat, non de illo solum tẽpore quo Petrus negauit, nec de ipso solum Petro, sed de omnibus eius successoribus loqui

Christum: nam tempore passionis Petrus Apostolos non confirmauit: & tamen necessitas perpetua erat alios confirmandi. Itaque in persona Petri omnes Petri successores iubet fratres in fide firmare. At quomodo firmare possunt, si ipsi errare possunt? sunt qui conuersum à peccato exponunt: quo Christum negauit facta pœnitentia, quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam. cætera apud Mat. 26.

35. *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis nunquid aliquid defuit vobis.*] Non personarum sed temporis diuersam conditionem significat, tempusque illud quo eos ad prædicandum miserat, adeo pacatum & fauorabile fuisse vt nihil eis quamuis nihil secum deferentibus defuerit: fauentibus omnibus, quod ipsius essent discipuli: nunc instante passione sua, diuersum esse tempus, adeo omnes sibi futuros infensos, vt non solum nemo illis propter se fauere audeat; & necessaria suppeditare: vt omnes potius eos sint persecuturi, & ad mortem quæsituri: itaut non modo baculo & pera, sed etiam gladio opus illis esse videatur.

36. *At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladiū.*] Hæc verba his quæ dixit Mat. 10. non sunt contraria: illic quid facere deberent: hic quid facturi essent prædixit, quare *tollat, vendat, emat*: non sunt præceptum sed prædictio: vt Ps. 108. vel non sunt imperatiuum, sed futurum, tollet. vendet, emet. vel solam temporis conditionem significant: in quo si humanis auxiliis vtendum esset, nullum non esset maximè

mè necessarium, cum de sua, & discipulorum vita ageretur. vt diximus apud Matth.

37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est: etenim ea quæ sunt de me finem habent.*] Causam reddit cur gladio & omnibus præsidiis humanis opus esset, si res humano more ageretur: nam præter eas prophetias quæ iam impletæ erant: hæc omnium præcipua implenda erat, vt inter duos latrones moreretur: vel finem habent, ideſt, impleri necesse est: vel parum abest quin impleantur.

38. *At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic: at ille dixit eis: satis est.*] Non militares: sed quibus forte essi erant in agni immolatione & diuisione, quales lanij & rustici habent. Et huiusmodi gladio Petrus abscidit Malchi auriculam. Qui fortè vnus pro omnibus respondit tanquam dux Apostolorum: qui ante dixerat tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Quod Christus ait; *Satis est*, non confirmat Apostolorum opinionem, existimantium gladiis rem esse gerendam: sed vel ironicè respondet: vel indicat opus non esse gladiis; non quod necessitas temporis non postularet, sed quod ipse nollet se gladiis tueri: & diuino consilio factum est vt Apostoli non caperent sensum, vt sanaretur Malchi auricula, cætera Mat. 26.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Morti adiudicatus crucifigitur.

1. *ET surgens omnis multitudo eorum duxerũt ad Pilatum.*] Confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis & vniuerso consilio. Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum, ipso die Paschæ, simul atque dies factus est. Transtulerunt autẽ Iudęi diem festum Paschæ qui eo anno inciderat in pridie sabbati, in sabbatum ipsum vt diximus apud Mat. 26. ideoque putauerunt sibi licere Christum ad Pilatum ducere, & eum apud Iudicem accusare. Totius huius capitis explicationem cum Maldonato remittimus ad Mat. c. 27.

CAPVT XXIV.

Resurrectio probatur multis argumentis.

1. *VNa autem Sabbati, valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aromata.*] Prima die hebdomadæ scilicet dominico. vide vsque ad vers. 13. Matt. cap. 28.

13. *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta, ab Ierusalem nomine Emaus.*] Marcus 16. cap. ait per synecdochem, vel syllepsim, Apostolos, his duobus discipulis non credidisse, quia aliquis non credidisset: Lucas dicit inuentos ab illis

Apostolo

Apostolos affirmantes surrexisse Dominum. Et à Simone visum fuisse Quia aliqui id asseuerabant. Quod non magis contrarium est, quam si diceres latrones credidisse quia vnus credidit; aut blasphemasse quia vnus blasphemauit. Sunt qui Cleopham faciũt, Ioseph sponsi Mariæ fratrem, alij ciuem Emauntis, quo tũc ibat, & Christum in eius domo ea nocte exceptum, in fractione panis ab illis cognitum & eius domum in Ecclesiã dedicasse, vt Hier. Alij Simonem cognominatum & Christi consobrinum fuisse. Eius autem comitem Amaonem, vel Simeonem, vel Nathanaelem, vel ipsum Lucam. vtrumque ex 72. discipulis. *ipsa die* qua resurrexerat, qua mulieres ierãt ad monumentũ. stadium erat octaua pars milliaris 60. stadia erant septem milliaria & semis. Leucæ tres circiter.

14. *Et ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant.*] Circa Iesum de morte ipsius, de processu mulierum ad sepulcrum, num resurrexisset.

15. *Et factum est dum fabularentur & secum quærerent: & ipse Iesus appropinquãs ibat cũ illis.*] Casu quidem discipulis nihil cogitãtibus, non Christo, qui tanquam viator eos à tergo assecutus adiunxit se illis, vel etiam nihil videntibus, nihil sentientibus, aut cogitantibus. Quanto magis erit in medio eorum qui suo nomine sunt congregati vt eum laudent, non vt disceptent.

16. *Oculi autem illorum tenebantur ne eũ agnoscerẽt.*] Forte, quia oculi eorũ diuinitus impediti: vel quia apparuit illis alia effigie: vt etiãsi liberis essent oculis non possent agnoscere. Mar. 6. vt cũ per mediam Hierosolymorum ve-

bem

bem transiit, vt ad Apostolos in vnam domum congregatos ingrederetur. Io. 20. Et cum Magdalenæ hortulani forma visus est Ioann. 20. non in mulieris oculis, sed in Christi corpore mutatio facta est. Et vt illis discipulis, ita in Eucharistia, alia forma quam qua reuera est, nobis apparet. Vtrumque factum dicere possumus & mutata corporis forma Christum apparuisse, & impeditos simul fuisse discipulorum oculos, ne ea forma Christum agnoscerent: vt in transfiguratione, ita mutata est, vt tamen effigies & lineamenta eadem, color diuersus appareret. Sicut vnius eiusdemque hominis, alia pueri, alia iuuenis, alia senis est forma. Caietan. de oculis internis putat intelligendum, quia de illis oculis intelligit, oculos eorum fuisse apertos. Noluit ab eis initio cognosci, vt eorum fidem exploraret: noluit nisi à credentibus cognosci: tenuit eorum oculos dum de ipsius resurrectione dubitant: dum fabulantur: dum disputant de fide. Aperuit, cum explicatis à se scripturis crediderunt: voluit eos docere specie peregrini, vt plus haberent meriti credentes: voluit scripturarum cognitione eorum animos ad credendum preparare. Sic se Christus per tacitas inspirationes, nobis sæpe manifestat, & tamen non eum agnoscimus, nisi cum scripturas audimus: eum panem frangimus: cũ sacramẽta frequẽtamus.

17. *Et ait ad illos: qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes?*] Declarat, se antequam eos attingeret, ipsorum audiuisse sermones, quamuis simulet se nescire: vt occasionem accipiat loquendi de sua resurrectione.

18. Et

18. *Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei. Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?*] Hunc nominat vt fidem faciat historiæ : alterius nomen tacet modestiæ causa, quia forte erat ipsemet Lucas : vel quia de altero solum loquebatur, quem nominauit. Solent peregrinis, ignotæ esse res ciuitatis, ideoque excusat. q. d. mirum non esse si ille solus rem gestam ignoret, omnibus notam: vel reprehendit, q.d. nemo est in Ierusalem, ac ne peregrinus quidem, qui hæc ignoret præter te vnum.

19. *Quibus ille dixit : Quæ ? & dixerunt : de Iesu Nazareno qui fuit vir Propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.*] Simulat se ignorare vt magis ad mirandũ inuitet *Et dixerunt:* cũ vnus tantùm loqueretur, sed pro se & pro altero ; & quia post forte ambo sunt locuti, magna & decenter expressa commendatione doctrinæ & miraculorum, Dei & hominum iudicio : vt magis appareret quam indigne crucifixus fuerit.

20. *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.*] Cum vnus tantum summus sacerdos. Ex Mat. 2. *Et principes*, scilicet familiarum : qui inter Iudæos præcipuam habebant auctoritatem. Dicuntur tradidisse *in damnationem mortis*, qui crucifigendum tradiderunt Pilato, vt c. 9. 18. 23. & 24. & Matth. 17. 20. 26. & 27.

21. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel : & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.*] Q. d. iam non speramus cum videamus, fuisse crucifixum.

Errabant

Errabant quod Messiam putabant, non à peccatis sed à seruitute liberaturum Israelem. Et quod crucem cum redemptione pugnare existimabant: & præter quam quod fieri non posse putabant, vt mortuus resurgat: *accidit* inquiunt *quod tertia post mortem dies est*, & non resurrexit: sicque spes nulla supereſt, vt resurgat: sic infidelitas contra fidem contendit: tertia dies venerat sed non effluxerat: deinde, quomodo sciebant non resurrexisse. Tamen constat aliquid spei supereſſe.

22. *Sed & mulieres quadam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.*] *Ex nostris*, ideſt, quæ Christum nobiscum sequebantur: vel quæ nostræ erant vxores, incredibilia narrantes, attonitos & dubios nos reddiderunt.

23. 24. *Et non inuento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam Angelorum visionem vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt.*] Scilicet Petrus & Ioannes experturi quid veri haberet mulierecularum narratio. Et de monumento compererunt, ita rem habere, sicut mulieres narrauerunt, vnde mirum est eos non credidisse, cum suam ipsi incredulitatem, & mulierum, & duorum discipulorum & Angelorum testimonio arguerent: quam Christus exprobrauit Mar. 16.

25. *Et ipse dixit ad eos: ô stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.*] Non reprehendit quia Christo ipsi non crederent, quia de hoc erat quæstio: sed vt fidem habeat, non tanquam suam sed tanquam

quam alienam causam agit.

26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*] Q.d tantum abest, vt ob prædictas passiones, & ignominias debeatis diffidere, Iesum esse Christum illum, in scripturis promissum, vt ob eas debeatis magis ex scripturis agnoscere, ipsum fuisse, & esse vere Christum. Quod ait *oportuit*, intelligendum non absolute sed posita prædictione Prophetarum, & spem illis dat futuri regni, de quo iam desperabant: sed alia ratione quàm alij reges consequuntur.

27. *Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.*] Prophetas vocat omne vetus testamentum, quod Christus percurrit, & explicauit: vt Christum ibi quærere discamus: cum ibi, vbique lateat, & ad eum omnia referantur. fœlices qui meruerunt cœlestem doctorem audire. vtinam Euangelista ea testimonia retulisset: multum eruditionis inde acciperemus; nam non solum literalem, sed & allegoricum & mysticum sensum illis aperuit.

28. *Et appropinquauerunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire.*] Quia adhuc à discipulis peregrinus putabatur, & ideo indigni erant vt sub eodem maneret tecto: vel quia peregrinus erat in eorum fide, ideſt, nondum credebant eum resurrexisse: vel fecit, vt se Christum esse dissimularet, quia nondum tempus venerat quo se illis volebat aperire. S. Aug. l. contra mendacium, ait hanc fictionem ad mendacium non pertinere, idque docet ex fictione parabolarum, quibus vsus est, non ad fallendum, sed ad aliquid maius significandum, sic significauit

significant se longius, ideſt, in cœlum iturum. Et præterea mendacium cum ſit falſa ſignificatio cum voluntate fallendi: hanc non habuit Chriſtus; ſicut nec Paulus, quando ſimulauit quodammodo ſe legis obſeruatorem; cum Timotheum circuncidit; cum factus eſt Iudæis tanquam Iudæus, & iis qui ſub lege erant, tanquam ſub lege eſſet: fecit enim vt Iudæos lucraretur, & à Chriſto non alienaret. Et 3. Reg. 22. per irriſionem Micheas locutus eſt, non ſua ſed falſorum Prophetarum opinione. Sic Chriſtus noluit diſcipulos fallere, ſed docere eos falli, & eos eo ab errore liberare voluit. Putabant Chriſtū nondum reſurrexiſſe, errabant. Apparet illis ea forma, vt non ipſe, ſed alius quiſpiam peregrinus eſſe videatur. Eademque ratione fingit ſe tanquam peregrinum ire longius: non vt doceat ſe non eſſe Chriſtum, quod vtique mendacium fuiſſet, ſed vt doceat eos errare, qui ſe putarent, Chriſtum eſſe non poſſe.

29. *Et coëgerunt illum, dicentes: mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit; & inclinata eſt iam dies, & intrauit cum illis.*] Vel iniecta pallio manu; vel verbis recuſantem compellunt, vt eam noctem apud eos diuerſaretur: rationem afferentes hoſpitalitati conuenientem, *quoniam adueſperaſcit.*

30. *Et factum eſt, dum recumberet cum eis accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.*] Cum idem fecerit quod in vltima cœna multi dicunt his duobus diſcipulis ſuum porrexiſſe corpus, ſub ſpecie panis: quod ex miraculo comprobant: Hæreticis inficientibus & quibuſdam Catholicis: & quia cum cõmunem panem

panem benedicebat, non in fine, non in medio prandij, sed initio, antequam quisquam quidquam gustaret, benedicebat: hic autem non in initio sed in fine benedixit, cum scilicet recubuisset, ideſt, cœnasset, sicut cum Eucharistiam instituit Mat. 26. Verisimile est Christum tunc, ne phantasma esse videretur, communem cum duobus discipulis cœnam sumpsisse: Non sumpsit postquam panem fregit, quia in ipsa fractione cognitus est: & statim vt cognitus est, *euanuit* ab oculis eorum: ante igitur cœnam sumpserat: ideoque benedictio communis cibi esse non potuit. Accedit miraculum quod in fractione panis ab illis cognitus est, à quibus cognosci non potuerat, tot ante sermonibus. Quod alia virtute quam Eucharistiæ factum non est. Non casu, nec ex frangendi panis ceremonia, quam non tacuissent Euangelistæ, nec tulissent Pharisæi: sequitur factum esse miraculo; & ex vi fractionis quæ totum illum actum conficiendi, & administrandi Eucharistiam significat, illum cognouisse. Quod confirmatur quia Christus tum Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit, ex Hieron.

31. *Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.*] Idem scilicet oculi corporis, non mentis, qui tenebantur. q. d. non magis Christum cognouisse, quam si plane cæci fuissent. Clausi ante fuerant, non quia clausi erant, sed quia non cognoscebant, quem videbant Christum, quasi non viderent; quasi clausi essent: Aperti ergo dicuntur non simpliciter, sed quoad visionem veræ figuræ Christi, quia viderunt, & cognouerunt;

uerunt; vt Gen. 3. ad commendandum hospitalitatis meritum vt notat Aug. & ad comprobandum mysterium Eucharistię. *Et ipse euanuit*, reddidit se illis inuisibilem; non dixit se subduxit, vt verunt hæretici, ne cogantur concedere, posse Christum in Sacramento Eucharistiæ esse, quamuis oculis non videatur, quod miraculum voluit notare Euangelista, sicut se ante ambulantibus in via, visibilem fecerat. Parce sui corporis copiam fecit à morte, vel quod imbecillitas humana non ferret rediuiui corporis maiestatem. Vel vt sensim assuescerent carere corporis conspectu, quod mox esset abducendum: & amare illum discerent iuxta spiritum. Denique quia fecerat quod volebat, cognitus erat: confirmauerat suam resurrectionem scripturis, & sui conspectu: & quia volebat eadem nocte redire Ierosolymam, & sese vndecim illic congregatis Apostolis ostendere, & vt etiam duo illi discipuli redirent.

32. *Et dixerunt ad inuicem, nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?*] Q. d. vere Christus est. Nam non alia potuit esse causa, vt sic arderet cor nostrum in via: sic solemus rationibus probabilibus comprobare res quas iam fide, aut certe experientia credimus. Ea est verbi Dei, ea corporis Christi in animis nostris virtus & efficacia. Vel vt alij exponunt q. d. poteramus vel ex hoc illum cognoscere.

33. 34. *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant: dicentes: quod surrexit Dominus*

Dominus vere, & apparuit Simoni.] Eodem instanti temporis regressi sunt : nec potuerunt, nec debuerunt tantum gaudium continere: sed voluerunt quam citissimè discipulis communicare. Discant verbi Dei præcones non sibi seruare scripturarum cognitionem. *Et inuenerunt alios* discipulos qui cum Apostolis erant in eadem domo. De Christi resurrectione varia testimonia mulierum & Petri, inter se conferentes, vel *dicentes*, nihil hos duos discipulos noui retulisse : Nam & ipsi iam ante sciebant resurrexisse Dominum : & de ea ipsa re loquentes inuenerunt *vndecim*. At ex Ioanne Thomas non aderat ? Sunt qui dicunt exisse aliqua vrgente causa, post duorum aduentum antequam Christus ingressus esset ianuis clausis ad Apostolos. Alij putant iam à Luca Mathiam annumeratum inter vndecim, quod is in locum Iudæ postea suffectus sit : Alij probabilius per synecdochem dixisse, illos inuenisse *vndecim congregatos*, quia collegium & societas Apostolorum hoc numero nuncupabatur, antequam Mathias in locum Iudæ subrogaretur, quod collegium vno licet absente, recte ibi dicitur, fuisse congregatum.

35. *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quo modo cognouerunt eum in fractione panis.*] Sic vult Christus sua munera propagari vt charitas & merita crescant inter ipsos.

36. *Dum autem hæc loquuntur stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis : ego sum; nolite timere.*] Cum discipuli sanctis de resurrectione dominica colloquijs se vicissim cõsolantur, subito Dominus adest in medio confabulantium de se, ianuis clausis, non apertis,

vt

vt fingunt hæretici, ingressus : ita vt constiterit prius in medio quam aut illum sentirent, aut vestigium vllum, aut qua ingressus esset, viderent. Visitata Iudæorum salutatione, bene eis precatur, vt Iud. 6. & vt Mat. 28. bono iubet esse animo.

37. *Conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre.*] Timor impediebat ne Christum cognoscerent, & quia putabant se spiritum videre, quia ianuis clausis erat ingressus, quod non nisi spiritum facere posse putabant.

38. *Et dixit eis, quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra.*] Declarat se esse Christum ex cognitione cogitationum cordis, quas spiritus non potest videre, & significat eos fuisse anxios, & dubitantes an esset Spiritus an Christi verum corpus.

39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.*] Ex vulnerum cicatricibus cognoscite, quia ego ipse sum. hinc colligitur cicatrices post resurrectionem seruasse per dispensationem, & nec Angelos, nec animas habere corpus. Nam Spiritus cum carnem non habeat palpari nequit: & conuenienter naturæ loquitur: nam minus tactus quam visus in diiudicando corpore fallitur. & probabilius est omnes Apostolos manibus suis contrectasse. 1. Ioan. 1. Pares in hoc Thomam & cæteros Apostolos facit S. Leo: Non ausos fuisse tangere quia putabant Spiritum esse, & ideo Christum petiuisse cibum, ait Hieron.

40. 41. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.*

& pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus pra gaudio, dixit, habetis hic aliquid, quod manducetur?] Extenuat culpam, declarans non tam obstinata incredulitate contra veritatem quam desiderio veritatis, veritatem non credidisse: sæpe qui desiderant credere timent ne fallantur, eisque illa voluptas eripiatur. Solet etiam impedire iudicium & obscurare vehemens gaudium vt Gen. 45. & Act. 12. & Ps. 125. Similes fitibundis, qui cum satis biberint, satis se non bibisse putant. Sic Apostoli cum veram fidem haberent, argumentis tamen fidei satiari non poterant. viderant, audierant, contrectauerant, adhuc sitiunt, adhuc plura desiderant. Et si *non credere* proprie sumatur: certe non erit intelligendum de omnibus qui tunc illic erant. Nam Petrus vtique, & Ioannes credebant. dignatur vesci potestate non necessitate, in quo ab Angelis differebat qui reuera non manducabant, sicut nec vera habebant corpora.

42. 43. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. & cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.*] Vt cognoscerent se vere edisse aliquid non simulate, & se cum illis tanquam cum amicis agere. Act. 10. seque Christum non alium quemlibet esse.

44. *Et dixit ad eos: hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. quoniam necesse est impleri omnia; quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis, de me.*] Q. d. quod me docente non satis credebatis fore vt traderer, morerer, & tertia die

resurgerem: saltem nunc experientia docete, credite. Quod dicit *cum adhuc essem vobiscum*. Quasi cum ista dicebat non esset cum illis: erat quidem, sed non visitato hominum modo, sicut ante, non ita vt cum illis semper versaretur, semper cibum sumeret, semper ab eis videretur: sic nunc dicitur esse in cœlo non quod etiam non sit in Eucharistia, sed non eodem modo. Vaticinia illa ex toto testamento petita credibile est tunc ea retulisse quando mortem & resurrectionem suam ante illis prædixit Matt. 27. Mar. 8. Luc. 9. Hoc nunc illis in memoriam revocat non ipso die resurrectionis, sed vltimo quo ab illis in cœlum ascendit. Act. 1.

45. 46. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas: & dixit eis: Quoniam sic scriptum est & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die.*] Mentem quam ante etiam eo docente apertam ad intelligendum non habebant vt c. 9. tunc illis aperuit vt intelligerent scripturas. vnde mirum quo modo tam faciles intellectu dicunt Caluinistæ. De passione Ps. 21. Isa. 53. Dan. 9. de resurrectione. Ps. 15. Ionæ 2. Mat. 12.

47. *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.*] Hic fructus passionis & resurrectionis, hoc etiam dicit vt fidem discipulorum magis confirmet: *Incipientibus*: Apostolis, prædicatoribus, incipiendo ab Ierosolyma. Græce *incipientem* scilicet remissionem peccatorum, ab Ierosolyma: vt

præ

prædictum erat. Pſ. 109. Iſa. 2. 28. 40. & 60. Cur autem initium prædicandi voluit ſumere ab Ieruſalem vide Mat. 15. & ſupra c. 10. & prius quàm ab alijs ciuitatibus, quia tanquam rex promiſſus veniebat, vtique Dauid ſucceſſor, vt regnum eius reſtauraret, ideſt, ex temporali ſpirituale faceret Pſ. 2. Iſa. 9. Ierem. 23. 30. 33. Ezech. 34. 37. Oſe. 3. Amos 9. Id etiam Angelus dixit ſupra c. 1. Regia autem Dauid erat Ieroſolyma: Chriſtus ergo debuit in eo loco regni poſſeſſionem accipere, vbi erat Dauid regia. Simul autem ac baptizatus eſt, non inde cœpit prædicare, quia nondum regni ſui poſſeſſionem accipiebat, quam proprie non accepit, niſi poſtquam reſurrexit deuicto hoſte: per mortem debellauit, per reſurrectionem triumphauit: ante mortem milites, ideſt. Apoſtolos, & diſcipulos cogebat, in Galilæa; quia ibi meliores erant quam in Iudæa. Ideoque ibi prius cœpit prædicare: conſcriptis militibus bellum gerebat, huc illuc prædicando, ſumma vero pugnæ in cruce Ieroſolymis peracta eſt: vt notat Mald.

48. *Vos autem teſtes eſtis horum*] Pro eritis teſtes reſurrectionis Act. 1. 1. Cor. 9. Quia quamuis Apoſtoli ſint Nuntij, hoc tamen præcipuum officium eſt, vt ſint teſtes reſurrectionis, ideoque antequam in cœlum aſcenderet, hæc nouiſſima verba illis dicere voluit.

49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate quoad vſque induamini virtute ex alto.*] Pro mittam vt *Elias ve-*

nit. Mat. 17. ideſt, venturus eſt. Spiritum ſanctum vocat promiſſum Patris, quia per Prophetas promiſſus fuerat, vel quia Patris. ſpiritus erat, & à ſe promiſſus vt Ioan. 14. & 15. aut quia promiſſus, à Patre impetrandus erat. *Sedete*, ideſt, manete Ieroſolymis, ne inermes prodeatis in campum. Spiritum ſanctum *virtutem* ex alto vocat, quia de illo loquebatur tanquam de armis quibus induti robur aquirimus, & quæ, vt veſtimentum nobis adhærent. vt Pſ. 108. *Ex alto.* Quia non humanis, ſed diuinis armis pugnare debebant: ſupra c. 21. Matthæi 10. his ipſe pugnaturus induitur Pſalmo 92. His armauit Prophetas. Ieremiæ 1. & 15. Ezechiel. 3.

51. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam; & eleuatis manibus ſuis benedixit eis: & ferebatur in cœlum.*] Vt inde pergeret ad Patrem; vnde perrexerat ad Paſſionem: & locum illum ſibi ob Magdalenam, Marthæ & Lazarum chariſſimum, ſua honoraret Aſcenſione. Et quia intra Ieroſolymam videri nolebat, ne nouam turbam excitaret, & quia locus ille vicinus erat, & quia mons erat altus, & quaſi gradus ad aſcendendum in cœlum. *Eleuatis manibus ſuis*, in ſignum orantis, & bene precantis, & poſtulantis benedictionem à Patre, quam dabat Apoſtolis. Solebant enim Iudæi orantes in cœlum manus tollere. Ex. 17. Quod omnes gentes faciunt duce natura. Et nos facimus doctore Paulo 1. Tim. 2. Vel vt eo ſigno benedictionis verba diſcipulorum cordibus penitus inſiderent, ac benedictionis gratia

ipſis

ipsis veluti impertiretur. Qui ritus in veteri Ecclesia vsitatus fuit. Leuit 9. vnde & Ecclesia, hunc ritum desumpsit, vt benedictionibus sacerdos manum eleuet, signum crucis formans, vnde omnis pendet benedictionis efficacia. Christus recessurus imitatus est in hoc Patriarchas, qui morientes filijs benedicebant. Gen. 27. 48. & 49. docuit nos facto suo, vt quoties recedimus benedictionibus subditos Deo commendemus.

51. *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.*] Dum bene precaretur suis. Græce cùm benedixisset, quia probabile est non prius ascendisse, quàm benedictionem absoluisset Mar. 16. *Recessit*, non statim, sed paulatim ascendens, vt oculis saltem sequerentur eum Apostoli, qui pedibus non poterant.

52. *Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem, cum gaudio magno.*] Græce cum adorassent eum, & se in terram inclinassent, siue ante, siue postquam Angeli illis dixerunt, *viri Galilæi, &c.* Actor. 1. Si enim tum stabant aspicientes, necdum adorabant, nam adorare est reuerentiæ causa procumbere, seseque in terram inclinare. Cum ergo tum ex Christi Ascensione, tum ex Angelorum sermone intelligerent Christi maiestatem, adorauerunt eum, iam sublimem & in dextra Patris considentem, auspicantes iam eam venerationem, quæ Christum sublimatum consecutura erat, ex Patris ordinatione ad Phil. 7. Nam non

legimus nisi hoc loco Christum à discipulis adoratum, quia quamuis Deum esse crederent, tamen quia solum in eo videbant hominem, tanquam cum homine versabantur: At quando in cœlum ferri vident, eum adorant, coacti seipsa confiteri Deũ, quem ante sola fide confitebãtur. Et rei euidentia cogit eos adorare: sic iam Christum adoramus in Eucharistia inuitis Hæreticis, certi de eius diuinitate in qua non mirum si fortè non eum adorauerint Apostoli, qui ne extra quidem eum adorabant. Facta adoratione, regressi sunt Apostoli, iuxta Domini mandatum. vers. 49. *ab Ierosolymis ne discederent.* Act. 1. idque *cum gaudio*, quia congratulabantur gloriæ sui Domini: tum quia suam fidem & spem confirmari videbant.

53. *Et erant in templo laudantes & benedicentes Deum.*] Quod Christum iam in cœlum exaltatsset, & se cum illo recipiendos sperarent. quod dicit, *erant* semper *in templo*, intelligendum omni die, & temporibus diei opportunis. quomodo & Paulus iubet semper orare, non quod non aliquando discederent è templo: sed vt intelligatur non alijs rebus fuisse occupatos, per totos illos quadraginta dies, quam oratione. Quoniam autem ad laudem & gloriam Dei succinitur, *Amen* adijcitur. quanquam apud Eutym. non addatur, Amen. Amen.

MANVALE

MANVALE IN SANCTVM

IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

IOANNES Patre Zebedæo, Matre Salome natus, Mat. 4 Mar. 1. Luc. 5. Io. 21. Mat. 27. frater Iacobi, piscatoriam cum patre & fratre artem exercuit. Mat. 4. Mar. 1. admodum iuuenis ad Apostolatum vocatus. Reuocatum à nuptijs quidam putant, & quidem ab illis quæ in Cana Galilææ celebratæ sunt. Verùm illis non tanquam sponsus sed tanquam discipulus interfuit. vocatus enim est ad eas Iesus, & discipuli eius, vt idem scribit c. 2. 2. Fuerat autem ille cum Iacobo fratre inter primos Apostolos, initio vocatus Mat. 4. 21. Virgo fuit admodum à Christo dilectus. Asia ei obtigit in prouinciam. Ephesi Episcopus fuit. inde in Pathmon insulam propter Euangelij prædicationem relegatus. Apoc. 1.

Euangelium hoc post cæteros Euangelistas, præcipuè contra Ebionem & Cherinthũ Christi diuinitatem negantes scripsit Apocalypsim, & epistolas tres. Incertum quot annos vixerit. Sexaginta octo annos post passionem Domini vixisse ait Hier. Mortuus nec ne fuerit dicemus cap. 21. 23. Ex feruentis olei dolio in quo fuerat iniectus abiit illęsus. Terr.

CAPVT I.

Verbum Dei æternum, vita & lux caro factum est.

1. IN *principio.*] Ideſt in Patre, qui principiũ ſine principio eſt, inquit Cyril. Vel in principio omnium creaturarum, vel temporũ; ideſt cum inciperent omnes creaturæ, vel tempora, iam erat Verbum. Vel quia ab eo omnia habent exiſtendi principium. S. Aug. *In principio*, ideſt ante omnia. Cyril. Alij Euangeliſtæ ab incarnatione incipiunt, Ioannes ab æterna generatione. Si quis verò dicat quòd Patrem dimittens, mox de filio loquitur; erat ille manifeſtus omnibus ſi non vt Pater, at vt Deus, vnigenitus autem ignorabatur; nec tamen Patrem tacuit, nam filium verbum vocauit.

Erat.] Rectè principij vocabulo connectit verbum, *erat*, potiùs quàm *fuit*: ſic enim fuit vt ſemper fuerit, ſit, & futurus ſit q.d. Iam erat Verbum, non habuit principium, non cœpit eſſe: quia cùm omnia, quæ principium habuerunt, eſſe cœperunt, iam ipſum erat: quod

peren

perennitatem & firmitatem significat. Hilar. 2. de Trinit.

Verbum.] ὁ λόγος, vnicum illud & singulare Verbum, ideſt filius æternus consubſtantialis, qui eſt principium de principio. Qui poteſt intelligere Verbum, non ſolum antequam ſonet, ſed etiam antequam ſonorũ imagines cogitatione voluantur, poteſt videre aliquam verbi ſimilitudinem, quod erat in principio. Naſcitur verbum quod loquimur ex ſcientia, quam memoria tenemus, & formata cogitatio à re quam ſcimus. Verbum eſt quod in corde dicimus, quod nec Græcum eſt, nec Latinum, nec alicuius linguæ, & verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi intus latentis, propter quod & verbum dicitur. Auguſtin. 15. de Trin. cap. 10. Quod græcè λόγος, Latinè ratio, definitio, & verbum, quòd ſine paſſione à Patre procedat, vt ratio ſeu notitia ex animo; quodque Patri intimus vt animo ratio: Et quod nos rationi obſequentes faciat: Et quod velut definitio, Patris naturam exprimat, vel quod ſit omnium rerum definitio quædam, & quòd procedat à Patre vt à mente verbum. Alij Verbum dictum putant, quia per illud Deus omnia fieri iuſſit. Alij quòd nobis ſit interpres paternæ voluntatis, atque ſententiæ Sicut verbũ vocale noſtrum mentis, voluntatiſque noſtræ interpres eſt. At cur non potiùs filium dixit quam Verbum? Ne ſi vocaſſet filium aliquid fortè carnale, aut paſſibile lector cogitaret: vt accidit Arianis, qui non potuerunt intelligere filium ſine fœmina, & carnali cõiunctione. Vel quia vulgò inter Iudæos filius Dei, Verbum vocabatur: Et erat magis accõmodatum ad id

quod postea erat dicturus; Omnia per ipsum facta esse. Vel quia id erat lectori gratius, quòd ad nos docendos Verbum mitteretur. Et quia legatus erat Patris, qui pro eo mittebatur, pro eo loquebatur, pro eo Ecclesiam gubernabat.

Et Verbum erat apud Deum.] Dixit quando erat Verbum: nunc vbi erat. Ne quis diceret si in principio, & ante omnia erat Verbum ab æterno, vbi ergo erat cùm adhuc nihil esset, & nullus esset locus? Ideo subiecit. *Et Verbum erat apud Deum.* Erat in sinu Patris, & non apparebat: postea apparuit. 1. Ioan. 1. Erat apud Patrem, & apparuit nobis. Erat verò apud Patrem, vt persona distincta & indiuulsa. Græce πρὸς τὸν θεὸν, Deum illum qui Pater est. At cur non dixit, & Verbum erat apud Patrem? Quia non dixerat, In principio erat filius. Et periisset gratia orationis si dixisset, & Verbum erat apud Patrem. Nec enim poterat alterum membrum incipere, & Pater erat Verbum, quia Verbum non est Pater. *Apud Deum*, i. in Deo. vt cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Colligunt alij filium à Patre distingui persona. Qui enim apud alium esse dicitur, distincta persona est. Ariani colligunt filium non esse eiusdem cum Patre naturæ, quia *apud* videtur rem natura distinctam & externam significare. At dicitur esse apud Deum à quo originem duceret, tanquam in domo paterna: non defuisse illi vbi esset qui esset apud Patrem. Vbi enim commodiùs filius esse potest, quàm apud Patrem. Alij dicunt *apud*, intimam coniunctionem significare, cum Patre, in sinu Patris. Alij idē esse Verbum esse apud Deum, & esse inuisibile, esse absconditum. vt Iob c. 4. 14. Erat quidem sed nō

appa

apparebat, apparuit cũ Verbũ caro factum est. Alij æqualitatem Verbi,& Patris significare,vt sedet ad dexterã Dei.i.Patris.Marc 16.19.Rom.8. 34. Eph.1. Col.3.1 Heb.1.& 8.&10.1.Pet.3. Et cùm Ioannes dicere voluit vbi erat,vbique voluit dicere,ad dexterã Patris fuisse.At cur priùs dixit Verbũ fuisse apud Deum quàm esse Deũ: Vt declararet nihil aliud fuisse, quã illum ipsũ Deum,apud quem erat. Hilar.7.de Trin.

Et Deus erat Verbum.] Græcè & Verbum illud erat Deus. Ab ea voce incipere voluit, in qua desiit Heb. more. Postquam explicauit quando & vbi erat Verbum,ipsius substantiam nunc,& naturæ identitatem, cum Patre declarat: ne ex secundo membro, ita à Deo Patre intelligeretur Verbum quasi & natura illi sit diuersa,& Deus esse non crederetur,cũ & vnus sit Deus, & apud Deum Verbum fuisse dictum sit. Ariani dicunt quod hîc nomen *Deus* articulum non habet,vt in membro præcedenti,& ideo Patrem esse verum Deum, filium non verum, vt qui quasi minor Deus appelletur. At Chrys. notat Patrem aliquando sine articulo, Θεὸν dici,vt Rom.1.7.Cõtra verò filium τὸν Θεὸν, Deum cum articulo vocari.Rom.9.Ariani contendunt vocari quidem Deum, sed eo modo quo Moyses Deus Pharaonis, & quo homines sancti, Dij vocantur. At non absolutè Moyses dicitur Deus, sed Deus Pharaonis;idest opinione Pharaonis. Verbum autem absolutè dicitur Deus.Et cum dicitur Psal.81. *Ego dixi, dij estis*, significatur eos beneficio, non natura fuisse Deos. Hil. Et quia additur, *Ego dixi*, satis declaratur Deos hos esse,reputatione Dei gratuita. Ex hoc loco Christum verum esse Deum

firmissima fide credimus: & esse Patri consubstantialem, & sic esse vnius & eiusdem substantiæ cum eo, vt sit ab ipso procedens. Remouit autem articulum à Deo, nõ vt naturæ inæqualitatem significaret, sed vt processionem ipsius insinuaret: quia licèt Verbum sit Deus & eiusdem substantiæ, cum eo apud quem est, ab eo tamen producitur Deus de Deo, idem quidem cum Patre, sed procedens à Patre, habens eandem substantiam, sed quam Pater à nemine, Verbum à Patre accipit. Orig.

2. *Hoc erat in principio apud Deum.*] Explicata verbi natura & existentia, describit quendam verbi statum & conditionem. Sensusque est, hoc Verbum in principio antequam quicquam factum esset, erat apud Deum, i. tantum erat apud Deum, q. d. Nondum carnem susceperat, nondum se manifestauerat, sed erat solum apud ipsum Deum, in sinu Patris absconditum, inuisibile, & non manifestum: neque ad quicquam aliud referebatur quàm ad Deum ipsum à quo procedebat: vt 1. Ioan. 1. Vbi supplenda est particula, *tantùm*, vt ad Rom. 2. & 4. & alibi fæpe: sicut & in hoc loco. Hoc Verbum, in principio erat tantùm apud Deum, non autem apud nos, quale fuit carne assumpta. Vtitur pronomine, *hoc*, ad eandem naturam verbi demonstrandam, quamuis ex Græco referri etiam possit ad Deum, tamen Latina versio ab Ecclesia recepta refert ad Verbum. Chrys.

3. *Omnia per ipsum facta sunt.*] Exponit secundum statum verbi, quando non tantùm apud Patrem erat, sed ad creaturas etiam cœpit se conuertere. q. d. Erat quidem hoc Verbũ apud Patrem quando omnia fecit: nec tantùm

erat apud illum, sed per ipsum Pater omnia fecit; in quo breui explicat quod Moyses longo sermone. Imò plura significat quàm Moyses; nam non expressam significauit mentionem spiritualium substantiarum, sed sensibilium; quæ populi oculis cernebantur; at Ioannes voce omnia, cuncta concluſit; nec fecit sine mysterio: nam beneficium creationis narrans, illi populo, qui nondum redemptionem acceperat, multis verbis amplificauit, vt pote omnium acceptorum maximum; sed Ioannes ad quiddam maius narrandum properans, nempe redemptionis opus, propter quod Deus homo factus est, cuius collatione illud iam minus cēsebatur, breuiter & velut summatim ad maiora progrediens illud declarat. Nam Euangelium Deum Redemptorem, vetus autem Testamentum Deum creatorem prædicat. Multò autem maius & dignius est, Deum hominem esse factum, quàm cuncta à principio creasse, in quo tacitè Ioan. insinuat, vnum esse, & eundem Deū Creatorem & Redemptorem, cùm vtrumque Verbo perfecerit, & eundem auctorem veteris & noui Testamenti cōtra Manichæos. At Ioan. docet vno & eodem Verbo vtrūque perfeciſſe: ac ob id creationis meminit, vt per eū recreata, & creata omnia cognoscamus, per quem & facta fuerunt. Ex voce, *omnia*, Macedonius tollere voluit Spiritui sancto diuinitatem. At non dixit absolutè omnia esse facta, aliàs ipse, & Pater esset factus: sed omnia quæ facta sunt, per ipsum facta sunt. Spiritus autem Sanctus factus non est. Adde omnia dici facta, quæ sunt extra facientem: at Spiritus sanctus est ex parte facientis, quia opera Trinitatis ad extra sunt indi-

indiuisa. Ex voce, *per*, Ariani dixerunt filium esse minorem Patre, vt pote per quem tanquã per instrumentum, fecit omnia. At non ministrum, non instrumentum, sed causam principalem, hæc particula hic significat: vt 1.Cor.1. Vox *fecit*, extenditur tam ad ea, quæ ex aliquo, quàm quæ ex nihilo fiunt. Ideo non dixit, Omnia per ipsum creata sunt, sed facta sunt. Orig.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.] Quod dixit per affirmationem idem cõfirmat per negationem, & per numerum singularem, ne quis dictum esse fecisse omnia putaret quia multa fecit, vt 1.Cor.9. ad Philip.2. *Omnes quæ sua sunt quærunt.* Ideo ne quis ita dictum arbitraretur adiunxit generalem negationem in singulari, vt nec vnum singulare excludi significaret, quod non esset per Verbum factum. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, i. nulla res est facta, quæ non sit per ipsum facta, seu quæ sit sine ipso facta, & est phrasis Hebr. vt 1.Reg.3. Isa.39. Addidit, *quod factum est*, vt hæc verba ad præcedentia, nempe ad ea quæ facta sunt referret: & esset sensus, *Sine ipso factum est nihil quod factum est*; i. Ex his quæ facta sunt, nihil est quod non sit per ipsum factum. Et est phrasis Hebr. vt 1.Reg.1. οὐκ ἦν. *Sine ipso factũ est; ne vnum quod factum est.* Quod quidem magis exprimit vniuersitatem quam si dixisset οὐδέν, nihil. vt Psal.138. *Et nemo in eis*, Hebr. & non vnus in eis. q. d. nec vnus erit dies, vt 1. Mac. 7.

Triplex hic lectio. Prima quam vulgus sequitur, vt post illud *nihil*, sententia puncto claudatur, & per nihil malitia seu peccatum

intelli

intelligatur, deinde sequatur, *Quod factū est in ipso vita erat.* 2. vt vsque ad pronomen, *ipso*, punctum non ponatur hoc modo, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso*: deinde legatur, *Vita erat, & vita erat lux hominum.* 3. vt post illud, *quod factum est*, sententia finiatur, deinde noua inchoetur, *in ipso vita erat*, quæ sensum meliorem & faciliorem videtur habere.

4. *In ipso vita erat.*] Pergit recensere opera verbi, & effectus, & ab opificio mundi quod per verbum factum est, ad reparationem hominis, quę in ipso verbo facta est, exponendam transit. *In ipso*, inquit, *vita erat*; i. non tantum per verbum Deus omnia creauit: sed etiam in eodem verbo vitam æternam & spiritualem fecit. Nam homo, quem Deus per verbum creauerat, seipsum & suos posteros peccato infecerat, æternæ mortis in anima & corpore factus reus. Hunc ergo verbum in seipso viuificare voluit, vt eodem verbo, per quod omnia facta erant, homo, qui omnia quodammodo complectebatur, ad vitam reuocaretur. In ipso igitur vita erat, vt clariùs idem Ioa. 1. Ep. 5. dixit. Nec aliter fecit hominem viuere, nisi per carnem quam assumpsit. Illud, *erat*, insinuat, 1. æternam Dei dispositionem, & voluntatem qua verbum decreuit vitæ reddere casurum hominem: vt 2. Tim. 2. & ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* 2. innuit à mundi principio, etiam ante carnem assumptam in verbo, datam esse hominibus vitam, per fidem futuræ incarnationis, 1. Cor. 10. *Bibebant de cōsequente eos petra.* & Apoc. 13. Iam videndum quid alij per vitam intelligant. Chrys. virtutem ipsam

ipsam verbi quæ est ipsummet Verbū, qua cuncta creat, conseruat, & gubernat. Cyr. vitam rerum omnium creatarum, durationem, & permanentiam esse dicit; quia dat conseruari rebus omnibus. Aug. ipsammet verbi substantiam quæ vita est: omnia enim creata sunt vita in Deo, per Idæam. Ambr. & Athan. probabilius hanc vitam spiritualem quæ per gratiam est, & consummatur in æternum per gloriam 1. Io. 5. & Act 3. Dicitur auctor vitę, verbū vitę 1. Io. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 11. 14. 17. interpretantur. Alij vitam viuentium exponunt, quia verbum dat vitam iis quæ viuunt. Sed aliqui ad verbum ratione solius diuinitatis; aliqui ad ipsum carne indutum referunt. Notanda phrasis Heb. *in ipso vita erat.* i. ipse erat causa vitæ: vt Act. 4. *Non est in aliquo alio salus*, i. non est alius salutis causa. & Psal. 3. Omissis variis lectionibus, quas hæc verba, (*quod factum est*,) cum antecedentibus pepererunt, triplex cum sequētibus reperitur. 1. vt illud, *in ipso*, iungatur cum illo, *quod factū est*, sitque lectio talis, *quod factum est*, in ipso vita erat. Ex qua lectione Manichæi ex Augu. inferebant omnia viuere, etiam ipsos lapides: & esse alia quæ non sunt a verbo facta: vt mors & mala, & sic duo esse principia, vnum bonorum, alterum malorum. Ariani inde inferebant verbum esse factum: ex Amb. in Ps. 36. Macedoniani colligebant Spiritum sanctum esse factum: quem per vitam intelligebant. Orig. Sic interpretabantur, quod factum est in spiritualibus hominibus vita erat. Catholici autem sic exponunt, Amb. *Quod factum est in ipso*, nempe Christo, vita erat in verbo autem seu Christo, facta est caro, passio, mors, hæc autem vita nobis

bis sunt. Athan. *Quod factum est in ipso, i. per ipsum*, vita est, scilicet spiritualis. 2. Lectio est S. Aug. vt illud, *in ipso*, iũgatur sequẽtibus sic: *quod factũ est vita erat in ipso*: quia omnia in verbo vt in exemplari & in causa vita sunt. Et Cyril. Verbum erat vita in ipso, quod factum est, seu dat vitam omni rei, quæ facta est, id est, res omnes conseruat, & per vitam durationem intelligit & conseruationem. S. Clem. Alex. sic vt quod factum habeat vitam gratiæ. 3. Lectio est vt illud, *in ipso*, nulli iungatur extremo. q.d. quod factum est, in ipso, supple est, nempe in ipso verbo Orig.

Et vita erat lux hominum.] Alius est effectus verbi. q.d. Verbum, in quo vita erat, se manifestauit, & lucem sparsit, vt cognoscerentur, & vitam daret. Nam vitam nemo habuit nisi per fidem eius, in quo vita erat. Ideóque verbum lux erat. Eph. 5. Io. 8. Cum dixit, *in ipso vita erat*, ibi vita pro ea quam verbum efficit & dat nobis, ponitur: & cum subiunxit, *& vita erat lux*, vita pro ipso verbo, quod est causa vitæ sumitur: & vt hæc distingueret *vita* in priore fine articulo, in posteriore cum articulo scribitur. Similiter & lux, illa lux, vt ipsum idem verbum significaret: & ad vitam assequendam necessarium esse lumen, quo verbum hoc luceat in cordibus nostris. Non enim viuere facit, nisi quos fide sua Christus illuminat, Ioa 8. & 17. q.d. Vita non sum, nisi iis quibus sum lux. Nota quòd illud, *erat*, verbi æternitatem insinuat. Nam quamuis in tempore se manifestauit, in carne tamen persona, quæ se manifestabat, erat æterna. Indicat etiam non tunc incepisse Christum illuminare, & lumen esse quando

carne

carne indutus est, cum ante incarnationē suum aduentum multis ad vitam manifestauerit, qui iusti fiebant in fide venturi. Quidam lucem dixerunt esse lumen rationis a natura inditum hominibus quo verbum capaces reddit rationis. Alij lumen fidei, quod cordibus infundit ante & post aduentum. Alij lucem hanc esse Verbum factum iam carnem. Alij melius, lux dicitur verbum in carne, qui Christus est, ita tamen vt nondum carne susceptā lux sit, sicut sol qui antequam Orizontem ascendat emittit radios, & mundum illuminat. Quanquam magis illuminet post aduentū. Cū dixit lux hominū Orig. Angelos nō excludit vt cum dicitur, *Deus Abraham, Isaac, Iacob*, cæteri non excluduntur. Alij dicunt nomine hominū etiam Angelos significari, qui etiam in scriptura homines dicuntur. Alij dicunt quod verbum ratione carnis nō erat lux Angelorum cum non Angeli sint redempti, sed homines quorum causa verbum carnem assumpsit, & eorum doctor, lux, & vita est factus. Ideóque colligitur non de luce naturali, quæ communis est Angelis, sed de supernaturali, quæ solis hominibus datur à verbo; ratione humanitatis locutum esse Euangelistam, ex Orig.

5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*] Verbum, in quo vita erat, & quod lux erat hominum ad vitam etiam nondum carne susceptā, visibile tandem apparuit, & susceptā carne lucet 1. Io. 1. Erat prius inuisibilis lux, & spiritualibus oculis per fidem tantum cernebatur. At iam lucet, & visibilis facta est etiam oculis, & sensibus corporeis, exterioti verbo, & operibus suæ potentiæ illustrās homines

mines Isa.52. & Bar. 3. & 2. Tim. 1. Hæc autem lux lucet in tenebris : quia veniens Christus in mundum, ignorantes Deum & à via salutis deflectentes inuenit: his se visibilem doctorem veritatis exhibuit, Isa. 9. Tenebras appellat homines Deum ignorantes & viam salutis : vt Eph. 5. de quibus Mat. 15. & 22. Vsus Euangelista verbo *lucet*, ad significandam præsentem quidem in carne, sed perpetuam & indeficientem illuminationem : nam per Apostolos & successores semper lucet Christus. Plurimi tamen Iudæorum magis dilexerunt tenebras quam lucem: & hæ sunt tenebræ quæ lucé non comprehenderunt, non perceperunt : vt Ro. 9.

Dices si lux est in tenebris, nō lucet & si lucet non est in tenebris At sol nemine aspiciente lux est, & lucet quāuis multi locis subterraneis se abdentes, aut oculos aperire nolentes, lucem eius nō percipiāt. Sic lux illa verbum in carne radios suæ doctrinæ sparsit inter infideles, quāuis illi aperire oculos mētis noluerint vt fidem reciperent, & salutem consequerentur. Alij sic exponunt, *lux in tenebris lucet*, Verbum apparuit in carne mortali & passibili, in similitudine carnis peccati ; & tamen omnes inferni potestates non potuerunt prqualere contra illud. Alij lucem Christum, tenebras animam & naturam nostram, quæ quantumuis illuminetur, & Christus in ea luceat; tamen comprehendere non possit , sed semper eius comparatione tenebræ maneat. Alij lucem verbum ipsum, tenebras carnem : lucem i. diuinitatem in carne luxisse, nec eam tenebras carnis comprehendere, i. obscurare potuisse. Alij lucem diuinitatem, tenebras res vniuersas, in quibus luxerit,

nec

nec tamen eum comprehendere, i. inquinare potuisse: vt sol sordibus non inquinatur. Alij lucem Christum, tenebras peccata, quæ illum non comprehenderunt, 1. Pet. 2. quia peccatum non fecit. Alij lucem Christi diuinitatem, quæ cum luceret omnibus rebus, & posset ex illis cognosci, Rom. 1. 19. & Sap. 13. tamen homines, qui tenebræ erant, non cognouisse. Alij lucem Christum, & eius doctrinam; tenebras homines qui in peccatis, i. in tenebris erant. Bonitate sua omnes prorsus homines volebat illuminare; homines autem malitia sua oblatam ab eo lucem recipere noluerunt. Orig.

6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*] Dixerat Euangelista, de iis, quæ ad diuinitatem verbi spectant; iam de verbi incarnatione dicturus, sermonem de præcursore interserit. Cyr. tanquam testem eorum quæ dicta essent citari putat; ideóque dici hic, *venit in testimonium.* Alij quia dixerat tenebras i. Iudæos lucem non comprehendisse, i. Christo non credidisse: adiungit nunc Deum ex parte sua, ea media ob quæ credere illi, & cognoscere potuissent, non prætermisisse: misit enim hominem, cui nomen erat Ioannes, cui munus hoc à Deo iniunctum erat vt populum disponeret, & eo præparato indicaret Christum: ac de ipso redderet testimonium. Alij quia Ioannes sex ante Christum menses natus est, & aliquando priusquam ille baptizare & prædicare cœpit, antequam de Christi natiuitate agat, de Ioanne agit. Dicit ergo à Deo missum, vt commendet eius testimonium. Missus autem dicitur, non quasi tunc cum prædicare cœperit, sed cum primum est in vtero conceptus; vt

colligitur ex Græco ἐγένετο extitit, natus est. Nomen expressit, quia ad fidē facit historiæ, & quia illud commendat testem, cum significet Dei gratiam: illum enim qui gratiæ autor est indicare veniebat. Luc. 1. ex Chrys. Et nota errasse Origē. qui dixit Ioannem non fuisse hominem natura, sed vnum ex Angelis cœlestibus, qui missus est, vt assumpto corpore testimonium perhiberet de Christo, & probat ex 3. Mal. *ecce ego mitto Angelum meum.* Et conuincitur ipsa voce, *Homo.* Augustin.

7. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.*] Explicat officiū ad quod missus est Ioannes à Deo, nempe vt testimoniū perhiberet de luce, nempe Christo, ostendendo eum esse verum Messiam, verum Deum & hominem. Quæres quare Ioannes in testimonium venerit cum Christus dicat Ioan. 5. *Ego ab homine testimonium non accipio.* Respondet Chrys. non ideo venisse quod Christus, sed quod homines vt Christo crederent, eius testimonio indigerent. Quia in primo aduentu nō in maiestate, sed in paupertate, & abiectione venit. Zach. 9. Non contentus huius paupertatis præmonuisse per scripturas, voluit Deus testem quendā nobilissimū, sanctitate vitę celeberrimum mittere, qūi sua voce Christum designaret: huic si non credant cui credent? Io. 5. 33. Misit insuper Iudæum vt Iudæis prophetias & scripturarum sensum de aduentu Christi aperiret, & ad eas intelligendas per pœnitentiam præpararet, vt veritatis lucē reciperent; & vt testimoniorum esset abundantia, & alij ob vnum, alij ob aliud crederent. Deus enim non necessaria tantum sed cumulata etiam media

media ad salutem exhibet. Chrysostom.

Vt omnes crederent per illum.] Hic finem testimonij exponit, nempe vt esset mediū quoddam, per quod Christum cognoscerent, & illi crederent. In quo indicat non Christi causa, sed Iudæorum imbecillitate & malitia, eius testimonium fuisse necessarium. Non dixit vt crederent in illum, quia Ioannes non erat in quem, sed per quem, credendum erat in Christum. *Omnes*; intellige, quibus missus est. Ioannes enim missus est soli populo Iudaico. ex Mat. 10.4. & 15. Si autem illi non crediderunt ipsorum fuit culpa, cùm omnibus illis missus fuerit, & sufficientem rationem dedit omnibus ad credendum. Chrys. & Beda.

8. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*] Subauditur venit, missus est. Sciebat Euangelista, magnam Iudæos de Ioanne opinionem concepisse, cogitantibus ne forte esset Christus: ad cõfirmandam priorem sententiam adiunxit, *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*, venerat, missus erat: non absolutè dixit, *Non erat lux*, sed cum articulo, *Non erat ille lux* illa de qua dictum est, *Erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* Propterea ad distinctionem dictus est lucerna ardens. Nec obstat quod Apostoli dicuntur lux mundi: erant quippe, sed lux à luce Christo, qui eos fecit lucem. Sic Ioannes etiam lux fuit: sed quia hoc in loco comparatus est Christo ob id negatur esse lux. Sol ex seipso, luna non nisi ex sole lumen habet. Tantæ autem fuit sanctitatis, vt Christus credi potuisset. Nam non negamus de aliquo nisi quod ei aliqua ratione esse apparet. Theoph.

Erat

Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.) Dixerat Ioannem non esse lucem, sed qui testimonium perhiberet de ea; huius rationem reddit ex proprietatibus lucis quæ Ioanni non conueniunt. *Erat* æternitatem indicat. *Vera*, quia non ab alio illuminatur, vt luceat, sed ex se lucet. *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non Iudæos solùm sed & omnes gentes. Ioannes autem solos Iudæos illuminauit luce accepta ab alio *Lux* cum articulo ponitur, vt excellentia personæ, quæ lux est, significetur. Rursus *vera* cum articulo est, vt insinuetur doctrinæ eminentia, quæ ab hac luce defluit. q. d. erat lux illa, lux illa vera. Dicitur autem lux illa omnem hominem illuminare, quia sufficiens lumen, vt sol, diffundit vt omnes illuminet: & omnibus propositus est vt videant, Quod si qui non vident, solis defectus non est. Sic Christus in hoc mundo omnibus quidem hominibus quantum in se est, & ex efficacia lucis suæ lucet; si autem non omnes illuminantur, non est defectus lucis huius. Et sermo est de luce supernaturali, quæ est per fidem Christi, in quo est salus. Dicitur autem illuminare venientem in hunc mundum, quia sermo de illuminatione per fidem, quæ datur in hoc seculo, non in altero: vt Ioan. 3. Homines autem cum in mundo nascuntur venire in mundum dicimus. Dicitur autem *lux vera* metonymicè, quia quod facit lux ista vera in corporibus, id verius & perfectius ille in animis facit: quia verius ille animum illuminat, quam sol corpus. Sic dictus est vitis vera, Io. 15. non quòd verè & propriè vitis sit, sed quòd verius eos

qui

qui in se credunt, quàm vitis palmites, nutriat & sustentet: & cibus verus, non quòd sit verè cibus, cùm non panem, sed verum corpus suũ nobis cibum dederit; sed quòd meliùs & veriùs animos nostros, quàm verus iste cibus quo vtimur corpora nutriat, Ioan. 6. 55. Qui nolunt hoc dono frui sibi ipsis imputent hanc cæcitatem ait Aug.

10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*] Græcè, illud non cognouit, quia refertur ad verbum, non ad lucem. Huc vsque de verbo diuino duo dixit: vnũ est quòd omnia per ipsum facta sunt: alterum quòd vita erat, & lux hominum, in tenebris lucens, ab eis non comprehensum: illud ratione diuinitatis, hoc ratione humanitatis habet. Hęc duo nunc confert Ioannes: de priori dicit, verbum illud, per quod omnia facta sunt, erat in mũdo, & mundus per illud factus est, & tamen ipsũ mũdus non cognouit, nec ex præsentia cũ in omnibus esset; nec ex operatione, cum omnia per ipsum facta sint. De posteriori dicet, venit in propria per carnem, nã sui non receperunt ipsum, quamuis visibile in carne venerit, & ad sua propria venerit. Et docet vnum alterius causam esse, q. d. quia mundus non cognouit ex sua præsentia & operatione, Verbum propterea venit in carne: vt 1. Cor. 1. Quòd dicit, Verbum *in mundo erat*, non tantum præsentia quædam significatur, sed conseruatio, gubernatio, & cooperatio cum omni agente, vt sit, permaneat, & operetur: vt Act. 17. Et quod dicit, mundus per ipsum factus est, non indicatur sola creatio, sed creaturarum varietas, perfectio, earum ordo & dispositio & harmonia.

harmonia. Ex his duobus mundus non cognouit, verbum in sua diuinitate. In duobus primis locis mundus significat molem sensibilem creaturarum. In tertio homines Deum ignorantes, quamuis aliqui semper fuerint fideles ante Christi aduentum: sed à maxima parte mundus nominatur; Quod mundus non cognouerit Verbum, vt distinctam personam à Patre, nec mysteriũ Trinitatis, erat excusatione dignum, nam per illa duo Trinitas non potuit cognosci vt probat Athan. lib. de cõmuni essent. Patris & F. & S.S. At verò mundus potuit aliquo modo cognoscere verbum ratione diuinitatis, quatenus vnus Deus, sapiens, æternus, primum omnium principium, omnia gubernans, & conseruans. Et quia sic non cognouit, ideo inexcusabilis est. Ro. 1. Quia ergo mũdus nulla ratione cognouit verbum, ideo voluit in carne venire. Ita Tolet.

11. *In propria venit, & sui eũ nõ receperũt.*] Prosequitur alteriã partẽ de verbo ratione carnis assumptæ. Vt igitur quatenus Deus est in mundo erat, & mundus eũ non cognouit, sic etiã ratione carnis assumptę venit in propria, & sui eum non receperunt. Per propria & suos, intelligit Iudæos, qui erant populus Dei, cui aduentus verbi promissus erat, qui ipsum expectabat, qui in ipsum venturum credebat, qui ipsum lege, sacrificiis, ceremoniis figurabat, qui à Prophetis prænuntiatus. Hi tamen ipsum venientem non receperunt, nec ei fidem adhibuerunt. Io. 5. auget culpam quòd proprius populus erat ille tot beneficiis affectus, & cæteris prælatus: & quòd non solum non cognouit, sed nec recepit, sed repulit. Per propria in quẽ vt venit per

carnem assumptam, nec Iudæi nec Gentiles eum receperunt, mundum intelligit Aug.

12. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.*] Indicat quod alij quã sui eum receperunt q.d. Quamuis sui eum non receperunt, tamen multi eum receperunt, & erunt qui recipient, in eum credentes: quibus talis receptio fructuosa & honorabilis est. Nã data est eis potestas à verbo vt filij Dei fiant, & denuo nascantur ex Spiritu. Et talis potestas datur omnibus siue Iudæis, Græcis, barbaris; siue liberis, siue seruis, Act. 10 Ro. 10. Gal 3. qui eum recipiunt per fidem, cæteris verò non. In quo indicatur gentium vocatio, Iudæorum verò reprobatio Act. 13. Cùm dicitur, *Sui eum non receperunt*, non singuli Iudæi sunt intelligendi, nam à multis ex suis receptus est: sed à maiore parte fit denominatio: vt Luc. 14 Quæres quomodo Christus iis qui se receperunt potestatem dedisse dicatur, vt fierent filij Dei, cùm iam recipiendo ipsum, filij Dei facti essẽt: nam ex Deo iam natos fuisse ait. Quid autem est aliud filium Dei esse nisi natum esse ex Deo? Cyril. ait Gentibus dedisse potestatem eo ipso quòd repulsum à Iudæis ad eas transtulit Euãgelium. Theoph. ait dedisse iam credentibus catechumenis potestatem, vt filij Dei fierent, cùm baptizarentur, nam per baptismum homo regeneratur Chrysost. & Aug. dicunt hominem non per solam fidem filium Dei fieri, nisi & charitas, & charitatis opera accedant. Ergo per fidem ius tantum & potestatem hominem accipere, vt filius Dei fiat, per charitatem fieri: & quia charitatem, nisi qui fidem habet, habere non potest, dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui

qui credunt in nomine eius. Cum iam credentibus loquebatur Christus, cùm dicebat, *Diligite inimicos vestros &c. vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Mat. 6. Ex quo refellitur hæresis nostri tēporis de iustificatione. Theop. ait propriè eos dici filios Dei, qui potiuntur hæreditate filiorum in cœlo. Ro. 8. q. d. Dedit eis potestatem hæredes Dei, & cohæredes Christi, & suos fieri. Nam quos D. Paulus ad Ro. 8. filios futuros dixit, eodem cap. dixerat futuros hæredes. Greg. hom. 6. in Ezech. per potestatem, ἐξουσίαν, dignitatem, honorem, & excellentiam ait significari q. d. Dedit eis hanc excellentiam & dignitatem, vt filij sint Dei. Quid hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius creatoris? S. Amb. & Aug. aiunt hanc particulam positam, vt hominum filiatio distinguatur à filiatione Verbi: quia natura non sunt filij, sed gratia. Verbum natura filius est, ob id non habet potestatem filiationis. Athan. ser. 3. contra Arian. dicit hanc potestatem esse gratiam, vt sint filij non ex natura sed ex gratia. Dices cum iusti in veteri lege, etiam filij Dei adoptionis essent, per fidem & gratiam Christi venturi, quid noui attulit Euangelium, cùm dicitur eis, qui receperant. dedisse potestatē filios Dei fieri? Respondetur id verū esse, nempe tunc fideles iustos filios dici adoptionis Dei; tamen in figura: illorum enim adoptio figura erat nostræ adoptionis. Alij dicūt aliud esse filium esse, aliud habere statum filij. Infantes & pueri, filij sunt, tamen statum filij nōdum habent. Status filiorum est libertas, & quod sint sui iuris, & possint pro arbitrio dis-

ponere de suis: quod non habent filij nisi ætate legitima. In lege iusti, filij veri erant, vt nos, tamen paruuli, ad Gal. 4. Statum nondum habebant, erant sub lege timoris, erant conditione quidem filij, sed statu serui: At in Euangelio per Christum remota est lex, & pedagogus, peruenit ad ætatem iustus, in Christo libertate donatus est: ob id statum filiorum Dei habemus, sed non completur adoptio in hoc seculo, quia mente iustus liber est, carne tamen seruit: in gloria autem consummatam ab omni peccato & miseria consequetur libertatem. Et ob id iustus dicitur expectare adoptionem filiorum, Rom. 8. non quod non sit filius in hoc seculo, sed quòd nondum plenam consecutus est libertatem. Hanc potestatem nullus nobis auferre potest nisi nos ipsi ait Chrys.

His qui credunt in nomine eius.] His, inquit, eã dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius. Gr. credẽtibus in nomẽ eius. Credere in nomen eius, est credere ipsũ esse Christum verũ in lege promissum, ipsum esse Dei filium qui venit vt nos redimeret. 1. Io. 5. Præpositio, in, dicit qui simul fide per intellectum, & charitate per voluntatem fertur in Deum. Aug. Serm. 61. de verbis Domini. Et ex hoc loco nihil habent hæretici in sola fide iustitiam ponentes; nam credentibus datur potestas, vt filij Dei fiant, non quòd fides sola, eos tales faciat, sed Baptismus, per quem rectè susscipientibus infunditur gratia, & charitas, & cæteræ virtutes, in quibus vnà cum fide tanquam fundamento cæterorum, formalis iustitia consistit. 1. Ioh. 5. Vbi docet Deum in illo manere, non qui credit, sed qui diligit. Aug.

13. Qui

13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt.*] Declarat quare isti sint filij Dei, & dicit quia non vt priùs carnali generatione, seu ex sanguine, & concupiscentia carnis, & viri; sed ex Deo nati sunt; ideſt habent alium partum dissimilem naturali, per quem ex Deo nascuntur. Ideóque filij Dei sunt, vt Ioan. 3. Enumerat omnia quæ in generatione naturali reperiuntur. Ex sanguinibus nasci commune est omnibus hominibus: nam omnes formantur ex sanguine, vt ex materia, tam virili quam muliebri: sed quidam ex inhonesto concubitu: & ij dicuntur nasci ex voluntate, seu ex cõcupiscentia carnis. Alij ex viri voluntate nascuntur, qui ex iusto, & honesto: Et hi, & illi quamuis cum peccato, & ex peccato nati sint, possunt nasci ex Deo & esse filij Dei. Alij dicunt, *non ex sanguinibus*, nihil esse aliud quàm nõ humano more, non ex viro, non ex fœmina; sed ex Deo, ideſt spiritualiter, non corpore sed animo, renouari spiritu mentis. Eph. 4. 2 Cor. 4. & vno verbo iustificari non fide tota, sed sola fide & charitate, quæ Christiani hominis est anima. Quod etsi plerumque baptismo fit, vt Ioan. 3. & ad Tit. 3. tamen & ante baptismum aquæ, per baptismum, quem vocant, voti, & post baptismum per pœnitentiam fieri solet.

14. *Et Verbum caro factum est*] Tacitè locutus est de verbi aduentu, dicens Verbum lucere in tenebris, & in propria venisse. Nunc modum aduentus explicat. *Verbum*, inquit, caro factum est. Et hæc verba sunt causa eius quod prius dixit. *dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt*, in ipsum, quia Verbum ca-

10 factum est. Nam si filius Dei filius hominis factus non fuisset, vtique homo non factus esset filius Dei. Particula, *&* pro, *quia*. Posset aliquis dicere, Quomodo qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & voluntate viri natus est, fieri potest filius Dei? Respondet ipse, nolite mirari, quia Verbum caro factum est, & verus filius Dei factus est homo, ex carne & sanguine; maius est hoc, & illo mirabilius, & dignius. Est autem cum articulo verbum, vt insinuet illud idem esse de quo dictum est, *in principio erat*, & *apud Deum* &c. Illud internum, non illud per quod locutus est nobis, quod impropriè Verbum est. Hoc idem caro factum est. Caro pro toto homine, ex anima & carne, vt idem sit ac Verbum homo factum est. Pars pro toto. Et nomine carnis potiùs vsus est, quàm hominis, ad demonstrandam Dei benignitatem, qui se ad carnem vsque demiserit: & ne incredibile putaretur homines Dei filios fieri; non dixit Verbum venit in carnem, ne sic Verbum in Christo esse intelligeremus, sicut est in prophetis, & iustis per lumen prophetiæ, aut per gratiam. At in hoc quod Verbum factum est caro, vnio realis duarum naturarum, verbi & hominis in vna persona significatur, secundùm quã dicitur, Deus est homo, & homo est Deus. Quod in illis cõiunctionibus dici non potest. Nec dixit, Verbum carnem assumpsit, quia hæc verba magis declarassent ad quam dignitatem euecta esset caro quàm ad quam vilitatem abiectum esset Verbum. Quot hæreses ex his verbis ortæ sint vide apud Tol. Maldon. & Iansf.

Et habitauit in nobis.] Conuersando, conuiuendo,

uendo, commorando vt vnus ex nobis. Bar. 3. Zach. 2. ne quis existimet hanc carnem à verbo assumptam absconditè, vt à nemine videretur. Vel hoc dixit vt gradum faceret ad id, quod erat dicturus, quia volebat dicere se vidisse, & testem eius rei oculatum esse. Vox Græca sumpta est à tabernaculo, quasi fecerit tabernaculum inter nos, quia commoratus est nobiscum, & conuersatus est, tanquam indigena in patria sua, vel potius tanquam hospes, & peregrinus in aliena, apud nos tãtum ad tempus habitasse significetur: vt non esset oculis hominum aspectabilis permansurus, sed opere consummato reuersurus ad Patrem. Io. 16. Heb. 13. 14.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.] Gr. spectauimus velut rem nouam, attentè contemplati sumus, quasi in aperto, quasi in theatro, palàm: ne quis dicat, quomodo scis Verbum factum carnem, & habitasse in nobis? Vidimus oculis nostris. 1. Io. 1. & 2. Pet. 1. q.d. Non ita factum est caro, vt eius maiestas planè obscuretur, multis se indiciis ostendit. Et fortè alludit ad transfigurationẽ, cuius spectator, & testis fuit, vbi suam illi gloriam aperuit, non vulgarem quasi meri hominis, sed quasi vnigeniti, i. filij naturalis Dei: qui vnicus est, cùm sint multi adoptionis filij. Vel ad miracula, prædictiones, cognitionem cogitationum ad doctrinam refert; quibus suam diuinitatem quoquomodo declarauit, vt Io. 2. & 11. Illud, *quasi*, tanquam, sicut, non hic similitudinem denotat, quasi alius sit vnigenitus, cui similis sit in gloria, sed veritatem, i. gloriam, qualem filium Dei habere decet. Ex Chrys. & Greg. vt si diceres, incedit quasi Rex; ideſt vt

regem decet: vel fecit sicut vir bonus, non significatur eum virum bonum non esse: vt ad Eph. 2. *Vt filij lucis ambulate*; i. vt congruit filiis lucis. Moyses in lege danda, in tanta gloria, & splendore apparuit, vt non possent filij Israel in eum intendere, Exod. 34. & 2. Cor. 3. Sic Christus Euangelium daturus apparet in gloria. At multò maior gloria hæc est, quàm illa, ille seruus, hic Dominus. Quod insinuans Ioannes ait, gloriam, non Angeli, non Mosis, non alicuius prophetæ, non serui, sed ipsius filij vnigeniti à Patre, idest, Patris, aut eius, qui vnus a Patre genitus, seu qui vnigena à Patre est. Ex Chrys.

Plenum gratiæ, & veritatis.] Postquam reddidit testimonium de verbo carne facto, & habitante in nobis, nunc duos huius incarnationis effectus refert. Nã hæc verba non ad Ioannem qui testimonium perhibet de ipso, referũtur; sed ad Verbum quod caro factum est: vt sit sensus, plenum erat hoc Verbum, caro factũ, gratiæ, & veritatis. Et plenum sic dicitur ab effectu, & redundantia in nos, quia nobis gratiã & veritatem communicauit. Et hi duo effectus respondent aliis duobus suprà dictis, Vita & lux erat. Gratia ad vitam, veritas ad lucem refertur. Plenum ergo erat gratiæ, quia nos gratificauit, ad Eph. 5. Plenum veritatis vt figuris opponat, vel propter doctrinam, quia viam salutis docuit, & secreta diuinitatis aperuit, quæ solus Christus facere potuit. Et hæc plenitudo redundãtiæ promanauit non solùm ex affluentia diuinitatis, quia Deus erat; sed etiam ratione humanitatis, quæ plena fuit omnibus Dei donis, virtutibus, & gratiis, tanquam omniũ

caput,

caput, à quo in reliqua membra omnis gratiæ vbertas derivata est. Et hi effectus ad Euangelium pertinent, non ad legem. Hinc intelligitur quid discriminis inter beatam Virginem, Ioannem Bapt. & Stephanum fuerit, qui etiam pleni fuerunt gratia Luc. 1. & 28. Act 6. Quia in Christo fuit infinita, & per se; in aliis finita, & per participationem. Plenum aqua mare, plena ex mari flumina, pleni fontes. In Christo plenitudo fuit vt in capite Ecclesiæ. Ex Orig.

15. *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens.*] Testimonium dedit Euangelista de verbo carne facto, sumpto testimonio ex gloria eius quam viderat quasi vnigeniti à Patre. Nunc confirmat hoc idem testimonio Ioannis Baptistæ, qui etiam diuinitati Christi, & effectibus aduentus eius testimonium perhibuit. Gr. & clamauit publicè & liberè, & constanter vers. 20. Fuit autem conueniens eius vti testimonio, & quia ad hoc venerat, & quia magnæ erat authoritatis apud Iudæos. Fortè dixit, *perhibet*, quia eius semper manet testimonium. Et *clamat* cum libertate, quia erat vox clamantis, Isa. 40. Et quia initium historiæ ab hoc testimonio sumit Alij Euangelistæ quæ ante baptismum gesta sunt, & quæ Ioânes ante baptismum testimonia perhibuit, scripserunt. At noster Ioannes, à testimonio Ioannis post baptismum exorditur, & quæ Christus ab eo tempore vsque ad carcerem Ioannis gessit, & ab aliis Euangelistis omittuntur, recenset. S. Thom.

Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.] Hunc

Ioannes ordinem seruauit in testificando de Christo, vt priùs venturum annuntiaret, deinde quem venturum prædixerat præsentem velut digito demonstraret. Quando autem hæc verba Ioannes Bapt. dixerit patet ex vers. 29. dicens, *Ecce agnus Dei*; sed hoc loco retulit per anticipationem. Verba autem quæ sequuntur, *Qui post me venturus est, ante me factus est*, dixerat ante, cùm ipse putaretur esse Christus, & an re vera esset interrogaretur, vt vers. 23. patet, & Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3. *Qui post me venturus est*, i. qui post meam prædicationem apparebit, & manifestabitur. Gr. qui venit aut qui veniet, ἐρχόμενος præsens pro futuro: quia cum hæc dicebat Ioannes nõdum Christus ad ipsum venerat vt apparet Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3 Et solet præsens pro futuro poni: vt Mat. 17. *Elias venit*, i. venturus est, loquitur enim hic non de aduentu Christi per natiuitatẽ in mundum, quasi post Ioannem venisse dicatur, quia sex post illum mensibus natus est, non enim dixisset ἐρχόμενος qui veniet, sed qui iã venit, iam enim Christus natus erat, cùm Ioannes hæc diceret, & tamen loquitur de futuro; sed loquitur de prædicatione & ostensione. Nam tunc venisse dicitur cum se mundo per prædicationem manifestauit. q. d. Ego illum prædicando præcedo, non quòd illo maior, sed eo ipso quòd illo minor sum. Propterea enim priùs quàm ille veni, ideò prior cœpi prædicare, vt tanquam eius minister viam ille præpararem, quia vox clamantis in deserto eram. Ille Christus, ille liberator quem mea voce prædicabam: Vel sensus est, *post me venit aut venturus est*, i. in minore apud homines habetur honore: sicut dicit

cit *Ante me factus est*, i. mihi prælatus, maiore quàm ego habitus honore q.d. Etsi nunc mihi hominũ opinione postponitur, paulò pòst cùm sese magis patefecerit, anteponetur, erit gloria & splendor eius maior: vnde ab omnibus pluris fiet. Vnde dixit, *illum oportet crescere, me autem minui* Io. 3. alludens ad consuetudinem seruorum, qui non solent Dominos præire sed subsequi. Causam autẽ subdit, *Quia prior me erat.* seu potior & præstantior, maior & antiquior: erat enim Deus: non ergo mirum si mihi præferendus est, & eius gloria maior futura quàm mea, cùm sit verè me maior, vt pote Deus & homo. Et hoc potest de naturæ præstantia intelligi. q. d. Propterea mihi prælatus est, quia reipsa ac natura sua, multò præstantior, multò maior, multò melior me erat. Quod dixit *prior me erat*, cæteri Euang. dixerunt, *fortior me est*: non solum quia in se maior est, sed quia maiora faciet, nempe peccatũ delebit, dæmonem superabit, mortem destruet, mundum saluabit, diuina opera faciet. Chrys. & Aug.

16. *Et de plenitudine eius omnes accepimus.*] Baptistæ testimonium prosequitur. q. d. Dixi priùs illum me esse priorem & præstantiorem, nunc dico etiam omnibus esse priorem, nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. Magna confessio: fatetur non solum se sed omnes præsentes, & eos qui præcesserunt Patres de plenitudine Christi quidquid boni in eis fuit accepisse, vt 1. Cor. 10. quo testimonio supra omnes esse palàm confitetur. Cyril. l. 1. cap. 20. Chrys. hom. 23. Hæc & sequentia vsque ad alterum Ioannis testimoniũ tanquam

verba Euangelistæ legunt, vt sit plenior sententia. Nam si Baptistæ sint non videntur posse intelligi nisi de Ioanne, & cæteris Prophetis, qui Ioannem præcesserant, & de verbo ante incarnationem; cum multò maiorem in omnes homines gratiam verbum iam incarnatum effuderit. Et sic apparet quam latissimè sententiam extendi. Accedit quod statim sequitur; *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quibus verbis apparet de sola gratia noui testamenti esse locutum. Cum ergo Euangelista dixisset: *Et habitauit in nobis plenum gratiæ, & veritatis*, pergit nunc de eadem agere: & docet nos omnes de illa accepisse. Indicant hæc verba. 1. Omnes præter Christum participatam habere gratiam. 2. Neminem eam ipsam ab alio accepisse quàm à Christo. 3. Neminem tantum accepisse quantum Christus. 4. Illam plenitudinem Christi omnibus esse propositam, vt quicumque vellent de ea acciperent: apertum esse illum thesaurum, illum fontem, Isa. 55.

Et gratiam pro gratia.] Refert causam cur dictum sit, *de plenitudine eius omnes nos accepimus.* Et gratiam, inquit, omnes accepimus pro gratia, quia ipsius Christi gratia nos omnes gratiam accepimus, & per eam facti sumus grati Deo, vt Ro. 1. Fuit enim Christus ita gratus Deo Patri, vt sua gratia nobis meruerit, & consecutus sit gratiam. Eph. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Coniunctio *&*, hanc causam insinuat, vel est emphatica. q. d. non solum doctrinam, non solum legem Euangelicam, vt olim Iudæi legem veterem, sed & gratiam accepimus, quod amplius est. Et sic Chry. & Cyril. priorem

priorem gratiam Euangelium, posteriorem legem Mosaicam interpretantur. Alij pro gratia Christi, quæ plena, & immensa erat, gratiam non immensam, sed ad mensuram accepimus. Aug. gratiam huius vitæ per fidem, & charitatem pro gloria alterius: quæ quia ex gratia manat, etiam gratia dicitur. Alij gratiam pro gratia, i. gratis, aut gratiam non pro natura, sed pro gratia. Alij omnem gratiam aut cumulatam gratiam. vt Iob 2. *Pellem pro pelle*, i. omnem pellem, omnes facultates suas, quæ tunc in pellibus & pecoribus sitæ erant. Alij dicunt hunc esse sensum, accepimus gratiam pro gratia, i. non omnes eandem, seu diuersi diuersam. Etsi eam, quam vnus accepit, non semper accipit alius, tamen loco eius accipit aliam: diuisiones enim gratiarum sunt. 1. Cor. 12. & Ro. 13. & Eph. 4. 7.

17. *Quia lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*] Probat nunc omnes accepisse gratiam de plenitudine Christi. Sunt qui putant hæc verba, esse Baptistæ, alij Euangelistæ: quòd sicut prius cum Ioanne Baptista, ita nũc cum Mose Christum comparat, vt eius supra omnes homines excellentiã ostendat. Vel causam reddit cur dixerit, *de plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia*: poterat enim aliquis dicere, quid ergo, num antea gratia non erat? Respondet nondum fuisse allatam, nondum fontem eius apertum. Nam lex quidem data erat, gratia non erat. Remouet Ioannes homines à lege, in qua Iudæi multum confidebant, & ad Christum auctorem gratiæ adducit. Et attendẽda vis verborum per antitheſim. 1. inter gratiam & legem quasi in-

tcr

ter animam & corpus. 1. Cor. 3. Lex iubebat non iuuabat. Gal. 3. & per legem cognitio peccati, non remissio. Ro. 3. & 7. Gratia verò anima legis est, quæ vim illi dat vt seruari possit, Spiritus autem viuificat. Ro. 8 2. Inter veritatem & eandem legem: nam præceptis legis gratiam, ceremonijs & figuris veritatem opponit. 3. Inter Christum & Mosem, quasi inter Dominum & seruum, inter legislatorem & præconem legis. Præco legem promulgat, legislator dispensat: quod est soluere à reatu legis, i gratiam facere. 4. Inter facere & dare. Mosem nō dixit fecisse, sed dedisse legem, indicans non auctorem sed ministrum fuisse legislatoris. De Christo autem non solum dixit dedisse, sed etiam fecisse gratiam: quia Moses acceptum ab alio, i. à Deo legem, & quibus dare iubebatur dedit; Christus gratiam non accepit, sed fecit, quia ipse fons erat gratiæ. Ex S. Tho.

18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis.*] Excluserat Moysem à veritate, sicut, & à gratia, tanquam eum qui gratiæ & veritatis auctor non fuerit: solum hoc posterius, de veritate videtur confirmare. Nam posset aliquis dicere Mosem vidisse Deum facie ad faciem; potuit ergo veritatem nobis enarrare. Hoc reijcit dicens, *Deum nemo vidit vnquam*, non solùm Moses sed nec vllus alius: nemo igitur auctor veritatis esse potest, nisi is qui rem ipsam vidit. At vnigenitus ille cum articulo in sinu patris existens vidit, & nouit Deū Ipse ergo enarrare potuit nobis veritatem Dei. Et ideo præter alia accepimus de eius plenitudine etiam

veritā

veritatem, & ipse eius auctor est. Tunc autem præcipuè enarrauit quando factus homo eam perfectè patefecit. De plenitudine ergo eius accepimus gratiam & veritatem: gratiam quidem pro gratia sua; veritatem autem; quia per eum omnis diuina reuelatio facta est. & eam docere venit, quia solus vidit, & nemo alius. Alij putant rationem reddi cur gratia & veritas melior esset quam lex, atque perfectior: quia scilicet lex per Mosem data fuerat, qui Deum non viderat, gratia & veritas per Christum, qui Deum viderat. Alij Ioannem declarare, qua ratione ipse, & cæteri Apostoli de plenitudine Christi gratiam accepissent; ipso scilicet docente, qui in sinu Patris erat. Alij hæc non ad proxima, sed ad omnia quæ supra protulit de verbo, referri putant: quasi dicat Ioannes Euangelista, ea quæ de verbo dixi, non ex alio quam ex ipso verbo didici. Nam quis alius tam distinctè & clarè potuit enarrare, cum nemo Deum viderit præter ipsum? Dices quomodo verum sit neminem in hac vita vidisse Deum, cum Iacob viderit Gen. 31. Moyses Num. 12. Ex. 33. Isaias c. 6 Ezechiel c. 1. & 10. & Daniel c. 7. Quidam dicunt neminem vel oculis corporeis vidisse, vel comprehendisse. At nec sic homines beati, nec Angeli vident diuinam essentiam, & tamen Moses vidisse Deum dicitur. Cum dicitur, *Non videbit me homo & viuet*, Ex. 33. opponitur visio ænigmatica perspicuæ. Alij ergo dicunt neminem in hac vita vidisse Deum, 1. clare & aperte: cùm alius in nube, alius in throno, alius in luctu viderit. Ariani ex hoc probant Christum non esse Deum: quia Apostoli & alij multi

Christum

Christum viderunt. At non viderunt diuinam in eo naturam, sed humanam. Deus ergo dicitur videri multis modis. 1. non in se sed in operibus. Iob 36.1. in specie & figura corporea, siue à sensu, siue ab imaginatione, vt Gen. 32. Isa. 6. 3. per fidem vel aliquod lumē reuelatum. 4. per assumptam humanitatem. Io. 14. 5. in suamet essentia, aperte, & clarè. & hęc visio est beatorum, Mat. 18. & 1. Io. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Et hoc modo dicit, *Deum nemo vidit vnquam* in hac vita. Vnigenitus dicitur Christus, & quia solus à Patre, & quia ineffabili modo natus. Sinus Patris est eius natura, non solus amor, vt dicunt Ariani; vel diuinitatis secretum: ex Chrys. quia consubstantialis Patri est. Dicitur enarrasse nobis, idest, omnibus hominibus: quia quantum in se, quæ ad eorum salutem spectabant, edocuit, ex Chrys.

19. *[Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum: tu quis es?]* Euangelista recenset & hoc. q.d. Aliud illustre testimonium quo confirmat quod paulo ante dixerat filium nobis, qui solus Deum viderat, hominibus enarrasse: vt incredulos Iudæos confundat & fideles confirmet. Qui miserunt erant primi Iudæorum de tribu Iuda, de qua futurus erat Christus: ideóque ad eos hoc negotium maximè pertinebat. Qui missi sunt erāt Sacerdotes ex Hierusalem metropoli quia hoc ad religionem spectabat. Interrogant: *Tu quis es.* Solent Hebræi mittentes aliquem verba quibus vti debet exprimere. Ex. 3. 4. Reg. 4. & Io. 11 Chrys. & Theoph. astu quodam fecisse dicunt: insinuasse enim se paulatim & sensim

sensim generalibus interrogationibus, quasi aliò tendentibus, ne ea de causa venisse viderentur, vt scirent, num ipse esset Christus. At probabile est primam interrogationem fuisse, an ipse esset Christus: nam hoc ex prima Ioannis responsione colligitur. Et verosimile est iussos fuisse legatos primum interrogare, num esset Christus. Et si se Christum esse negaret, rogare rursus, quis ergo esset. & posuit Euangelista vnam partem maximè generalem pro tota legatione. Vnde ea suspicio de Ioanne, num esset Christus, nasci potuerit, vide apud Lucam.

20. *Et confessus est, & non negauit: & confessus est: Quia non sum ego Christus.*] Vsitatus Hebraismus, quo id quod per affirmationem dicitur, per negationem repellitur; vt vers. 3. & 1. Io. 1. vt Iob 15. 4. Reg. 7. & 18. Idest diserte & constanter respondit quis esset. Alij, confessus est se non esse Christum: & non negauit se eum esse qui erat, i. vocem in deserto clamantem. Quod addit, *& confessus est: Quia non sum ego Christus*, est explicatio tantum confessionis tam præclaræ, qua voluit à se remouere opinionem illam. Greg.

21. *Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? & dixit non sum.*] Quid ergo? vox admirationis est quod se Christum esse negauisset, & illationis, Si tu non es Christus, ergo eris Elias, cum tua virtus non patiatur te communem esse hominem: vt si Christus non sis, saltem sis illius præcursor illustris. Accepto primo responso, fortè spe deiecti calumniandi, quo se pro Christo ferret, alia quærunt ad calumniandum diuerticula, si saltem se Eliam esse

esse dicat: pertentant eius animum spe obiecta gloriæ. Cur potius interrogant an Elias sit quàm alius Propheta, vide Mat. 16. & Mat. 11. & Mat. 11. de conuenientia personæ. Sciebant enim Eliam non esse mortuum, sed igneo curru eleuatum in cœlum. 4. Reg. 2. *Et dixit: Non sum?* At cur non dixit se spiritu, & officio Eliam esse? Fecit modestè: quia hoc erat honorificentissimum Eliæ personam gerere: sicque laudem à se remouit, dicendo verum, quòd reipsa non erat Elias. Christus affirmauit quod erat Elias officio in virtute, & spiritu, ex Greg.

Propheta es tu? Et respondit: Non.] Tertiam adhibent interrogationem, an esset ille insignis cum articulo Propheta, quem Iudæi errantes putabant futurum tempore Messiæ, ab eo distinctum; sicut & nunc existimant. Ex Deut. 18. cum non alius eo loco quam Christus promittatur. Alij putant interrogasse an esset Propheta, non quilibet sed aliquis ex antiquis, siue Eliam, siue Ieremiam, siue alium ex Prophetis, vt Mat. 16. Luc. 7. Vel generalis est interrogatio an Propheta sit, i. an à Deo missus, vt Prophetæ fungatur officio: an habeat Spiritum Prophetiæ. Christus dixit quod Ioannes erat plusquam Propheta. At Ioannes volens sese deprimere, & extenuare, negat, quia officio non erat; virtute & gratia Propheta erat. Officium Prophetarum erat Verbum Domini antequam caro fieret, carnem assumpturum esse, verbis præsignare, factis præfigurare. Ioannes id non fecit, nec quicquam prædixit: habuit tamen aliquam partem Prophetici Spiritus, quia à Deo missus est vt

Propheta.

Propheta. Et quia plebem docuit, reprehendit, hortatus est ad pœnitentiam, ad Deum adduxit. Vnde dixit *Zacharias*, *& tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Non dixit, prophetabis futura; sed *præibis ante faciem Domini parare vias eius.* Luc. 1. ex S. Aug.

23. *Ego vox clamantis in deserto.*] Ante dixerat quis non esset: iam quis sit declarat, & ex multis titulis eum sibi tribuit qui erat humillimus. Non se doctorem, iudicem, præconem, præcursorem, sed vocem vocat, quasi sonum, aërem, rem vilissimam. Vide totum hunc locum expositum apud Mat. 3.

24. *Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis, & interrogauerunt eum, & dixerunt ei.*] Hæc verba indicant percontationem, quæ sequitur à Iudæis mittentibus non fuisse his legatis iniunctam, sed id tantum vt quis esset intelligerent. At quia missi Pharisæi erant, legis zelum præ se ferentes, ideo non vt legati, sed vt superstitiosi interrogant, *Quid ergo baptizas?* quædam enim legis transgressio Ioannis Baptismus eis videbatur: vel quia hanc Ioanni gloriam inuidebant: vel quia illi callidi & vafri ad hoc solũ missi fuerant, sed non continuò interrogauerunt qua potestate baptizaret, sed primùm an esset Christus, deinde an Elias, postremò an Propheta, vt obiecto splendore gloriæ ad confitendum aliquid de se magnum allicerent, vnde eius accusandi occasionem acciperent, & quasi per caniculos quosdam in eius animum subirent. Euthymius curiositati tribuit hanc interrogationem: quæ hæreticis maximè propria. Putant alij Pharisæos hãc habuisse traditionẽ, vt nemini baptizare liceret, nisi Christo

&

& Prophetis : ideôque dixisse Euangelistam eos fuisse Pharisæos. De his vide Mat. 3. 11. & vers. 27. vbi vers. 26. explicatur.

28. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans.*] Locum describit, in quo hoc insigne Ioannis testimonium factum est ad augendam fidē historiæ, & vt libertas in dando testimonio de Christo significaretur: qui non Dominum in angulo, sed palam perhibuit. Nam locus ille erat publicus, vbi erat Iordanis transitus. Non Bethaniam sed Bethabaram legendum putat Orig. tom. 2. Vide Mat. c. 4. Ex aliis Euangelistis, colligitur Ioannem hic prætermisisse baptismum, ieiunium & tentationem Christi, dum totus in eo erat vt quibuscumque non suspectis testimoniis Christi diuinitatem probaret: & quasi, dū altiùs volat, humana illa prætermittit. Ex Ioanne etiam intelligitur quid alij Euangelistæ omiserint, nempe Iudæorum legationem, & illud tam insigne testimonium.

29. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait.*] Tertium testimonium Ioannis recenset Euangelista. Græc. Postridie eius dici, quo legatis Iudæorum responsum fuit dedit. Alij non altera die sed die tertia scilicet à legatione dictum putant. Itaque hoc loco videtur Ioannes quæ quatuor continuis diebus gesta sunt quibus Christi diuinitas probatur, narrare. Primo die Ioannes Bapt. a legatis interrogatus insigne de Christo testimonium dedit. Secundo de quo nunc agitur, aliud etiam apertius non interrogatus dedit. Tertio idem confirmauit, & declarauit vers. 35. Quarto ipse Christus in Cana Galilææ præclaro miraculo

suam

suam diuinitatem patefecit cap. 2. Ex quo intelligitur hæc omnia quæ hîcce quatuor diebus facta dicuntur, multis diebus post baptismum accidisse. Nam Christus post baptismum in desertum secessit, vt alij referunt Euangelistæ, & 40. ibidem diebus ieiunauit, quod totum tempus inter hos quatuor dies vt minimũ intercessit. Aliquantò etiam plus, nam iam prædicare cœperat, cum aliquos collegit discipulos, qui cum eo in nuptiis fuerunt, cap. 2. Quanquam nondum Apostoli vocati erant, vt patet ex vers. 39. Quomodo ergo Ioannes dixit supra vers. 17. *Ipse est qui post me venturus est?* Si enim iam baptizauerat, iam vtique venerat. Respondetur nondum venisse quia etsi baptizatus erat, tamen nondum quis esset baptizando & miracula faciẽdo declarauerat. Non minor difficultas est quòd alij Euangelistæ, *Post me venturus*, est antequam Christus baptizaretur Ioannem dixisse referunt, Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3. Dicendum aut bis id vel etiam sæpius Ioannem dixisse; primùm communiter omnibus qui ad baptismum confluebant, deinde legatis Iudæorum: sicut etiam his dixit, *Ecce Agnus Dei*: vt ex hoc loco & ex vers. 36. patet. Quare ex dictis apparet hanc diem, de qua hic agit, non esse diem qua Christus baptizatus, vt putat Origen. nec postridie quo Christus rediit à deserto, vt Theoph. Græc. *videt* Ioannes Iesum venientem ad se. Quia magis expressam sententiam ante oculos ponit. Cur autem Christus ad Ioannem venerit incertum: nam non veniebat vt baptizaretur: multis enim antè diebus fuerat baptizatus, vt s. d. Ideo quidam dicunt venisse, vt Ioannes de

illo

illo hoc testimonium daret, ne qui eum ante baptizari viderant, quasi peccatorem baptizatum putarent, vt Chrys. & Theoph.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi] Ioannes Christum baptizauerat : ne autem putaretur baptismum vt cæteris illi fuisse collatum, remouet hanc suspicionem cùm dicit, eum peccata mundi tollere. Vox *ecce* demonstrat personam q. d. sæpe dixi vobis, post me veniet, medius vestrum stat ; nunc quis sit iste vobis digito demonstro. Relatiuam etiam vim habet *ecce*, q.d. Vobis, vt dixi, peccata non remittebam, sed vos in remissionem peccatorum per Christum faciēdam baptizabam. Ecce hic est qui tollit peccata mundi. Alij dicunt alludere ad desiderium eorum, qui Christum videre & nosse cupiebant Ioannis moti testimonio. *Post me venturus est qui fortior me est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, q.d. Ecce quem tam ardenter videre desideratis. Agnum vocat alludens ad prophetias Isa. 53. Act. 8. Ier. 11. & ad antiqua sacrificia, quæ agnis sæpe fiebāt manè & vesperi, quotidie. Et quia agnus innocentiam Christi referebat Ioa. 4. Hebr 7. 1. Pet 1. Apoc. 5. 6. 7. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 21. & 22. Quasi hoc nomine Christum vocare delectetur. Dei autē Agnum vocat, quia à Deo oblatus. Alij qui Deo offertur. Alij Dei, i. diuinum propter diuinitatem, quæ in eo erat. q.d Ecce agnus non iam terrenus, sed diuinus: qui tollit peccata mundi, non Iudæorum tantum sed & omnium Gentium. Gr. peccatum i. omne genus peccatorum. Ideóque vsus est in præsenti *tollit*, non actum, sed naturam significans, qui penitus

penitus aufert, & delet omni tempore & loco. Orig. & Aug

30. *Hic est de quo dixi: Post me veniet vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.*] Vir, pro quidam. q. d. Post me venturus est quidam alius maior me. Vel, vt Ier. 3. 31. Zac. 6 Isa. 13. significatur Christi generatio, humana vel 30. annorum ætas completa, quæ propriè virilis dicitur. Quæ prius de absente Christo Pharisæis & ante etiam dixerat turbis, applicat Christo præsenti: vtitur dictione *post* quia vt homo post Ioannem natus est.

Et ego nesciebam eum: sed vt manifestetur propterea veni ego in aqua baptizans.] Hic locus vsque ad vers. 34. explicatur apud Mat. c 3. 14. quòd de facie eum non cognoscebat. Hoc autem tacet, ne quis suspicaretur cognitioni, aut familiaritati & gratiæ datum esse, quod tam insigne testimonium de illo dedisset.

34. *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.*] Hoc dicit vt tollat omnem suspicionem gratiæ. q. d. Non proprio motu, sed iussus a Deo testimonium perhibeo: vt vers. 33. *Qui misit me* inquit *baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Hoc ipsum testimonium a Deo sibi datum signum se vidisse dicit, & non humanæ gratiæ, sed diuino beneplacio obtemperans, eius quod viderat, testimonium dedisse. Non declarat quid viderit: sed colligitur ex ijs quæ dixerat, nempe Spiritum sanctum post baptismum. super Christum descendentem. Filium autem Dei non adoptione, sed natura appellat: quia & sibi & aliis

Prophetis

Prophetis voluit anteponere, hoc titulo, ex Aug.

35. *Altera die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.*] Gr. Postridie eius diei, quo Ioannes videns Christum ad se venientem dixerat: *Ecce agnus Dei*, & secunda die post Iudæorum legationem. Hoc enim est tertium testimonium vt s. d. *Stabat*, i. ad arcem perfectionis venerat à qua nulla tentatione deijci poterat, ait Beda: vel paratus erat ad exercendum officium, vel ambulabat Christus. Stabat verò Ioannes, quia non conueniebat vt Ioannes quæreret Christum ne sic suum redderet suspectum testimonium: vel vt oculis defixis eum aspiceret, ex Chrys.

36. *Et respiciens Iesum ambulantem.*] Gr. iniectis in eum deambulantem oculis; fortè ad se venientem vt iterum de se daret testimonium, quasi admirabundus, & stupore defixus: vel quasi oculis innuens gratiam quam habebat in Christo, ait Theoph.

Dicit: ecce Agnus Dei.] Dubitatur cur toties de Christo idem repetit testimonium. Respondent aliqui, quia auditores quod semel dixerat non satis intellexerant: vel forte cum hoc dixit alij erant auditores. Non longum facit sermonem quia vnum solum in studio habebat adducere eos, & Christo coniungere, ait Chrys.

37. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.*] Apparet non sine fructu hoc iteratum testimonium. Nam tunc fructus concionatoris patet, cum eius auditores non illum ipsum studio quodam curiositatis, sed Christum salutis desiderio sequuntur: cum

sæpius

sæpius ad Sacramenta accedunt. Sunt qui putant plures tunc cum Ioanne eius discipulos fuisse, sed hos duos tantum credidisse. Ipsos secutos animo sequendi eum vsque ad hospitium, vt scirent vbi maneret. Ibi enim cum eo loqui volebant: nam interrogant: *Vbi habitas?* vt notat Chrys.

38. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se dicit eis: Quid quæritis?*] Nondum fortè Christus hos duos discipulos Ioannis corpore respexerat, sed animo quidem & gratia, sine qua à Ioanne, ideſt, à lege, & pristinis moribus recedere non valuissent. Quos etiam corpore respexit quia bene gratia vsi sunt, maiorem illis familiaritatem demonstrans. In quo declarauit frustra nos illum sequi, nisi ipse ad nos se conuertat. Fortè ad eos se conuertit, & eos interrogauit quid quærerent, vt ad colloquendum eos timentes animaret. Quod non est Deum à nobis, sed nos à Deo præueniri. Psal. 31. Isa. 65. Ex Theoph.

Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum, Magister, vbi habitas.] Magistrum vocant quia ab eo discere volebant, & eius esse discipuli; vt ait Chrys. Cyr. Vtinam sic de summis fidei nostræ mysteriis disputaremus, in scholis dumtaxat, non in compitis, cauponis, mensis, sed in Ecclesia quæ est Christi domicilium.

39. *Dicit eis: Venite, & videte.*] Arripit occasionem primam Christus, quæ ad eorum salutem promouendam facere videbatur, & eos allicit ad colloquium, & doctrinam. Nulla mora interponenda in quærenda salute spirituali. Optarem vt hæretici vel saltem quærerent vbi Christus habitet, quæ vera est Ecclesia.

Colligitur hinc Christum habuisse hospitium non domum vt Mat.8. dicitur. Christus non dixit, vbi habitaret, sed illos inuitauit vt venirent & viderent: nam habitatio i. gloria Christi videri potest, comprehendi non potest, vt notat Beda.

Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud illum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.] A solis ortu, fortè in hoc causam reddit cur illo die manserint, quia iam inclinata erat dies: nec satis restabat temporis vt redire possent ad Ioannem. Vel vt notet quantū apud Christum māsissent, nempe per duas horas, & totam noctem. Nā Iudæi ab ortu ad occasum solis diem numerabant; & duodecim horis, & totidem noctem, diuidebant. Sunt, qui dicunt per duas horas mansisse, quod reliquum erat diei: Alij per diem naturalem, qui 24. horis cōstat. In quo non domum tantum notarūt, vbi habitaret vt aliàs discendi causa reuerterentur, vt illi putant; sed sitibundi biberunt ex fonte inuento, & didicerunt, illo ipso die Christum esse Messiam. ver.41. Hinc intelligitur Christi charitas ad docendum, & ardor discipulorum ad discendum, quando & illo tempore quo cœnare debebant, & ille docere voluerit & illi doceri. Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem ait Aug.

Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.] Colligitur ex hoc loco Andream priùs fuisse Ioannis discipulum quàm Christi. Et probabile est Petrum fratrem eumdem habuisse præceptorem, sicut eundem postea Christum secuti sunt. Andream nominat, quia ne-

cesse erat recensere quomodo fratrem suum Simonem etiam Christi discipulum fecerat. Alterius nomen tacet; fortè quia erat ipse Ioannes qui scribebat, qui solet suum nomen reticere: vel Iacobus Zebedęi filius frater Ioannis, quia eiusdem artis erat & patriæ: vel quia alter ille vulgò notus non esset. Hac etiam de causa 70. discipulorum nomina non sunt edita. Luc. 10. Ex Chrys.

41. *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.*] i. discedens Andreas à Christo, cum quo vna manserat nocte, primus occurrit Simon: vel prior altero inuenit Simonem, quasi separati illum quærerent ardenti desiderio. Verbum est animi desiderantis, & expectantis Christi aduentum. Chrys. Hom. 17. Messias Latinè vnctus, Christus Græcè dicitur. Et est cum articulo, ad distinctionem aliorum, qui Messiæ propter vnctionem dicti sunt. Retinuit nomen Messiæ, vt veniisse credatur ille idē qui expectabatur à Iudæis: nec se solum sed alios etiam inuenisse indicat: vel vt commune inuentum bonū fratri nuncięt. Chrys. ait alium discipulum præsentem tunc fuisse cùm hęc diceret, quia & suo, & alterius nomine loquebatur. Vnde autem cognouerat Andreas tam citò Christum esse Messiam, nisi ex colloquio habito tota nocte cum Christo ipso eo die quo apud eum manserat? ex Chrys.

42. *Et adduxit eum ad Iesum.*] Fortè eum videre cupientem: cui Andreas narrauerat quæ à Christo audiuerat, & Petrum inuitauerat vt ad Christum veniret; & Petrus sese sponte obtulerat, & rogauerat vt se ad illum duceret. Sed

hæc silentio prætcrit, & solum effectum describit, ne Simonem efficacia potiùs persuasionis Andreæ, quàm Christi iam occulta & secreta virtute trahentis, motum & excitatum putaremus. Adduxit autem ad Iesum à quo perfectè instruendum sperabat. In quo notatur fraterni amoris, & sinceri affectus officium, vt in spiritualibus inuicem adiuuemus: & prompta obedientia, & fides Petri, qui antequam Christum videret ad primum eius nuntium in illum credidit. Quamuis eum non statim verbis fratris credidisse, sed videre, & experiri voluisse an quæ diceret vera essent, & ideo ad Christum venisse dicat Theoph.

Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] i. antequam Petrus ad se veniret, & colloqueretur, solo intuitu non tantum corporis sed animi, cognouit & cuius esset filius, & qui vocaretur, & quod est amplius, qualis & quantus futurus esset, vt ex hac anticipata vaticinatione suam illi indicaret diuinitatem, & ad maiora credenda mysteria excitaret. Chrys. Aug. De mutatione nominis Petri, & quid nomen Cephæ significet, & an hoc vocetur Petrus ex nunc, an potiùs prædicat nominis impositionem, vide apud Mat. 16.

43. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum.*] Die insequenti manè, qui tertius post illum erat quo Iudæorum apud eum legati venerant, & illo ipso die quo nuptiæ in Cana Galilææ factæ sunt cap. 2. & Philippum vocauit, & à Iudæa in Galilæam migrauit. Et quod dixit, *voluit*, significat Christum certo consilio & scientem, quod futurum esset,

in

in Galilæam exiisse, vt ibi se, vbi educatus fuerat, inciperet manifestare, ibi discipulos colligere, ibi docere, ibi primum facere miracula. voluisse in Galilæam ire vt ibi Philippum inueniret, ne casu inuenisse eum putaremus: aut voluisse cùm iam solus non esset, sed duos, eósque Galilæos haberet Petrum & Andream, quibus ibi vt euentus docuit vteretur testibus, ac ministris ad alios discipulos trahendos. Nam decreuerat omnes suos discipulos aut plerosque certè ex Galilæa vocare. Et neminem vocauit, nisi qui sponte sua non vocatus illum sequeretur: ne si ipse primus vocasset minùs esset stabilis, & vocatio suspecta appareret: vt ait Chrys. Inuenisse autem dicitur Philippum quasi ipsum quæsiuisset, quærebat enim non corpore sed animo, quo eum aptum ad Apostolatus officium esse sciebat: vt Ps. 88. 21.

Et dicit ei Iesus: Sequere me.] Vocatione exteriori Philippum ad se vocat: nec defuit interior tantò efficacior, quantò minùs instructus erat à popularibus suis, Ioanne, aut à Petro, & Andrea: Nec leuitatis fuit sequi Dominum, vt irridebat Iulianus, sed efficaciæ verbi: alioqui appellet Iulianus leuem Lazarum, qui quatriduanus surrexit vnica voce Christi. Ex Hier. Mat. 9.

44. *Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.*] Chrys. notat voluisse Christum ex illa potissimùm ciuitate tres primos Apostolos vocare, quæ maximè rudis, & contemptibilis erat: vt contemptibilia eligeret, & fortia mundi confunderet. Alij rationem reddi cur tam facilè Christum secutus esset, quia scilicet à Petro, & Andrea conciuibus suis di-

dicerat de Christo. Alij, vt significet quanta Petri & Andreæ, & Philippi fides fuisset, qui ex ea essent ciuitate, vbi incredulitas maximè regnabat, & cui væ comminatus est. Mat. 11. vt vbi abundauit malitia superabūdet gratia, quæ non meritis vocatorum sed vocantis benignitati tribuatur. Cedebat etiam in opprobrium Iudæorum: nemo enim ex tribu illa venit ad Dominum ex qua nasciturus expectabatur: sed ex terra illa nullum ferente fructum ait Chrys.

45. *Inuenit Philippus Nathanael: & dicit ei.*] Eodem fortè die, vel aliquantò pòst non casu, sed diligenti studio conquisitum Philippus inuenit sibi familiarem, & amicum, vt tanti thesauri participem faciat. Vt Andreas fratrem, sic Philippus lucratur amicum, breui tempore: Sicque crescit Euangelium, paruo initio. Mat. 13. 31. Luc. 22. 49. Iac. 3 5. Ex Chrys.

Et dixit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filiū Ioseph à Nazareth.] 1. inuenimus Messiam prædictum & promissum in lege à Mose & Prophetis, quos citat, quia Nathanael erat vir eruditus litteris Hebræorum. Vocat filium Ioseph, quia nondum erat in fidei mysteriis plenè instructus, & vulgò putabatur filius Ioseph: & quia educatus Nazareth Galilæus, & Nazaræus credebatur. Ex Aug.

46. *Et dicit ei Nathanael: à Nazareth potest aliquid boni esse?*] Sciebat Nathanael Christum venturum de Bethleem Iudæ, Mich. 5. audiens autem esse à Nazareth Galilææ, obiecit, non negando sed admirando potiùs, & dubitando: A Nazareth aliquid boni esse potest? q. d. nihil insigne

insigne speratur, quo modo ergo de Nazareth exire potuit? vt Ioan. 7. Humilitatis verbum est, sed doctæ & prudentis. Ex Chrys. quia quamuis hoc videretur cõtrarium prophetiæ, reuera non erat, sed maximè conforme: nam oriundus est in Bethleem; conceptus, & educatus Nazareth, & vtrumque prædictum erat. Nouit vir doctus, & humilis rem difficilem, tamen non de genere earum quæ fieri non poterant: ob id admiratur & dubitans respondet. Non sic hæretici, qui statim ac suo iudicio vnã voculam non intelligunt, non illiteratum hominem, sed omnes doctores, & omnem antiquitatem contemnunt. vt notat Mald.

Dicit ei Philippus: Veni, & vide.] Non defuit Philippo humilitas, & prudentia, dum admiranti & dubitanti respondet; humilitas, dum non se in ea, quæ nescit, ingerit; prudentia, dum ad Christum verum doctorem venire inuitat, qui nodum soluet. Ex Chrys.

47. *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo; Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.*] Hoc Christus dixit quando proximus iam erat Nathanael, itaut verba eadem audierit. Non adulandi, aut solum eum laudandi gratia hæc dixit, sed vt occulta cordis eius manifestando iis, qui aderant, eum illuminaret, & ad fidem vocaret. Vocat verum Israelitam, i. legis illius obseruatorem: sicut nunc qui legem Christi obseruat dicitur verus Christianus. Simplicitatem cordis laudat, dicens: *In quo dolus non est*, quia non vtitur argutiis contra Philippum, sed admiratur potiùs, & credit posse fieri quod nunciabat, quamuis sacræ Scripturæ repugnare videretur, & accessisse ea-

lumniandi, aut contradicendi ſtudio. Et quia carere dolo ad intimum cordis pertinet, ideo ſe ſcrutatorem cordium eſſe declarat. Ex Aug.

48. *Dicit ei Nathanael: Vnde me noſti?*] Miratur quòd cordis occulta ſibi reuelaſſet is cui de facie ne quidem ſe notum eſſe putabat. Poterat vel ex ſeipſo, vt res erat, vel ex Philippo, aut alio eius familiari hoc ſcire. Vult igitur intelligere vnde id Chriſtus nouerit. Nam ſi ex aliis, nihil mirum eſt; ſi ex ſeipſo, certum ſignũ eſt diuinitatis. Interrogat vt homo, Ieſus reſpondebat vt Deus ait Chryſ.

Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.] Cognouit Chriſtus quò tenderet interrogatio Nathanaelis. Occulta ei duo Chriſtus manifeſtat, 1. Vidi Philippum te vocantem, & antequam te vocaret, quando eras ſub ficu, ego te vidi: Et ſuſpicionem remouet dicens ſe non ex Philippo, nec ex alio quopiam, ſed ex ſeſe ipſum cognouiſſe. Idque probat dum ea illi ſecreta patefacit, quæ neque Philippus, neque alius quiſquam, præter ipſum Nathanaelem, ſciret ſe fuiſſe eum ſub ficu antequam eum Philippus vocaret. Chryſ. & Theoph. ſic intelligunt quaſi Philippus Nathanaelem ſub ficu repererit, inibique cum eo de Chriſto fuerit collocutus: idque nunc illi Chriſtus declaret. Cyr. & Aug. non fuiſſe Nathanaelem ſub ficu repertum a Philippo, ſed antequam eum Philippus inueniret, ſub ficu fuiſſe ſolum, vbi neque Philippus, nec alius quiſpiam eum vidiſſet. Propterea enim confeſſus eſt Nathanel, Chriſtum filium eſſe Dei, quia viderat ſe abſentẽ in loco abdito, ac ſolo, fortè Scripturam ſacram legentem,

tem, aut orantem; vbi nemo præter Deum videre potuisset. Ficus, Adami peccatum significat. Dixit, *vidi te*, non noui te, vt significaret euidentem cognitionem, qualis est oculorum: & vt alluderet ad secretum locum vbi putabat Nathanael se à nemine videri. Ex Chrys.

49. *Respondit ei Nathanael & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel.*] Magnitudine miraculi permotus Nathanael hanc mirandam confessionem protulit, qua & verum Messiam esse, & Christum promissum esse ait; insuper & doctorem, & magistrum. Ioel. 2. & filium Dei. Psalm. 2. Cum articulo, *tu es* ille *filius Dei*. Regem Israel vocat, quia de eo legerat prophetatum Zach. 9. Plura dicit quam a Philippo audierat: ille filium Ioseph, hic filium Dei: ille à Nazareth, hic Regem Israel vocat. Non dixit totius orbis, quia forte non erat tanta fide instructus, vt crederet eum esse filiũ Dei verum & naturalem, vt Petrus Matth. 16. vt putauit Cyr. sed eminenti quadam filiatione supra omnem adoptionem Angelorum, & hominum: quia sic eum Iudæi illi futurum putabant, quibus Trinitatis mysterium adhuc non erat reuelatum. Prophetis autem, & iis, quibus ex gratia reuelata erat Trinitas & Incarnatio, id notum erat. Ex Chrys.

50. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.*] Chrys. & Theoph. reprehensionem ait hoc esse Christi responsum fidei imperfectæ, vt cap 20. 29 q.d. Modo quidem imperfecto credis quia vnum tantum vidisti miraculum, plura & maiora videbis, & tunc perfectè credes. Sunt qui laudem esse aiunt, q.d. Cùm tantum in fide

progressum feceris vno viso miraculo, quantò magis proficies pluribus visis maioribus? Sicque laudat, & hortatur ad spem maioris fidei. vt Cyril.

51. *Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.*] Exponit Christus quod dixerat, maius his videbis, & sermonē conuertit ad Nathanaëlem; & ad simul astantes, & dicit, videbitis Angelos mihi ministrantes. q. d. Magnum putas quia dixi tibi, *vidi te sub ficu*, & ideo me Regem confessus es, videbitis non tu solus, sed & vos, cœlum apertum, & illinc Angelos in ministerium meum descendentes, & rursus ascendentes: vt ex hoc ministerio sciatis me esse Dominum Angelorum, & Regem cœlorum, & verum Deum. q. d. vt plusquam hominē confiteamini. Per Angelos ascendentes, & descendentes. significat eorum ministerium vt Gen. 28. Cœlum verò apertum dicit, quia ascensuri & descensuri erāt vel tempore passionis, cum apparuit Angelus confortans eum, Luc. 22. Et in resurrectione duo in sepulchro visi sunt, Luc. 24. Sed hos Apostoli non viderunt. Vel cùm post Baptismum cœlum est apertum. Et post tentationem Angeli illi ministrant. Ma. 3. & 4. Sed iam baptizatus erat cum hæc dixit. Alij ad Ascensionem referunt: nam Angeli in vestibus albis visi sunt. *Act.* 1. Alij ad diem iudicij, quia venturus est cum Angelis suis. Mat. 26. 64, quod est probabilius: nam tunc certissimum dabit signū suæ diuinitatis quando omnes homines, velint, nolint, eum confitebuntur esse Deum. *Supra*, idest, iuxta, sicut ministri Regiæ, Dominum exigunt;

gunt: vel dixit *supra*, quia suum de cœlo aduentum describebat: in quo Angeli vt famuli secuturi sunt Christum. Cyr. l. 2. ca. 21. non ad visionem aliquam singularem hoc pertinere ait, sed ad totam Christi dispensationem. Nam in Ecclesia gubernanda vtitur Angelorum ministerio, & Angelis fideles suos custodit: Angeli orationes deferunt; per eos illuminationes fiunt. Et in die iudicij descendent ministraturi Christo, ascendent nuntia ad Patrem deferentes. Quæritur cur Nathanael cui tantum testimonium perhibuit filius Dei, inter duodecim Apostolos non inuenitur, quia volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per imperatorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est imperatorem ait Aug.

CAPVT II.

Mutat aquam in vinum in nuptiis; & eiicit vendentes & ementes de templo.

2. ET *die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.*] Postquam declarauit mysterium incarnationis, & testimonium Baptistæ de Christo, recensет primum miraculum Christi, quo suam cœpit gloriam manifestare. Die tertia factum ait ab ea qua Christus redierat à deserto, vel ab ea qua Nathanael ad Christum à Philippo adductus fuerat, vel ab ea qua Christus in Galilæam ingressus fuerat. Porrò Cana

duplex erat; vna minor in tribu Zabulon, non longè à finibus Asser; altera maior proxima Sido, Ios. 9: Et ad huius distinctionem illa dicta est Cana Galilææ, nempe inferioris: quæ quia vicina erat Nazareth, ideo ibidem erat mater Christi.

Et erat mater Iesu ibi.] Antequam Christus vocaretur: quasi reddens causam cur ad eas vocatus sit nuptias, quia scilicet iam ibi esset mater, priùs, vt putandum est, inuitata, eiúsque respectu & filius.

2. *Vocatus est autem, & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.*] Q. d. Christum propter matrem, & discipulos Petrum, Andream, Philippum, & Nathanaelem, propter magistrum vocatos fuisse. De Ioseph non loquitur quia iam fortè obierat. Venit, vt se omnibus affabilem exhiberet, vt sua præsentia confirmaret & sanctificaret nuptias: & vt occasionem haberet edendi miraculi, vt suam diuinitatem declararet, & vt significaret de cœlo in terram venisse nuptiarum causa, dum naturam humanam matrimonio quodammodo sibi copulauit. Eru. bescat esse superbus homo quia factus est humilis Deus ait Aug.

3. *Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, vinum nõ habent.*] Vtique ante finẽ conuiuij, antequam vinũ omnino deficeret. vel, vt Gr. cũ iam omnino defecisset, ministri, magistrũ seu moderatorem conuiuij certiorem fecerunt. Et hanc vocem virgo Maria audiuit. Huius autem defectus vini, non immoderatus potus, sed paupertas causa fuit. Et hunc pati maluerunt quam deesse officio omnes amicos inuitandi. Mira ergo est Maria, non vt quidam putant humano

humano affectu, sed charitate, & misericordia petiuit à filio vt miraculum faceret, quē filium esse Altissimi sciebat. Et quia ægrè ferebat vt sua, filiique sui, & discipulorum causa vinum fortè deficeret, vt qui præter numerum conuiuarum aliis recumbentibus superuenerant, quibus quantum sufficiebat paratum erat. Mota, non prius, quam Ioannes de eo testificatus est & discipulos iam haberet, vt notat Chrysostom.

4. *Quid mihi & tibi est mulier?* Q.d. quid ad nos pertinet quod vinum deficiat; vel quid mihi tecum commune est? vt 2. Reg. 19 22.4. Reg. 9. 18. & Mat. 8. Feruorem quendam charitatis fuisse putat Iren. l. 3. c. 18. bibendi sanguinis Christi, qui hoc vino significabatur. Et si culpa fuisset, ob quā Christus eam reprehendisset, quòd intempestiuè, vt quidam putant, miraculū petiuisset, Christus miraculum non fecisset, ne miraculo culpam ipsam confirmare videretur. Quare verosimilius est Mariam, hoc loco non fuisse reprehensam, sed verba ipsa reprehensionis speciem præ se ferre: vt Luc. 2. 49. Mat. 12. 48. & Christum tanquam Deum loqui; ea enim ratione qua Deus erat miracula faciebat: & voluisse specie reprehensionis manifestare se non tanquam hominem, ideſt mulieris filium, sed tanquam Deum miracula facturum, quo modo nihil habebat cum matre commune. Sic Orig. Aug. tract. 119. Theoph. Bern. verò putat Christum etiam tanquam hominem esse locutum, sed hoc significare voluisse, se ante sub matris fuisse potestate, antequā officium illud Doctoris & Redēptoris, ad quod missus fuerat à Patre, iniret: nunc verò inchoa-

tum

tum Redemptoris officium, & in iis quæ Patris sui erant occupatum, patrem & matrem, vt ipse discipulos facere docuit, reliquisse: & eos quodammodo non agnoscere. Sic Greg Nis. Putat significare Christum se iam ea esse ætate, vt sub matris cura & potestate esse non debeat, & per interrogationem legit, *Nondum venit hora mea?* i. Nonne ætatem habeo? Certè simulat se reprehendere, vt ostendat se non humano, nō sanguinis respectu, sed sola charitate, vt se se quis sit declaret, miraculum facere. Dices nonne habuit respectum matris? Habuit, & nunc habet, sed charitatis, non carnis: quod voluit indicare cùm non matrem, sed mulierem vocat. vt ait Aug.

Nondum venit hora mea.] In qua secundùm meam æternam prædestinationem hoc opus facere decreui; nondum est opportunitas meæ: vbi placitum Patris aduenerit hoc opus sum facturus: faciam ergo quod petis sed opportuno tempore. Sicque spem dat matri obtinendi quod petebat, & rationem reddit cur quod petierat non statim faciat; quia non venerat tempus cùm mater petiuit, venerat autē cùm fecit, licèt modico interuallo. Quid igitur expectabat? Respondet Chrys. & Theoph. Expectabat vt omnes qui aderant cognouissent vinum defecisse, vt miraculum esset clarius. Aug. verò tum cùm petiuit mater, nondum vinum penitus defecerat, ideóque voluisse expectare Christum quoad nihil omnino vini esset, ne putaretur elementorum mistione ex aqua simul & vino, vinum factum. Voluit etiam significare se humano respectu nolle facere miracula. Quare verbum hoc est diuinæ potestatis,

potestatis tempora eligentis; prouidentiæ facientis in carne quę ab æterno dispositi; sapiētiæ eligentis conuenientia momenta; misericordiæ dantis spem subueniendi; reuerentiæ, matrē honorantis. Non mirum si, B. Virgo quæ tunc magnam fidem habebat, ignorauit hoc tunc secretum, quod tunc didicit a filio, qui illi communicauit: vel prophetico Spiritu cognouit; vel dono intellectus.

5. *Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.*] Ex hoc patet mattem à Christo non fuisse reprehensam: nam non præparasset res ad futurum miraculum. Patet etiam Christum indicare voluisse se facturum esse miraculum. Qui putant reprehensam fuisse, dicunt, tamen quia sciebat eum misericordem & benignum esse, perseuerasse, sperantem fore vt precibus, aut commiseratione flecteretur. ex Beda.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex posita secundùm purificationem Iudæorum.] Miraculum describit: & primò vasa, in quibus Christus vinum miraculosè fecit. Hydriæ Græcè, Latinè aquales significant. i. vasa aquæ destinata, quæ non circumferebantur, ex quibus aqua minoribus vasis hauriebatur. Erant autem propter Iudæorum purificationem, non legalem illam, qua, qui secundum legem polluti erant, mundabantur, sed eam, qua propria quadam Phariſæorum traditione frequenter inter prandendum vasa & calices, & manus, & brachia lauabant cubitorū tenus, vt Mat. 5. 11. & Mar. 7. Quod vasa aquaria, non vinaria esse declarauit, & magna, & immota: totum hoc facit ad magnitudinem miraculi, ne quis vinum in vasis

sis, non autem de nouo factum fuisse, aut vini partem aliquam quæ superinfusæ aquæ vini saporem dederit ibi reseruatam putaret: erant quippe aquaria. Erant magna & fixa, ne plena vino aliunde portata nemo existimaret: & vt tanta vini copia probaret miraculi virtutem. Ex Hil.

Capientes singula metretas binas vel ternas.] Magnitudinem vasorum describit, vt ex quantitate vini miraculi magnitudo appareat. Metreta Græca mensura erat, apud Hebræos cadus dicebatur, cadus autem continet congios decem; congius sex sextarios; sextarius duodecim cyathos; cyathus vncias duas. Luc. 16.6. Itaque vna metreta septuaginta duos capiebat sextarios. i. tertiam circiter partem modij vini Parisiensis. Sic Christus voluit subuenire paupertati sponsi, & vt diuturnum esset testimonium miraculi editi ex Tol.

7. *Dicit eis Iesus: implete hydrias aqua.*] Potuisset Christus nulla priùs infusa aqua vino ea implere, tamen vt certius miraculum fieret & ministros ipsos testes haberet, aquam manibus eorum infusam in vinum conuertere maluit: & vt ostenderet se harum creaturarum dominũ esse quod alias in alias pro suo arbitrio transmutaret. Iren. l. 3. c. 11. maius esse miraculum quod aquã in vinum verterit, quam quod nunc vinum in sanguinem suum vertat, quia vinum est sanguini propinquius; dissimilior vero vino est aqua, quia contrarias prorsus habet qualitates ait Cyr. in 4. myst.

8. *Et impleuerant eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino.*] Ministri dicto perfectè obedientes ad

summum

ſummum vſque impleuerunt, vt conſtaret non alia ex re, quam ex aqua vinum factum, quò certius eſſet miraculum: nec dici poſſet aliquid ſuper aquam vini infuſum fuiſſe, cùm nec ſuperinfundi potuerit, plenis vſque ad ſummum. Vbi ergo cognouit ſic eſſe impletas, totam illam aquam in vinum nullis verbis, nullis actibus exterioribus vſus, nulla mora interpoſita, conuertit: quo etiam magis eius virtus diuina declarabatur. Et rurſus iubet miniſtris depromere ex vaſis illis, & præfecto menſæ, cui ſoliti erant vina miniſtrare, vt ille conuiuis diſtribuat, quod factum eſt, vt per eos miraculum diuulgaretur, qui & ipſius miraculi teſtes erant: & quæ facta erant, propriis viderant oculis. Eſt autem architriclinium locus tribus conſtratus lectis ad diſcumbendum: olim enim in lectis accumbebant. Vnde architriclinus dicebatur qui præerat conuiuio.

9. *Et tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum architriclinus: & dicit ei.*] Dicto obediunt miniſtri quamuis nondum ſcirent aquam vinum factam: delatum vinum architriclinus deguſtat vt moris eſt, miratur excellentiam, interrogat ſponſum. Miranda miniſtrorum obedientia: iam enim ſciebant vinum eſſe factum id quod iuſſi promere ex colore & odore potuerunt cognoſcere. Architriclino autem etiam miranti, & vnde hoc vinum eſſet ignoranti, rem non patefaciunt, quia fortè tantum Chriſtus: *Haurite & ferte architriclino*, iuſſerat: vel fortè Chriſtus id fecit ne vinum

num defeciſſe diuulgaretur. Bonum Chriſti conſilium fuit; nam maior fides habenda erat miniſtris, qui non ſponte ſua ſed interrogati, rem, vt facta eſt, declarauerunt. Aquam vocat vinum architriclinus, quia paulò ,antè aqua erat. Sic Euchariſtia iam conſecrata panis dicitur. 1. ad Cor. 11. Sic virga Moſis in ſerpentem conuerſa virga tamen dicitur, Ex. 7. vt diximus Mat. 26, Ex hoc quod ſponſum vocauerit colligitur ſponſum ad menſam non accubuiſſe.

10. *Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.*] Hoc dicit inſimulandi gratia, quòd ordinem conuiuij non ſeruaſſet. Quod autem dicit, *cum inebriati fuerint*, Euangeliſta perſonam architriclini inducit, qui refert quæ fieri ſolent in alij conuiuijs, ſicque nulla eſt ſuſpicanda intemperantia.

11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam: & crediderunt in eum diſcipuli eius.*] Id eſt primum omniũ miraculorum quæ vmquam fecit Chriſtus. Vel primum eorum quæ fecit in Cana Galilææ. Alij dicunt primum eſſe quod factum eſt coram diſcipulis. Alij primum factum ad manifeſtationem diuinitatis ſuæ: nam à nuptijs cœpit ſe manifeſtare. Fructus autem miraculi, imo finis propter quem venit in Cana, fides fuit diſcipulorum. Et cum dicitur, *crediderunt in eum*, inſinuat eos non antè credidiſſe. Sed dicuntur credidiſſe, quia confirmati & aucti ſunt in fide: quem enim hominem tantummodo putabant, diuinitatem iam habere quandam credi

crediderunt. Dicti autem sunt prius discipuli, quia ipsi aliquo modo adhæserunt, ipsum audierunt, & ei fidem aliquam habuerant, moti Ioannis testimonio vt ad eum venirent. Ex Aug.

12. *Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.*] Voluit, & propter celebritatem huius oppidi, & propter mores eius corruptissimos ibi habitare, & suæ doctrinæ primitias dare: vt significaret facto illo primo miraculo in Cana non amplius Christum latere voluisse. Ex Chrys.

13. *Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.*] Causam refert cur paucis diebus manserit Capharnaum; nempe quia propè erat Pascha Iudæorum. Addidit Ioannes *Iudæorum*, vt Pascha illud à nostro Christianorum distingueret. ait Beda.

14. *Et inuenit in templo vendentes oues & boues & columbas, & nummularios sedentes.*] Bis Christus eiecit è templo ementes & vendentes, 1. propè suæ passionis tempus: vt Mat. 21. Mar. 11. Luc. 19. Et initio suæ prædicationis, quam alij omiserunt. Vide Mat. vsque ad vers. 18.

18. *Responderunt ergo Iudæi: & dixerunt: Quod signũ ostendis nobis quia hæc facis.*] Id est quo miraculo probas potestatem ista faciendi? negare non poterant malefacta sua, & in domo Dei, tales negotiationes non rectè fieri, conuicti erant: ideo responsum in ipsum facientem dirigunt. in posteriori eiectione hanc responsionem Pontifices & seniores Iudæorum fecerunt.

Respondit

Respondit Iesus, & dixit eis: soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.] Idem est horum verborum sensus cum illis Ioan. 8. *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* i. cum me crucifixeritis post tres dies resurgam: & illa mea resurrectio erit vobis signum, quo cognoscetis me esse verum Christum & Dei filium. hoc nunc Christus dicit, soluetis hoc corpus ab anima, quod ego post tres dies excitabo, & tunc erit id vobis signum, quo agnoscetis potestatem meam, qua id facio. Cum dicit, *soluite*, non est Verbum præcipientis, sed præscientis quod facturi erant, & permittentis, ex Theoph.

20. *Dixerunt ergo ei Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?*] Iudæi non intelligentes mysterij magnitudinem nec potestatem, irridentes respondent: Rectè ita Christus mysterium suum celauit, vt sensum aliquem apertum reliquerit, quo possent cognoscere eum posse facere quæ faciebat. Nam qui poterat templum illud materiale tribus diebus excitare, vt illi intelligebant, iure poterat peccantes contra Dei honorem, templo illo expellere. Non conueniunt interpretes de annorum numero, & computatione. Nam de fide nihil certi ex hoc loco colligi potest: Ioannes enim refert, tantum quod Iudæi respondent. An autem verum sit non refert. Sunt qui cœptum ædificari templum primo anno Cyri, perfectum sexto Darij dicunt, vel septimo inchoante.

21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*] Iudæi de templo materiali intellexerunt; Christus

Christus verò de templo corporis sui loquebatur. Quod notauit Euangelista ne id Christus dixisse putaretur, & videretur verum esse quod ei postea duo falsi testes obiecerunt, Mat. 26. 61. Certum est gestu ipso, & manuum motu, non illud materiale sed se ipsum demonstrasse: sicque poterant vt & discipuli, intelligere si voluissent.

22. *Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus.*] Discipuli nec tunc hoc intellexerunt, sed postquam resurtexit, recordati sunt verborum quæ protulit nunc, & crediderunt eum per ea verba mortem prædixisse, & resurrectionem suam, & vera esse quæ prius dixit. Crediderunt etiam scripturæ, in qua mors & resurrectio Christi prænuntiata est, crediderunt enim eam in Christo compleri. Ex Chrys.

23. *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat.*] Septem dierum tempore, quo ad celebrandum Pascha venerat. Quæ autem, & qualia sint signa non narrat: multi tamen propter ea crediderunt in nomine eius, i. ipsum esse verum Messiam, & Christum promissum, vt 1. Io. 5. Chrys. putat eos non verè, sed simulatè credidisse.

24. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*] Id est non se eis cõmittebat, non illis habebat: quia sciebat facilè mutandos, & a fide concepta recessuros c. 6. sed & se persecuturos.

25. *Eo quòd ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat: vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse*

ipse enim sciebat quid esset in homine.] Rationem reddit cur eis non fideret, quamuis credentibus, quia cognoscebat omnes, vel omnia, i. sciebat quibus esset fidendum, & à quibus cauendum. Et hoc sine alterius testimonio, & relatione sciebat; sed scientia suæ diuinitatis, sciebat qualis quisque esset. Sciebat interiora cordis, & quæ futura erant: sicut quod non se crederet eis, erat humanitatis. Ex quo Patres omnes contra Arianos probant Christi diuinitatem. Nam scire ea quæ in corde sunt hominum est Dei, qui corda plasmauit, ait Chrys.

CAPVT III.

Nicodemum docet mysteria fidei: & Ioannes Baptista de Christo testimonium exhibet.

1. ERat *autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.*] Multos visis miraculis credidisse, superiore cap. dixerat. Iam de vno quodam præcipuo recensel, quomodo discendi causa Christum adierit. Hic autem Pharisæus erat professione, princeps dignitate: quæ duo apposuit, quia totus ferè Pharisæorum & principum ordo, Christo semper fuit contrarius. Ex c. 7. 48. Hic restitit Pharisæis Christi causam defendens: Et c. 19. venit ad vngendum Christi corpus. Princeps dicitur quia caput erat familiæ: vel quia publicam aliquam gerebat administrationem: vel propter

pter nobilitatem. Hæc fuit causa cur noctu & occultè veniret, vt hominum sui ordinis vitaret odium, & vt pudorem & grauitatem retineret Ex Chrys.

2. *Hic venit ad Iesum nocte: & dixit ei.*] Rationem reddit Ioannes c. 19. 39. cur nocte venerit, eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum.

Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister.] O Doctor, mihi persuadeo te venisse, & a Deo missum esse Magistrũ, vt doceas veritatem. Nõ enim significat quod Magister venerit à Deo, quasi natus sit Magister; sed quòd sit missus à Deo, vt Magister esset. Sic Mat. 2. *Vbi est qui natus est Rex?* non quòd à natiuitate sit Rex. & quamuis verè esset Rex à natiuitate, & à Deo Magister venerit, tamen nec Magi tunc illud, nec Nicodemus id fortè nunc cognoscebant. Voluit tantum Prophetam à Deo missum confiteri. Venit enim Christus à Deo Magister, quia ab æterno procedens à Patre totam cum essentia accepit sapientiam Patris.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.] 1. Nisi in virtute diuina. q. d. Signa tua non sunt Magorum, seu arte Dæmonis facta. Signa eum altiùs ducebant, vt non solum à Deo missum Magistrum crederet, sed etiam Deum esse: sed tenebatur adhuc Iudaica infirmitate. Chrys.

3. *Respondit Iesus, & dixit ei.*] Apparet ex hoc illum interrogasse de rebus ad salutem necessariis, etsi scriptum non est. Aut Christus respondit intelligens, quid ille vellet, nempe vt regni Christi quem Messiam credebat particeps esset; vel quia venerat vt ad hominem, ideo

adeo voluit docere alia opus esse generatione. Ex Aug.

Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.] Blanda comitate docilē paulatim prouehit ad altiora, mysteria, incipiēs à regeneratione baptismatis, quæ principiū est Christianismi, ἄνωθεν significat etiā è supernis, cœlitus: sed hic pro *iterum* accipi apparet ex responso Nicodemi, & *videre* pro *possidere*, aut possessionem capere. Ex Chrys.

4. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?*] Sic solent carnales homines ad res Spiritus cæcutire. 1. Cor. 2. Quomodo vterus repeti non potest, vt bene intellexit Nicodemus: ita nec baptismus.

4. *Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*] Rursus Christus non est offensus tam crasso hominis responso, & interrogatione incredulitatem quandam præ se ferente, sed sciens animo discendi auido interrogasse, interpretatur benignè quod obscurius dixerat: & ostendit quo modo quis denuo renasci potest, & debet; non scilicet ex vtero matris, sed ex aqua & Spiritu sancto. His autem verbis significat baptismum Euangelicū, per quem regeneratur homo in nouum hominem, & in statum filiorum Dei constituitur. Tit. 3. Hæretici falso dicunt non de baptismo intelligi debere, sed de renouatione quæ fit per Spiritum sanctum: aquam autem, & Spiritum vnum & idem significare: aquam verò poni, vt exprimatur effectus Spiritus, qui est purgatio, & vegetatio interior, sic violentā

vt

vt asserant in Baptismo aquam non esse necessariam. Sed Ecclesia vniuersalis pugnat contra hanc hæresim, & scriptura, Eph. 5. & Act. 8. Philippi factum demonstrat dum Eunuchum aqua baptizauit. Et Sacramentum sit sensibile signum ex aliqua re, & verbo consistens. sic Chrys.

6. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*] Vbi declarauit secundam generationem prima esse longè diuersam, iam ostendit quanta differentia sit inter id quod priori, & quod secunda nascitur generatione: ex qua differentia etiam indicat rationem ob quam necesse sit denuò nasci, idque ex aqua & spiritu, ad consequendum regnum Dei. Nam cum spirituale regnum Dei caro & sanguis possidere nequeat, 1. Cor. 2. necesse est vt id, quod ex carne tantùm caro natum est, deinde etiam ex spiritu nascatur spiritus: vt sic regnum Dei ingredi possit. Carnem hoc loco appellat non peccatum, quia de peccato non est sermo, sed hominem ipsum, secundum esse naturale & humanum, quod naturali generatione accipitur: vt discernat esse corporeum à spirituali, quod est per gratiam: vt sup. c. 1. 3.

Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.] Cyril. ad sequētia refert, q. d. Ne mireris quod dixi tibi, Oportet vos nasci denuo: spiritus enim vbi vult spirat. Alij ad superiora. q. d. Non mireris quod dixi, Oportet vos nasci denuo; quod enim natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. i. non de carnali, vt tu putas, sed de spirituali loquor generatione. Rectè mirareris si de car-

nali loquetur : & rectè concluderes non posse hominem nasci cùm sit senex. Probat ergo non debere Nicodemum mirari quòd oporteat hominem nasci denuo, quia quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Probat deinde quod homo potest ex spiritu nasci, quia spiritus vbi vult spirat. Ideóque hominem, quamuis non appareat posse inuisibiliter regenerari ex spiritu.

8. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis : sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.*] Confirmat sententiam præcedentem : nam probat hominem posse ex spiritu nasci, etiamsi id nos minimè intelligamus : quia spiritus vbi vult spirat. Quidam per spiritum animam intelligunt : vt Gen. 6. 3. & 7. 15. Iob 12 Psalm. 76. 4. vt sumpto exemplo à vita corporali ad vitam spiritualem argumentetur. q. d. Quid mirum Nicodeme si non capis quo modo homo ex Spiritu sancto possit regenerari, cùm non intelligas quo modo ex spiritu isto naturali, quo viuit, generetur: Spiritus enim animalis vbi vult spirat. i. quæ vult animat corpora, & ex mortuis viua reddit, & vocem eius audis, loquentem hominem, equũ hinnientem ; nescis vnde veniat, aut quò vadat, quomodo anima in corpus ingrediatur & egrediatur è corpore, vnde gignatur, aut in quid desinat. S. Aug. Spiritum Dei intelligit. Docet ergo Christus natum de spiritu spiritum esse, & similem spiritui de quo natus est : non quidem per omnia, fieri enim non potest, vt homo Spiritui sancto, qui Deus est, omnino sit similis ; sed est similitudo aliqua participata, quæ in tribus posita est. 1. spiritus vbi vult spirat. i. liber est

in

in suis operationibus, quod vult facit, nullo retinetur impedimento, nulla premitur seruitute: vt 1. Cor. 12. & 2. Cor. 3. legem implet, tentationes superat, peccata vitat, quod bonum vult operatur. Quadruplicē assequitur libertatem. Prima est à seruitute legis Mosaicæ. Gal. 4. 2. à lege morali quæ cordibus insita est, non quòd ablata sit renatis, sed quod eis per Spiritum sanctum gratia collata est, & virtus eam adimplendi. Rom. 7. 3. à seruitute peccati & diaboli: nam qui est in peccato, diu perseuerare non potest, quin in alia labatur: Spiritus autem Dei ab hac nos vindicat Rom. 6. 4. est à seruitute corruptionis, & mortalitatis, quam spiritus tribuit renatis non in hoc seculo, sed in resurrectione. Rom. 8. *Viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Sunt qui ventum significare putant. Nam vt venti flatum sentimus, & strepitum audimus, nescientes vnde veniat, aut quò vadat: ita effectum Spiritus sancti in nobis experimur, & nos videmus repente ab eo mutatos, cùm qua ratione id factum fuerit non intelligamus. Sic Cyr. & Chrys.

Et vocem eius audis.] Hoc est, in quo qui natus est de spiritu similis est spiritui de quo natus est: Spiritus enim in se inuisibilis & insensibilis est: tamen vox eius auditur, loquitur enim per eos quos inspirat. 2. Pet. 1. Mat. 10. Act. 6. quamuis non omnes percipiant vocem esse spiritus: sicut omnes, qui Christum audierunt, audierunt quidem vocem filij Dei, licèt non omnes crediderint esse filium Dei. sic vox omnis qui natus est ex spiritu, auditur, sed quod intus est non videtur. Aug. & Beda.

Sed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt de Spiritu.] 3. Eſt ſimilitudo, in qua geniti de ſpiritu cum ipſo ſpiritu ſimiles ſunt. Nemo ſcit quò vadat ſpiritus, aut vnde veniat. i. nemo vias, conſilia, iudicia Spiritus ſancti cognoſcit, quamuis vocem eius audiat. Rom. 11. Sap. 9. Sic eſt omnis qui natus eſt de ſpiritu. Nam homines huius ſeculi vident opera iuſtorum natorum de ſpiritu: at vias eorum nemo nouit, niſi qui eodem ſpiritu agitur. cogitationes enim, deſideria, fines, intentiones ſpiritualium ſunt occultæ iis, qui ſpiritum Dei non habent. 1. Cor. 3. Act. 2. ita Tolet.

9. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?*] Licèt verbis Chriſti edoctus, & nihil iam de carnali generatione cogitet: tamen ſic rudis eſt vt non cognoſcat quomodo ſpiritus effici, & naſci poſſit. Priùs negando reſpondit, quomodo fieri poteſt vt naſcatur homo cùm ſit ſenex? nunc paulò capacior factus, ignorando interrogat, quaſi diſcere cupiens. Haimo.

10. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignòras?*] Doctor celebris in toto Iſrael. Meritò doctori vitio datur ignorantia, & ſtultitia neſcienti quæ ſunt muneris, ſi quis apud eos doctor ita rudis erat quales erant diſcipuli. Cyril. l. 2. c. 46.

Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.] Vt ignorantię, ſic nunc arguit incredulitatis. q. d. Ego quæ ſcio loquor, & quæ vidi teſtor. i. certiſſima ſunt verba mea: quia non ex opinione, non ex relatione alterius, ſed ex ſcientia, & viſu dico,

dico, & loquor: & adhuc non accipitis testimonium meum, nec verbis meis creditis. Arguit præcipuè vt fidem habeat, & etiamsi non percipiat, credat, ideo Christus suum testimonium sic commendat. Nec voluit semper omnino explicare mysteria, ne potiùs rei euidentia quàm verbi obedientia assensum faciat: propterea adhuc re non intellecta suadet vt credat. Cyr. l. 2. cap. 47. At quid est hoc quod se scire & vidisse dicit? Nam loquebatur de regeneratione ex aqua & Spiritu sancto, quæ nondum facta erat, inquit Chrys. tamen non constat an iam cœpisset baptizare: & quamuis nondum baptizasset, tamen vt Deus tam præsentia quàm futura videbat. Et loquitur in plurali de se solo, vel quia non solus, sed & Pater & Spiritus sanctus, *vidimus*: vel alij Prophetæ: vel qui iam regenerati fuerant. Et sic quia in Nicodemo alios Iudæos arguit incredulitatis, ideo dicit, *non accipitis.*

12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?*] Arguit tertiò Nicodemũ & Iudæos tarditatis ingenij, vt eos inducat ad fidem habendam his quæ non intelligunt. q.d. Si non creditis quæ facilia, nec quæ difficilia credetis: sicque tacitè allicit spe percipiendi maiora. Chrysost. per terrena generationem spiritualem, quæ fit per Baptismum intelligit: per cœlestia generationem æternam filij Dei à Patre: cuius comparatione omnis nostra generatio terrena est: quia finita & creata est. Non quòd diuina non sit, sed quòd hominibus detur, qui sunt super terram. Alij ventum, rem terrenam dixisse putant; Spiritum verò sanctum, & to-

tam regenerationem cœlestem vocari.

13. *Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo*] Dixerat suprà, *Si cœlestia dixero non credetis*, nunc hanc illis exprobrat incredulitatem. Quia nemo ascendit in cœlum vt ibi videret cœlestia, nisi ego qui eram in cœlo & descendi. Et ideo nemo sicut ego cœlestia enarrare potest. Sicque sapienter inducit ad credenda cœlestia, quæ dicturus est: & cõfirmat ad fidem eorum quæ dixit. Loquitur de se in tertia persona vt vnitatem, siue identitatem suæ personæ declaret. Nam qui filius hominis, ille idem est filius Dei, qui est in cœlo. Hæc Tolet. Quæres quomodo nemo in cœlum ascendat cùm omnes iusti ascendere credantur. Respondet Aug. quod iusti quidem ascendunt, sed non nisi cum Christo, factique eius membra. Vel Christus ascendit virtute propria; iusti verò virtute alterius, i. Christi. Vel dicendum. Ascendere in cœlum hic tantùm significare res diuinas cognoscere: nullus autem ante Christi aduentum cœlos ascendit, & vidit cœlestia, vt postea descendens illa enarrauerit. 2. Quæres quomodo Christus dicatur ascendisse in cœlum, cùm nondum mortuus esset. Respondetur hîc dictum esse per communicationem idiomatum, quia filius hominis cùm in terra esset, in cœlo quoque esse dicebatur, quia idem Deus erat, & Deus erat in cœlo. Alij dicunt in cœlum ascendisse, quia eius anima erat beata. Alij ascendisse secundum diuinam naturam qua res omnes cœlestes & diuinas contemplabatur. Alij meliùs sicut non secundum diuinam, sed secundùm humanam naturam de

de cœlo descendisse dicitur: ita secundùm humanam non secundùm diuinam dicitur ascendisse: tamen propter diuinam personam, & propter vnionem hypostaticã homo ille Christus & verè ascendisse, & verè descendisse dicitur: quia qui priùs in cœlo erat, in terra verò, etsi erat, non videbatur, sumpta humana natura cœptus est repente in terris videri, perinde ac si de cœlo descendisset. Nihil autem his verbis voluit probare, quam neminem vnquam mortalium, qui in mundo sunt, fuisse priùs in cœlo, vt descendens postea de cœlestibus visis loqueretur, præter seipsum, qui semper est in cœlo, & assumpta carne descendit. Ex Chry. & Aug.

14. 15. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*] Versu præcedenti docuit Christus quàm necessarium esset, vt omnes sibi fidem adhiberent, qui salui esse vellent. Id nunc exemplo serpentis à Moyse olim erecti declarat. Nam sicut tunc nullus à serpentis morsu, nisi in serpentem aspiceret, sanabatur: ita nunc nemo saluatur nisi in se credat. Credere est in Christum aspicere. Alij sic nectunt quia de Baptismo egerat nunc de passione agere: vt 1. Cor. 1. 13. Rom. 6. 3. Alij ideo figuris velle Nicodemum adducere, quia non potuit res cœlestes capere: vt Io. 3. 39. Alij causam reddi cur de cœlo descenderit, vt sicut serpens ille exaltaretur, & homines in ipsum aspicientes saluarentur. Christus autem ideo hanc figurã proponit, quia nulla alia tam bene omnes aduentus partes exprimit. 1. sicut serpens

apparebat, sed verè serpens non erat : sic Christus in incarnatione similis aliis homo peccator apparebat, & non erat. Rom. 8. Philip. 2. 2. serpens igne conflatus est : sic Christus igne Spiritus sancti conceptus. 3. serpens in ligno exaltatus est: sic Christus in cruce. 4. qui in serpentem aspiciebat sanabatur, qui non aspiciebat, peribat : sic qui in Christum credit vitam æternam habebit, qui non credit condemnabitur, Mat. vlt. 5. Vnus ille serpens erat ad salutem multorum : sic Christus vnus est ad iustitiam omni credenti. Rom. 10. 6. serpens erat in signum : sic crux Christi vexillum est, erectum contra acies dæmonũ. Isa. 5. Ier. 4. Luc. 1. malè probant hæretici ex hoc loco hominem sola fide iustificari.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret : vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*] Cùm dixerit filium hominis exaltandum, vt serpentem, quod mirum videri posset Nicodemo, causam reddit cur mirum non sit; quia Dei amor erga homines id fecit, non necessitas, aut ipsius culpa, non impotentia, non infirmitas. Finis autem seu fructus duplex est ne homo pereat. i. vt à peccato & æterna morte eripiatur, & vitam æternam adipiscatur. Potuisset dare vt mundum iudicaret & damnaret, & tunc non ex dilectione sed ex iustitia dedisset; at voluit dare ad hoc, vt qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, quod ex nimia dilectione fecit. 1. quia prior dilexit. 1. epist. 4. 2. quòd Deus hominem inter quos est tanta dissimilitudo. 3. quòd peccatores ipsosmet, qui illum offenderant, dilexerit.

4. Rom. 5.

4. Rom. 5. 8. quòd non Iudæos tantùm quibuscum fœdere coniunctus erat, sed omnes omnino homines. 5. quòd non quiduis, sed filium suum vnicum dederit. 6. quòd dederit, vt exaltaretur in cruce sicut serpens. Ex hoc loco infertur Christum esse verum Deum, & eum non pro solis prædestinatis mortuum esse, sed pro omnibus omnino hominibus, datum esse. Denique non venturum fortàn fuisse in hunc mundum, si homines non peccassent.

17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum.*] Causam refert cur ex dilectione filium suum miserit, quia videlicet non miserit ad ferendam sententiam contra mundum, sed ad saluandum eum. Alioqui non ex dilectione sed ex iustitia dedisset. Venit ergo non vt iudex, sed vt saluator in priori aduentu.

18. *Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.*] Confirmat se non venisse vt iudicet, sed vt saluet, ne homo pereat. Nam vel credit in ipsum, vel non: neuter autem in hoc priori aduentu iudicatur; qui enim credit non iudicatur, ideſt Deus nõ exercet suam iustitiam contra eum, sed misericordiam, remittens peccata, & largiens gratiam credentibus. Io. 5. Qui verò non credit, nec iste iudicatur à Christo: iam enim iudicatus est, etiamsi Christus nõ venisset, quia Deus tulit mortis sententiam in omnes filios Adæ, quamuis nondum sit executioni demandata contra omnes. Misit filium, vt eos qui crederẽt in eum, saluos faceret. Iam aliqui credunt, ali-

qui non: qui credunt à sententia lata liberantur, & ex misericordia Dei eis peccata remittuntur. Qui verò non credunt, Christus veniens non fert sententiam contra eos: iam enim lata est à principio vt infr. c. 5. & Col. 2. ex Greg. 27. Moral.

19. *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*] Exponit qua ratione qui nō credit iudicatus est. *Hoc est*, inquit, *iudicium*. id est, hæc est forma, qua damnatus dicitur, quia venit lux in mundum, & multi elegerunt potiùs in suis tenebris permanere quàm lucem recipere. Erant ipsi in tenebris, propterea que iudicati, & damnationi adscripti. Venit autem vt dissipatis tenebris lumen vitæ daret: quod recipere nolentes in suis potiùs tenebris manere elegerunt; propterea iam damnati dicuntur, non quòd eos lux damnationi adscripserit, sed quòd ipsimet sese à dānatione eripi, & lumē recipere noluerint: vt ait Tolet. Medicus omnes infirmos sanare venit, qui nolunt eius opera uti moriuntur, non propter medicum; quasi venerit vt illi moriantur, sed propter infirmitatem, quam ipsi contraxerunt, & per medicum sanari noluerunt, ait Aug.

20. *Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*] Causam reddit qua ratione tenebræ non solùm dilectæ, sed etiam magis quam ipsa lux amatæ sint, quia opera hominum mala erant: qui autem malè agit, odit lucem: & non venit ad eam, non propter ipsam lucem, sed quia lux opera mala reuelat, & manifestat, vnde reprehēdi possint. Ex Chrys.

21.

21. *Qui autem facit veritatem venit ad lucem vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*] Hæc est altera pars similitudinis, quæ priori opposita est. Qui mala facit opera, tenebras diligit: at verò qui bona, ad lucem venit, quia per lucem non arguuntur eius opera, sed manifestantur esse secundum Deum, siue secundum legem Dei facta. Veritatem hoc in loco, legem iustitiæ & rectitudinis vocat: vt Ps. 118. & 24. & 42. & bona opera vocat veritatem, quia de luce agebatur, qua cognoscitur an vera an falsa sint opera. Sic Beda.

22. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram.*] Colloquio habito Hierosolymis cum Nicodemo transit Iesus cum discipulis in aliud territorium Iudææ, quasi ex vno in alium locum Iudææ se transtulerit.

Et illic morabatur cum eis & baptizabat.] Causam reddit cur eo venerit, vt illic baptizare, & prædicare inciperet. Nam baptizasse eum antè non legimus. Baptizasse autem dicitur, non quod ipse per se, nam in capite sequenti neminem baptizasse dicitur, hic tamen dicitur baptizasse per discipulos suos. Cur autem eo potiùs quam alio loco baptizare voluit? quia ibi Ioannes, qui præclarum illud de ipso testimonium perhibuerat, *ipse vos baptizabit in spiritu sancto. Mat.* 3. Et quia locus erat ad baptizandum aptus, quia aquæ multæ ibi erant, & magnus hominum concursus ibi fiebat. At cur per se non baptizabat? Quia Spiritus sanctus nondum datus erat, in quo ipse baptizaturus erat, vt ait Ammonius. Sed verius est Christum ante passionem & resurrectionem suam baptizasse in Spiritu sancto in remissio-

nem peccatorum. Et fortè hoc ipso loco aliquos baptizauit discipulos. Quod autē posteà dicit Ioannes ipsum non baptizasse : idest non solitum baptizare, etiamsi paucos aliquos aliquando baptizauit. Quare melius dicendum ideo Christum non per se sed per suos discipulos baptizasse, vt ostenderet quid inter suum & Ioannis baptismum inter esset. Nam baptismus Ioannis non erat idem, si ab alio quàm à Ioanne daretur, quia Ioannis nomine non dabatur. At Christi baptismus à quocumque dabatur, erat Christi ; quia non eius qui dabat, sed eius qui instituerat Christi auctoritate dabatur, ait Aug.

23. *Erat autem & Ioannes baptizans, in Ænnon iuxta Salim, quia aqua multa erant ibi.*] Refert Ioannem illic etiam baptizasse, quia aperit viam ad sequentem historiam, relaturus quomodo Ioannis discipuli ægrè tulissent, quòd Christus baptizaret, & Ioanne deserto omnes ad eum currerent : vt occasionem haberet exponendi quod testimonium Ioannes de Christo illa eadem occasione reddidisset. Ænnon oppidum est quatuor miliaribus distans à Sichem ciuitate, à multitudine aquarum sic dictum. Salim autem erat oppidum iuxta Sichem. Ex Hier.

24. *Et veniebant, & baptizabantur : nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.*] Christo baptizante etiam Ioannes baptizat, & ad eum populi veniunt : nec à baptizando destitit donec missus est in carcerem. Diuina autem prouidentia factum est vt incipiente Christi baptismo Ioannis baptismus non omnino cessaret, sed expectaret carcerem, ne in Christum populi

populi insurgerent, existimantes ipsius causa Ioannem non baptizare. Voluit enim id potius Herodi adscribi, ne ante tempus persecutio oriretur. Et quia hoc suo facto Ioannes baptismum Christi probabat, & suo excellentiorem testabatur. Et ne indignatione quadam desiuisse videretur, quòd Christus baptizaret. Et vt à se baptizatos & quodam modo initiatos mitteret ad Christum. Chrys. & Aug.

25. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.*] Discipuli Ioannis inuidia & ambitione Magistri gloriam, & suam quærentes mouerunt quæstionem cum Iudæis. Christi discipulis, non quidem ex iis qui Christum semper sequebantur tanquam eius familiares, sed ex iis qui ad eum vt baptizarentur, & ipsum audirent, veniebant. Quæstio autem fuit vel de Iudaicis & legalibus purificationibus: vel potiùs de Baptismo vter eorum esset melior. Ex Aug.

26. *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei*] Discipuli ad Ioannem Magistrum venerunt quando contra Iudæos prævalere non potuerunt: putabant enim eum ægrè laturum quòd Christus baptizaret, & plures ad eum cõcurrerent. Sed contra accidit. Nam Magister Iudæos defendit, & cõtra discipulos sententiam tulit, illis valde salutarẽ: Nam fidei veritatẽ ignorãtibus manifestauit, & in causa propria de baptismo cõtra se humiliter, sed verè iudicauit. Tob.

Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.] Indignantur Christi baptismam suo præferri, & quantum possunt, conantur Magistrum ad iracundiam prouocare. 1. captando

ptando illius beneuolentiã Rabbi vocant, quia ad eum pertinet, & suam auctoritatem & discipulorum partes defendere. 2. despiciunt, & deprimunt Christum, dicentes, *qui erat tecum*, ideſt qui quasi inferior ad te venerat, & quia nec Christum nec Iesum vocant, nec dicunt, quem baptizasti, ne in memoriam Patris vocẽ de cœlo delapsam reuocent, sed *qui tecum erat trans Iordanem*, quasi vnus ex aliis quos baptizasti. 3. *Cui tu testimonium perhibuisti.* q.d. Cui tu tantum honoris tribuisti, vt hoc verbo ad iram velut in ingratum impellant. 4. *Ecce hic baptizat*, q. d. Vsurpat tuum officium, & addunt aliquid veritati, cum fortè non ipse, sed discipuli, ipsius nomine, baptizarent: denique rem augent, vt magis commoueant, *Omnes veniunt ad eum.* q. d. Te derelinquunt: & ad eum conuertuntur: tua res agitur, tuo honori consulimus. Hoc tamen non erat verum, quia multi etiam ad Ioannem veniebant: vt suprà dictum est. Isti nolentes confitentur Christi baptismum ab omnibus præferri, & fiunt præcones veritatis. Rupertus putat hos discipulos Ioannis fuisse Pharisæos, ideóque Christum spreuisse. Luc. 7. 30.

27. *Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.*] Intelligens se à discipulis Christo præferri, & vt seipsum Christo anteponeret inducì: respondet fieri non posse, nec debere, vt maiorem præstantiam & auctoritatem accipiat quàm sit ei à Deo concessa: sicque vanos conatus discipulorum reprimit, non acerbè sed prudenter, ne à se discederent, & ad Christum non irent. Chryſ. q.d. Nolite Christo gloriam suam inuidere,

inuidere, ambo quidem docemus, ambo baptizamus; sed ille sua, non ab alio accepta; ego illius, ideſt accepta de cœlo auctoritate. Ille enim Deus, ego sum homo. Loquitur autem de rebus bonis, de gratia, de virtute, de sanctitate, de auctoritate baptizandi, quas in Ioanne discipuli admirabantur. Nam vitia quidem à nobis ipsis accipimus. Ioannes non vehementer discipulos increpat, timens ne ab eo separati aliquid aliud operentur vt notat Chrysostom.

28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.*] Ioannes suis eos verbis conuincit. Vos, inquit, dicitis me testimonium perhibuisse, testimonium autem hoc est, in quo mensuram meam aperui, nempe præcursoris officium; hanc non possum excedere, nec Christo me anteponere, aut coæquare. Tacitè discipulos arguit, q. d. Iam ex me audieratis illum esse Christum, & me esse præcursorem; illum Dominum, me seruum. Non igitur erat cur turbaremini, si baptizantem ab omnibus mihi prælatum vidistis. Reprehendit etiam eos quod se tentarent vt aliquid faceret aut diceret contrarium his, quæ testificatus erat, & ipsi nouerat. q.d. Cum scireris quid iam de Christo testatus sum, non erat cur ad me veniretis sperantes contrarium aliquid dicturum. Chrys. & Aug.

29. *Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*] Docet hoc exemplo quid inter se & Christum interſit; tantum nimirum, quantum inter sponsum, & amicum sponsi;

Christum

Christum sponsum esse, se eius esse amicum, q. d. Ad sponsum sponsa pertinet, amici autem munus est, honoris gratiâ in sponsalitiis sponsum comitari, ipsum cum sponsa colloquentem audire, & in hoc gaudere, non autem spõsam sibi appetere. Non ergo ægrè ferre debebant quòd plures ad Christum venirent: hoc enim erat sponsam sponso copulari: imò gaudere quòd Ecclesia quæ sponsa est, suo sponso vniretur. Ad Ioannem pertinebat Christo spõso adstare ministrando, testimonium perhibẽdo; eum cum sponsa Ecclesia iam colloquentem, & docentem audire, & in hoc gaudere. Amb. l. de bened. patr. c. 4.

Hoc ergo gaudium meum impletum est.] Idest consecutus sum quod maximè optabam: tantum abest vt ægrè feram ea quæ refertis, vt hæc sint de quibus me conuenit gaudere. Quia vt amicus iam ipsi adstitit ipsum ostendendo, eique officium præcursoris ministrando. Vocem etiam sponsi audiuerat Ioannes; nam & miracula, & prædicationem Christi, ex relatione aliorum, etiam antequam in carcerem coniectus esset, cognouit. Vnde meritò impletum gaudium suum dicit. His verbis insinuat Ioannes suum officium iam iam cessare, & instare tempus locum dandi Christo, eique cedendi. Chrys. ho. 28.

30. *Illum oportet crescere, me autem minui.*] Q. d. Hactenus nomen meum celebrius extitit, & multi me sponsum, & Christum putarunt. Sed iam tempus, vt veritas pateat, & ego cadam à nomine & opinione, quam populus de me falsò concepit, ille autem ascendat ad nomen, quod illi debetur, ex Aug.

31.

31. *Qui de sursum venit super omnes est.*] Id-est non mirum si illum oporteat crescere, quia desursum venit, ideſt Deus est: qui autem Deus & homo est, super omnes nos, qui de terra sumus, est. Connectuntur verba hæc recte superioribus. q. d. Ex quo gaudium meum impletum est, oportet illum crescere. Quandiu enim non loquebatur sponsæ, non prædicabat, non baptizabat, occultus erat & minor videbatur: at postea quâ loqui ad sponsam per opera & prædicationem incepit, quod quidem ad meum gaudium, vt ad amicum, pertinebat, & ego summo desiderio expectabam; crescet nomen eius apud omnes, & qui maior visus sum minor videbor, vt veritas postulat. Minui autem & crescere non ad Christum, nec ad Ioannem propriè pertinet, sed ratione opinionis aliorum. Consolatur discipulos: nam Christum celebriorem fore prædicit, ex Aug.

Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit super omnes est, & quod vidit & audiuit, hoc testatur.] Superius Christum sibi præposuerat: nunc doctrinam simul & personam omnibus anteponit. Et est sensus, qui principium habet de terra non in maiorem præstantiam extollitur, quam conueniat ijs qui de terra sunt, & doctrina eius etiam de terra est; ideſt non est altior quam ea, quæ de terrenis principijs duci potest ex motu, mutatione & alijs: nam vnusquisque ex ijs quæ percipit, & sibi sunt cognita, sumit cognitionem. Atqui de cœlo venit, i. qui naturæ est superioris & diuinæ, ille super omnes est: sicut cœlo nihil est altius, sublimior etiam est doctrina.

ctrina eius, quia quæ vidit & audiuit narrabit. Non est autem tautologia. Nam priore loco esse de terra, est originem a terra ducere: posteriore ex terra constare, terrenum esse: vnde non eundem sensum efficiunt, sed respondent duobus sequentibus. *Qui est de terra* respondet ei, *Qui de cœlo venit*. Quod autem repetitur, *de terra est*, respondet ei, *super omnes est*: Vt sit sensus, qui originem & naturam habet terrenam, de terra est, ideſt, non confertur nisi terrenis & inter ea habet suam præstantiam: at qui de cœlo venit, ideſt, naturæ diuinæ & cœlestis, hic super omnes est, & non inter eos, qui de terra sunt, sed inter & super omnes habet suam præstantiam: vt Io. 8. Doctrina autem & scientia sequitur naturam: terrenus de terrenis; cœlestis & diuinæ naturæ Magister, de diuinis loquetur: nam quilibet quæ sibi cognata sunt cognoscit: His autem duobus, *Quæ vidit, & audiuit*, insinuat Christum filium Dei à Patre procedentem: qui videre dicitur quia verè suam, quæ Patris est, essentiam videt: audire autem, quia essentiam & scientiam habet à Patre. Christus autem venire de cœlo dicitur, quia naturæ diuinæ est, & carnem assumpsit: venire enim est carnem sumere. Nec dicitur, de cœlo est, sicut dicitur homo de terra esse; sed *de cœlo venit*; ne ex cœlorum substantia intelligatur; sicut homo ex terra: sed venit de cœlo, quia naturæ diuinæ est, quæ cœlum inhabitat. Quid igitur inquit Chrys. an Ioannes animam non habebat, quæ de terra non erat? Respondet habuisse, sed istud de terra esse nihil aliud significare quam humilem & abiectum esse. At non videtur spectasse

ctasse Ioannes nisi primam hominis originem, & qualem naturam talem sermonem habere. Quid ergo an Ioannes cœlestia non loquebatur? vtique: nam eius baptismum & doctrinam cœlestem fuisse indicat Christus, Mat. 21. 25. Luc. 7. 30. & c. 1. dicitur à Deo missus. Itaque Ioannis testimonium diuinum erat. Respondent Chrys. Theoph. Euthy. cœlestia quidem locutum Ioannem, sed illa ipsa cœlestia, si cum ijs quæ Christus locutus est, comparentur, fuisse terrena. Melius Aug. & Beda Ioannem quidem, & cæteros omnes, natura sua non nisi terrena loqui: diuina tamen gratia aliquando loqui cœlestia: vel vt Cyril. ea quæ dicebat Ioannes quamuis per se cœlestia essent, quatenus ab homine terreno dicebantur, fuisse terrena, quia vim non habebat homo ea in animis hominum imprimendi: eadem verò à Christo dicta, fuisse cœlestia, quia tanquam Deus vnà cum verbis diuinam quandam in animis virtutem ingenerabat. Orig. ait Prophetas locutos quidem esse cœlestia, non sua, sed aliena persona, i. Dei. Nec hic sermo est de fide & cognitione reuelata, quam homo non habet ex se nisi edoctus ab eo qui de cœlo venit vt notat Tol.

Et testimonium eius nemo accipit.] Pertinaciam, & incredulitatem hominum, suorum vero maximè discipulorum, vt ait Euthym. reprehendit, quòd Christo, ideſt, ipsi Deo loquenti, qui cœlestium oculatus testis, non crederent; sibi verò crederent, qui nihil nisi quod ab eo accepisset, loquerentur. Quod dicit, *nemo*, hyperbole est: nec enim nemo, sed pauci eius testimonium acceperunt. Beda dicit neminem

neminem reproborum accepisse: Nam Petrus, Andreas, Philippus, & Nathanael iam acceperant. c. 1. & ipse Ioannes statim indicat aliquos eius testimonium accepisse. ex Aug.

33. *Qui autem accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est.*] Arguens incredulitatem Iudæorum & credentium paucitatem superioribus verbis, nunc docet quanti referat ei credidisse. *Qui*, inquit, *testimonium accepit*, & ei credidit, *signauit quia Deus est verax*, idest, ipsa fide, quam habuit, velut sigillo quodam suo Deum esse veracem confirmauit: sicut cùm quis narrat ea, quæ solus ipse vidit, si quis dictis eius fidem habeat, ipsa credulitas est signum & sigillum quoddam, quo qui credit confirmat se reputare eum veracem; si enim talem non iudicasset, fidem eius dictis non habuisset. Fides ergo & credulitas audientis, velut sigillum est, quo confirmat loquentem esse veracem. Sic qui credit Christo ipsa fide Deum veracem confitetur. Et hoc etiam argumento discipulos inducit ad credendum Christo. *Signauit.* i. monstrauit, ex Chrys.

34. *Quem enim misit Deus verba Dei loquitur.*] Confirmat superiorem sententiam: qui igitur ei credit, non meri hominis, sed Dei verbis fidem adhibet. A contrario crimen incredulorum cognoscitur, nempe qui non credit ei, mendacem facit Deum, quia verbis eius non credit. Nam quem misit Deus verba Dei loquitur, vt 1. Ioh. 5. Quærit Aug. tract. 14. Quid, ipsum Ioannem nonne Deus misit, c. 1. nonne & ipse verba Dei loquitur? si ergo & Deus ipsum misit, & verba Dei loquitur, quo modo ad distinctionem de Christo eum dixisse acce

accepimus? Quem enim misit Deus verba Dei loquitur. Respondet Aug. ex verbis sequentibus sensum colligi; Christum missum fuisse accepto non ad mensuram Spiritu; alios missos sua quemque secundum mensuram donationis Christi accepta gratia. Theoph. Christum missum fuisse a Deo, sicut radij mittuntur à sole, itaque eiusdem esse naturæ: & cum loquitur verba Dei, idest, sua & propria loqui; cæteros missos vt seruos, quibus mandata data sint, vt hoc aut illud loquerētur. Vel solus Christus dicitur missus, non ex vno loco in aliū, aut quòd datus illi Spiritus sit, quem antè non habuerit, quo sensu Prophetæ omnes, & Ioannes missi dicuntur; sed quòd solus de cœlo venerit. sicut dixit vers. 31. *Qui de sursum venit super omnes est.* Ideo solus verba Dei loquitur, idest, nihil loquitur nisi diuinum, quia à Deo processit & venit in mundum: sed solus inter eos, qui hactenus locuti sunt, verba Dei quasi sua, quasi propria, quasi Deus locutus est, non per visionem, non per somnium, non per homines, aut angelos accepta, sicut Prophetæ alloquebantur. Aliter enim Deus per Prophetas, aliter per filium in nouissimis temporibus locutus. Heb. 1.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.] Christo: nam hominibus quidem ad mensuram dat. 1. Cor. 12. Eph. 4. Dixerat, *quem misit Deus*, hoc verbo intelligens filium Dei: nunc causam dicti sui reddit: *Nō enim dat Deus Spiritum ad mensuram.* q. d. dixi misisse Deum, nempe filium, qui de cœlo venit, & super omnes est: non enim dat Deus ad mensuram, nec beneficia limitata impertit hominibus, si quidem

dem filium suum qui super omnes est, dedit eis. Spiritum bona spiritualia significare quorum auctor est Spiritus sanctus certum est. Mat. 6. quando ergo bona tribuit spiritualia, & ad vitam aç salutem æternam pertinentia, dicitur Spiritum dare. Ad mensuram autem Deus dat Spiritum, quando gratiam, fidem, & alia dona hominibus infundit, quæ finita sunt. Vel est vnum, eundemque hominem non totum habere Spiritum; sed, vt ait D. Paulus 1. Cor. 12. alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ. Habere Spiritum non per se, sed per participationem, idest, ad mensuram habere. Et eo modo dare, est ad mensuram dare. At quando filium suum dedit, non ad mensuram dedit: donum enim hoc infinitum est: de quo dono sequenti cap. dicitur, *Si scires donum Dei.* Et is qui Spiritum non ad mensuram habet alijs dare potest; ij verò qui ad mensuram habent dare non possunt. At Apostoli per impositionem manuum Spiritum sanctum dabant. Act. 8. & 19. Ita quidem sed non per se, non propria auctoritate, tanquam rem suam, sed orando tanquam rem alienam precibus impetratam tradebant. Et qui non ad mensuram habet Spiritum, cum non alium quam diuinum Spiritum habeat, non potest nisi ex Spiritu Dei loqui: & quicquid loquetur verbum Dei erit: At Prophetæ & Apostoli sæpe suo ipsius spiritu loquebantur. Tol. & Mald.

35. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.*] Hoc explicat clarius quo modo non ad mensuram Deus det Spiritum. q. d. in dilecto filio suo posuit omnium hominum salutem. Vide quantum donum, & quomodo non

non ad mensuram dat Deus. Nam filium suum dilectissimum dedit nobis in saluatorem, & redemptorem; non vnius aut alterius, sed omnium. Perpende dictum esse, *Pater diligit filium*, tum vt præstantiam doni magis explicet, dedit enim Pater filium suum, eumque sibi dilectissimũ: tum vt ex amore datum esse filium significet, vt dixit Nicodemo, quo etiam doni excellentia augetur. Mensuram ergo omnem excedunt tum quòd Pater filium dederit, tum quòd filium quem sine mensura diligit, tum etiam quòd ex dilectione erga nos, demum quòd ad generalem omnium salutem. Hæc locutio, *Dedit omnia Pater in manu*, significat omnium redemptionem & salutem; & quæ ad hæc spectant, in filio, non vt Deo solùm, sed vt Deo & homini Christo (vt talis enim redemptor est) posita esse: vt Io. 13. & 17. & Mat. 11. Cyril. dupliciter exponit superiora verba: vno modo, vt sit sermo ratione diuinitatis, nempe omnia quæ habet Pater, vt omnia significent essentialia Patris. q. d. Omnia quæ Patris substantiæ sunt, dedit filio: altero modo vt ratione humanitatis Christus dicatur accepisse omnia, i. virtutem, & potestatem super omnem creaturam, vt dominium quod habet Pater, & ipse filius, qua ratione est Deus, communicauerit sibi vt homini.

36. *Qui credit in filium habet vitam æternam.*] Ioannes docet his verbis filium vnicam esse viam, qua homines salutem consequuntur. Et est conclusio superioris disputationis. Et effectum aduentus Christi quem illis verbis, *Pater dedit ei omnia in manu*, significauerat, his verbis exponit: & respondent hæc verba illis Christi,

Christi, *vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*: non quòd statim ac credit vitam æternam habeat, sed quia suo tempore habebit, quando à seculo receſſerit: quia qui credit ius habet vt perueniat ad vitam æternam. Vel quia Christum per fidem habet, qui ipſa per ſe vita eſt. Gal. 2. & Act. 27. Vel quia arrhabonem quodammodo habet vitæ æternæ. vt ait Paulus Ro. 8. *Spe ſalui facti ſumus.* Et 1. Petr. 1. Caluini peruerſa expoſitio refutatur apud Mat. c. 9.

Qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam.] Per futurum, ideſt, non habebit vitam, neque habere poteſt, neque vnquam poterit quandiu incredulus eſt. Ideo rectè dixit, *non videbit*, ne ſi dictum eſſet, non videt, ſpes videndi dari cenſeretur. At *non videbit*, priuat etiam ſpe futuri. Chryſ. *Non videbit*, vt denotaret perpetuitatem. Et Cyril. vt ſignificaret non ſolum non poſſeſſuros, ſed ne viſuros quidem, aut guſtaturos. Quamuis autem intelligi debeat eadem vita æterna, tamen generalior eſt ſermo, *non videbit vitam*, quia nec in hoc ſeculo vitam ſpiritualem gratiæ, nec in futuro æternam videbit. Plus eſt habere quàm videre: at nec quod minus eſt incredulus aſſequetur. Tol.

Sed ira Dei manet ſuper eum.] Non tantùm incredulus non videbit vitam, ſed etiam iudicium damnationis ſubibit. Et hæc verba illis Domini reſpondent, *qui non credit iam iudicatus eſt*: propterea non dicitur, qui non credit incurrit iram Dei, quaſi ante ſub ea non ſit, ſed *ira Dei & damnatio manet ſuper eum*, ſub qua priùs erat, quia iam iudicatus eſt. Chriſtus enim

enim aduenientes homines peccato obnoxios & iræ filios inuenit. ex August. Qui crediderunt a peccato & ira ad vitam æternam liberati sunt: non credentes vero, manent sub peccato, & ira Dei veteri, à quibus non liberantur. Non ergo solùm vitam non videbunt, sed manent in suo peccato, & iræ Dei subiecti, quia damnationis lege tenentur, & in ea permanent. Hoc Paulus docuit Eph. 2. *Eramus natura filij iræ, mortui peccatis.* Qui igitur in Christo per vitam fidem non viuificantur, non solùm vita priuantur ne eam consequantur, sed manent sub peccato, & ira Dei. Hinc duplex damnatorum pœna designatur: altera non habere vitam æternam, quam Theologi pœnam damni; altera supplicia pati, quam pœnam sensus vocant, ex Mald.

CAPVT IV.

Mulieri Samaritanæ innotescit Christus: & filium Reguli sanat.

1.2. VT *ergo cognouit Iesus quòd audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam.*] Recensèt baptismi Christi famam etiã ad Pharisæos, qui erant Hierosolymis, peruenisse. Fama autem rei veritatem superabat: nam Christus non baptizabat, sed discipuli eius vt notat; vel quia solèt res in ore narrantium augeri & multiplicari, siue quia quod discipuli aut iu-

bente, aut sciente faciunt Magistro, aut non contradicente, Magister ipse facere dicitur: vt 2.Reg.2.30. Siue quia ille ipse baptismus, quem discipuli Christi conferebant, Christi erat, ab eo institutus, ab eo virtutem habens, eius datus nomine, & auctoritate. Quod ipsum magis augebat inuidiam, quàm si per seipsum fecisset. Malè quidam dicunt ideo non baptizasse Christum, quòd nondum per baptismum daretur spiritus, qui non nisi post resurrectionem datus est: & non decuisse Christum ipsum per se sine spiritu baptizare, vt refutaui cap.3. 22. Et quod Tertul. discipulos Christi, non ipsius Christi, sed Ioannis baptismum contulisse. Melius D.Thom. ideo non ipsum per se Christum baptizasse quòd in rebus grauioribus, in docendo, in faciendis miraculis esset occupatus: sic debere præsules Ecclesiæ res graviores per se, minores per alios agere: vt Act.6. Exod. 18. Vt ergo cognouit Dominus huius rei notitiam ad Pharisæos peruenisse, à Iudæa recessit, amputans inuidiam Pharisæorum, & tempore opportuno suam passionem reseruans. Cyr. fecit vt discamus indignationi & furori aliquando locum dare: vt doceret, non vt timeret ait Aug.

3. *Et abiit iterum in Galilæam.*] Prior regressus in Galilęam fuit quando cum Philippo post Andreæ & Petri vocationem, à Iudæa venit in Canam Galilææ: tempore autem Paschatis in Iudæam reuersus eiecit vendentes de templo, miracula fecit, & eum Nicodemus conuenit cap. 2. & Mar.1. Post hæc in alium Iudææ locum migrans baptizabat per discipulos, Ioanne baptizante in Aennon: ibique manſit

manſit vſque ad Ioannis vincula. Tunc cognoſcens ad Phariſęos delatum eſſe ſe plures baptizare quàm Ioannem, iterum in Galilæam abiit Mar. 4. Mar. 1. Luc. 4. & hic eſt ſecundus regreſſus. Tol.

4. *Oportebat autem eum tranſire per Samariã.*] Rectè dicitur tranſeundum ei eſſe per Samariã, quia eſt regio ſita inter Iudæam & Galilæam. Cyr. l. 2. cap. 77. Chryſ hom. 30. *Oportebat*, inquiunt, ne Iudæi conqueri poſſent quòd ad Gentes docendas iret, qui ad Iſrael miſſus eſſet. *Oportebat* q. d. itineris neceſſitas id poſtulabat, vt illac iret ait Beda; tranſiens autem conuenienter virtutem ſuam exercuit, vt ſol quocumque progreditur illuminat.

5. *Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.*] Sichem aut Sichima, vrbs erat Samariæ: veniens ergo in Galilæam per Samariam ad hanc diuertit vrbem, quæ in via poſita erat. Fuit ab Abimelech euerſa, Ioſ. 9. à Ieroboam inſtaurata. 3. Reg. 12. Multa in hac ciuitate memoranda facta ſunt. Abraham primum venit Sichem, ibi primò altare ædificauit Domino Gen. 12. ibi Iacob fixit tabernaculum Gen. 33. ibi Dina corrupta eſt. Gen. 34. conſtituta eſt aſylum & refugium fugitiuis. Ioſ. 20. ibi decem tribus receſſerunt à Iuda. 3. Reg. 12. Oſſa Ioſeph ibi ſepulta. Ioſ. vlt. Melchiſedech, qui fuit typus Chriſti, huius vrbis Rex fuit: celebrior propter hoc Chriſti miraculum.

Iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.] Hiſtoria eſt Gen. 48. Siue ſit ille ager quem Iacob emerat centum agnis, Gen. 33. Siue quem iure belli tulerat de manu Amorrhæi.

6. Erat autem ibi fons Iacob.] Prope aut intra prædium à Iacob extructus adaquandi gregis causa, duplici vt fertur arcus iactu à Sichem distans. Puteus erat, & tamen fons dicitur, quia fons est vbicumque aqua manat. Ex Aug.

Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.] *Supra* pro iuxta vt Psalm. 136. *Super flumina Babylonis.* Sedit quia fatigatus: & fatigatio sitim affert: ex itinere quod pedes confecerat. non in throno, non in loco honoratiori, sed in terra: vel *sedebat sic*, i. propterea sedit & iuxta fontem: quod proprium est iter agentium, vt defessi sedeant ad fontem, refrigerij causa, & vt discipulos expectaret ex Chryſ.

Hora autem erat quasi sexta.] Meridiana, ideóque causam fatigationis & sitis reddit tacitè: non solum quia iter pedibus fecerat, sed etiam quia nondum cibum sumpserat, & solis iam ardor vigebat. ex Aug.

7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.*] Non ex vrbe Samaria; quæ erat remotior, sed ex regione, & ex vrbe Sichem, quæ proxima erat. Notat autem Euangelista fuisse Samaritanam, vt causam indicaret futuri colloquij: quod inde natum est quod Christus Iudæus cùm esset, aquam ab illa cùm esset Samaritana petiuisset. Prudenter Christus eam lucraturus ad fidem, opportunitatem captat quando & necessitas continui potus eam trahit ad fontem, & Christi defatigatio colloquendi præbet occasionem. Fœlix necessitas, quæ eam pertrahit ad salutem, & diues paupertas, quæ per se cogit vt faciat quæ per ministros fieri solēt.

Tem

Temporales necessitates, & indigentia solent salutis consequendæ dare occasionem, quando diuina misericordia illis vti disponit: vt de Rebecca Gen. 24. de Rachel Gen. 24. de Purpurissa Act. 16.

Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.] Vox est deprecantis, & qui imperare potuit Angelis, vilem adulteram & infidelem mulierem rogat, adeo nostram salutem diligit. Ex Chrys. Hæc mulier forma est Ecclesiæ, non iustificatæ, sed iam iustificandæ, ait Aug.

8. *Discipuli enim eius abierant vt cibos emerèt.*] Si discipuli adfuissent non per se, sed per eos aquam petiisset. q. d. Causa cur cum muliere loquebatur, erat quia discipuli abierant; Sed diuina & altior latebat ratio, vt per colloquiū mulierem traheret ad fidem. Ieiunus cùm esset, nec vllos cibos sumpsisset bibere petit: non reuera vt biberet, qui nec postea per multum temporis bibit; nec oblatos à discipulis cibos accepit: sed vt sermone iam suo, mulieris mentem inciperet illuminare. Attende discipulos abiisse ad emendum non ad mendicandum. Tol.

9. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?*] *Ergo*, duo indicat; alterum relationem ad superiora verba, quia mulier nihil Christo dixisset, nisi ille ab ea bibere petiisset: alterum relationem ad sequentia; verba enim quæ sequuntur quandam insimulationem continent, cuius causa est Christi petitio; vt sit sensus, Petiit Christus bibere, & propterea mulier eum reprehendere & insimulare est ausa, quæ nisi Samaritana esset

non reprehendisset. Perpende humilitatem & patientiam Christi, in vnius fœminæ paupercułæ salute quærenda. Quomodo mulier illa cognouerit Christum esse Iudæum ? Resp. ex habitu, aut ex sermone. Oderant Iudæi Samaritanos vt idololatras, qui cum vero Deo idola adorarent & eorum commercium abhorrebãt. Mulier ergo hoc ei exprobrat. Intelligebat mulier non esse commercium, si parum aquæ sitienti porrigeret : Sed hac occasione obiicit ei Iudęorum aduersùs gentem suam communem auersionem.

Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.] Non vtuntur, non cõsuetudinem, non commercium habent Iudæi cum Samaritanis. verba sunt nõ Euangelistæ, sed Samaritanæ. q. d. Vos estis qui nos refugitis, nos contemnitis. Chrys. vt peccatum in Christum reiiceret, quasi ipsius sit culpa quòd couteretur cum Samaritana. Quare autem non couterentur : Ratio est, quia Samaritani origine Chaldæi erant, pro Gentilibus à Iudæis habebantur, & non habebant Iudæi commercium cum Gentilibus, ne ab illis contaminarentur. Deut. 7. Eo etiam maiore odio Samaritanos prosequebantur, quòd cùm Iudæi non essent, veram se Iudæorum religionem habere contenderent, & cum vero Deo idola colerent. Maximè vero Iudæi à communicatione cibi & potus, cum Gentilibus abhorrebant, quòd ea potissimum re se pollui putarẽt. Nam à colloquio quidem cum illis non abstinebãt, in rebus præsertim necessariis. Quod adeo insitum in animis eorum erat, vt vix etiam à factis iam ex Iudæis Christianis posset auelli, vt patet Act. 11. & Gal. 2. Ideo non dicit mulier

Quo

Quomodo tu Iudæus cùm sis mecũ loqueris, sed bibere à me poscis? Existimabant Iudæi omnia vasa Gentilium immunda esse: quia multas sæpe res immundas attingebant: ideo ea tangere non poterant. Non poterat autem Christus non bibere ex amphora Samaritanæ, quia aliud vas non haberet: propterea miratur, quod bibere à se petat. ex Aug. Notant quidam licuisse Iudæis à Samaritanis, & a Gentilibus potum & cibum emere, vt & discipuli emerant: dono autem accipere non licuisse, quòd hoc esset non solùm consuetudinem, sed etiam amicitiam cum illis alere. Ideo dicit, *bibere à me poscis?* Notant etiam Chrysost. & Theoph. Samaritanis quidem licuisse agere, cibúmque sumere cum Iudæis; Iudæis verò cum Samaritanis non licuisse: ideo mulierem non respondisse, non possum, aut non licet mihi tibi dare: sed, *Quomodo tu Iudæus cùm sis bibere à me poscis?* q. d. Non licet tibi aut petere aut accipere. Itaque non recusasse illi tanquam inimico potum dare, sed propriæ eum legis admonuisse, videret num sibi liceret petere: nam si quidem liceret, libenter daturam esse. Vel Iudæorum irridens superstitionem hoc interrogauit. Vtinam tam diligenter Catholici nunc consuetudinem hæreticorum euitarent. Mald. Quærit Chrysost. cur Christus contra Iudæorum legem aut traditionem potum à Samaritana petierit. Respondet exemplo voluisse docere non esse iam illas traditiones Iudæorum obseruandas. Alij scisse eum, mulierem sibi non daturam esse: Quin potiùs existimãdum reipsa potum Christo dedisse, illúmque bibisse, & certè obtulis-

se. D. Thom. & alij putant Christum non petiuisse aquam illam putei, sed spiritualem aquam, quam sciebat illam sibi dare non posse. An autem ea tantùm de causa petiuerit aquam simulans se sitire, veréque velle bibere, an reipsa sitiens petierit, dubium est, & vtrumque probabile: sed probabilius verè sitiuisse. Ex Aug.

Respondit Iesus, & dixit ei: si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.] Cum articulo *donum* illud insigne; nempe filium proprium datum à Deo, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et rursum *si scires*, , qui sum ego, qui peto à te aquam ad bibendum; nempe me esse Dei filium qui veni vt omnis, qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vel si scires donum Dei, ideſt, tam commodā salutis occasionem tibi oblatam: profectò tu potius à me peteres, & ego non negarem, vt tu negasti mihi, sed darem tibi aquam perfectiorē, nempe aquam viuam, Vt si quis infirmus cognosceret aliquē esse medicinæ peritum, simul etiam exercere officium medici, profectò peteret sanari ab eo. Præterea, si donum Dei hoc cognosceret datum, non vt Iudæus solum, sed vt omnis homo etiam infidelis, Gentilis, Samaritanus, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: sciret etiam omnem hominem, periculo, & damnationi æternæ mortis subiectum, & propterea donum hoc esse à Deo datum, rectéque sequitur quod peteret sibi salutem à Christo, qui est is, qui datus est, & venit vt omnis saluetur per ipsum. Hinc sequitur

quitur declaratio consecutionis, si petiisses ille daret, quia non venit vt iudicet mundum, sed vt saluet. Aqua viua Spiritum sanctum significat; qui per Christum dandus erat; Ioa. 7. vel gratiam Spiritus sancti, quæ aqua dicitur quòd animam lauet, ac purget: vel doctrinam Euangelicam, quæ viua est, quia viuus est sermo Dei Heb. 4. vel baptismi aquam, quam qui semel bibit non sitit iterum, quia semel baptizatus iterum baptizari non potest: vel Christum ipsum; ex quo colligunt esse Deum, quia vita aut aqua viua est Quòd dicit *forsitan*, significatur facultas arbitrij, qua poterat mulier aquam petere, vel non petere.

11. *Dicit ei mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam?*] Idest, ex hoc puteo ista aqua esse non potest, quia profundus est, & non habes quo haurias: alius ergo locus est quem fodias, vbi hanc aquam te habere oportet, die vnde hauries, & manifesta hunc locum. Quamuis mulier non intellexerit Christi verbum, & putauerit eum loqui de aqua materiali; tamen affectus eius iam mutabatur, & intellectus illuminabatur, & diuina virtus paulatim & suauiter operabatur: quem enim Iudæum vocauerat, & cui insultauerat, iam Dominum vocat: nec verbum contemnit irridendo, præsertim cum aquam petiisset, aut reiiciendo, vt incredibile, sed dubitando, & ignorando opponit, vnde ergo habes aquam hanc? quia non video quomodo tu possis de hoc puteo haurire. non intulit, non habes aquam, sed vnde habes? q.d. Ergo ex alio loco habes. Quis locus hic est? Repræsentat hæc mulier animalem hominem,

qui non percipit ea quæ Dei sunt.

12. *Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.*] Sensus est, nec scio vnde habeas, nec qua ratione habere possis. Nam si haberes, esses profectò tu maior quàm Iacob, quod credibile non videtur: non ergo aquam hanc dare potes. Hæc verba non protulit affirmatiuè; sed interrogatione vsa est, quia, etsi difficile, tamē impossibile non iudicauit: alioqui dixisset, tu non es maior. Quod sanè iam lumen diuinum efficiebat in eius mente. Perpende etiam mulieris prudentiam; quia rēm nō impossibilem iudicabat, spe quadam iam impulsa aquam hanc habendi, Iudæā se profitetur, hac ratione Christum, vt ei aquā daret, inducens. Iacob enim patrem suum vocat. q.d. Ego etiam sum Iudæa, vt tu, & ambo communem habemus patrem. Et cui exprobrauerat priùs, *tu Iudæus cùm sis*, eum iam reueretur & se eodem nomine nobilitat. Iam enim spem lumine affecta diuino concipiebat sed imperfectè, citò in magnam fidem, spem, & charitatem à Christo extollenda. Cyr. l. 2. c. 48. Nostrum ergo dixit suum & Christi: vel nostrum, ideſt Samaritanorum; indicans etiam se, omnésque Samaritanos esse Iudæos; siue quia, quamuis Chaldæi essent, tamen, quia mixti cum Iudæis fuerant, pro Iudæis se se ferebant, & Iacobi genere gloriabantur: siue, quia eius se religionem sequi putabant, patrem suum appellabant. Beda.

13. *Respondit Iesus, & dixit ei: omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum.*] Q. d.

Non

Non dubites, ô mulier, me hanc habere, & dare posse aquam: ego dabo, in mea est potestate, mihique eam dare incumbit. Priùsque magnum facit discrimen inter has aquas. 1. Aqua huius putei perfectè non extinguit sitim: nam qui eam bibit eum iterum sitire necesse est. Aqua verò quam ego dabo, & quam ego promisi tibi, sitim aufert omnem, nam qui eam biberit non sitiet in æternum. Attende Christi artificium: allicit enim mulierem ad credendam, desiderandam, & petendam aquam promissam, per hoc, quòd sitim pellit in æternum, ex quo insinuat non esse materialem, & tacitè se maiorem quàm Iacob significat. Aqua hæc sitim in æternum extinguens est Spiritus sanctus credentibus in Christum datus, qui omnem sitim & animæ & corporis aufert. Ex Chrysost.

14. *Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*] Auget præcedentem sententiam: & sensus est, non solum qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed etiam hæc aqua fiet in eo, qui biberit, fons aquæ salientis, idest salire facientis eum in vitam æternam; tanta erit huius aquæ virtus in bibente, vt suo impetu tollat eum in vitam æternam, in cœlum; & ex mortali, & corruptibili, ac terreno, faciat immortalem, incorruptibilem, & cœlestem. Metaphora est à fontibus altè aquam eiaculantibus, quod propter ingentem copiam & scaturiginem aquæ fieri solet. Hoc efficit Spiritus sanctus, qui fons est credentibus in Christum, tantæ virtutis vt eos in cœlum perducat, & à corporis etiam morte in vitam æternam resurgere faciat, Ro. 8. Præter

primum ſ.d. duo alia diſcrimina recenſet inter has aquas. Aqua enim putei non fit fons in eo qui bibit, nec vitam æternam confert: aqua verò Chriſti fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Spiritus ſanctus enim fit fons in nobis aquæ donorum gratiæ, & virtutum, quibus dignos nos facit vita æterna, & per ea in vitam æternam perducimur. Ex Chryſ. Et qui ſemel eam biberit ſatis habet in totam vitam, modò ne euomat, ne eiiciat; Euomit autem qui læthaſiter peccat. 1. Theſ. 5. admonet *Spiritum nolite extinguere*: manet enim in nobis ſemel hauſtus, ſemel accenſus, niſi nos ipſi extinguamus, éſtque in animis noſtris veluti perennis fons ſaliens in vitam æternam. Ex Chryſ.

15. *Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt nō ſitiam, neque veniam huc haurire.*] Multum hæc mulier profecerat, quamuis hanc nondum planè perciperet. Nam dictis Chriſti fidem habuit, credēs fieri poſſe Chriſtū aquam dare meliorem illa, quam ipſa hauriebat, & quam qui biberet non ſitiret in æternum, & maiorem Chriſtum Iacob credidit. Nā qui aquam hanc viuam daturus erat, maiorem quam Iacob futurum ipſamet erat faſſa. Profecit etiam in affectu: nam hanc ſibi dari petit confiſa verbis Chriſti, *ille daret tibi ſi tu petiiſſes. Da mihi*, inquit, *hanc aquam.* Sed vt imperfecta intellectu, ita etiam erat imperfecta affectu, vtilitate enim temporali inducta hanc aquam cœleſtem petit, *nè*, inquit, *toties veniam huc haurire.* Non mirū ſi imperfectū eſt deſiderium, vbi adhuc erat imperfecta fides. Sunt qui allegoricè interpretantur, ideſt, vt non indigeam aqua iſta Iacob, ſcripturis, atque doctrinis, quibus

bus nobis opus est vt diuina mysteria intelligamus; sed sine vllo studio, sine vllo labore, quemadmodum Angeli faciunt, intelligam. Ita Origen.

16. *Dicit ei Iesus: vade voca virum tuum, & veni huc.*] Christus vt prudens medicus eam volens sanare, causam infirmitatis considerat. Capere diuina, & spiritualia mulier nō poterat, quia graui adulterio excæcata erat. Vt igitur illuminetur, causam morbi attigit, vt peccatum suum confiteatur, & illuminetur. Et tot verbis vtitur, qui vnico sanare & illuminare potuerat, vt nos doceret qualiter alios sanare, & illuminare debeamus. *Vade*, inquit, *voca virum*. Sciebat virum non habere sed adulterum: sed vtitur hoc prætextu; vel quòd vellet non cum illa sola, sed etiam cum eius viro donum illud, quod promiserat, cōmunicare, & quòd maius esset beneficium, quod viro simul & vxori cōmune esset, & quòd non satis honestum videretur nuptæ mulieri quidquam donari inscio marito. Chrys. Theoph. vel quòd non satis videretur mulier idonea esse vt quæ dicturus erat Christus intelligeret, ideo iussam vocare virum, vt per eam doceretur. Aug. Sic monet Paulum constituisse, vt per viros suos mulieres docerentur. 1. Cor. 14. Eo autem prætextu potiùs quàm alio vsus est, quia sciebat quid illa iussa vocare virum responsura esset: & volebat occasionem inde captare illi declarandi quidquid toto vitæ suæ tempore fecisset. Ex Chrysostom.

17. *Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum.*] Negat se virum habere, & id verum erat. Multum valet in animis hominum vtilitatis

tatis spes. Cùm enim aquam hanc sibi dari vehementer optaret, ne vllam dilationem pateretur, se virum non habere confessa est, ne abire, & iterum redire cogeretur, & vtilitate allecta verum manifestat Ex Chrys.

18. *Dixit ei Iesus: Bene dixisti, quia virum non habeo: Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti.*] Quod mulier vno sensu dixerat, id Christus alio sensu accipiens verè ab ea dictum esse ait. Illa putans se virum habere, mentita dixerat se non habere: nec enim credibile est illam dicere voluisse, se quidem loco viri aliquem amicum habere, legitimum autem virum non habere: Christus verbum eius excipiens subiecit verum eam dicere, falsum dicere volentem: habere enim virum, sed non legitimum, vel, *Bene dixisti*, ideſt verum est te non habere virum: sed aliud tacuisti. Nam viros quinque habuisti, & quem nunc habes non est tuus vir, propterea tu confessa verè es te non habere virum. Bis repetit Christus, *Bene dixisti, non habeo virum*, Primò quidem confirmans eius dictum, secundò post datam causam quare bene dixerit. q. d. Verè dicis te non habere virum: nam habuisti quinque; & vnum modò habes sed hic non est tuus: & hoc rectè dixisti, te non habere virum, quia habes quidem, sed non est tuus. Illud *quia*, non est causalis dictio, sed declaratiua, *Bene dixisti* te non habere virum. Probabile Mald. ait cæteros non viros sed adulteros fuisse: tamen hunc sensum literalis textus non patitur: nam dicitur, quinque viros habuisti, quasi reliqui quinque fuerint sui. Athan. Aug. Magna prudentia & suauitas

uitas Christi hæc est: non arguit, non inuehitur contra eam, non adulteram vocat; sed modestissimè eius peccatum manifestat. Adulterij enim occulti significatio imperfectæ fœminæ satis magna erat correctio: nec opus erat adiungere acerbitatem verborum, maximè quia hoc reuelabat, non tam vt illius insimularet incontinentiam, quam vt suam ei manifestam faceret dignitatem, & excellentiam, eámque ad sui fidem alliceret. Quinque viri sunt quinque sensus ex Orig.

19. *Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.*] Duplex confessio, & proprij peccati, & virtutis & excellentiæ Christi. Cum dicit, *video quia Propheta es tu*, tacitè confitetur vera eum dixisse, se in adulterio, vel in perpetuis adulteriis vitam duxisse: quod qui nemine indice cognouerit non posse non esse Prophetam. *Quia*, est dictio non causam sed declarationem denotans. Modestè veritatem aperit dicentis verba confirmans: fortè pudor impediebat apertis verbis confiteri. Magnũ salutis argumentum correptionem acceptare, & veritatẽ submissè cognoscere: vt Dauid 2. Reg. 12. Ezechias 4. Reg. 20. & Isa. 39. Sicut è contra correctionem contemnere, damnationis est indicium, ex Chrys. Eccl. 21. vt Cain. Gen. 4. Giezi 4. Reg. 5. Ananias & Saphira, Act. 5. aut excusare, vt Saul. 1. Reg. 15. vel in eos à quibus reprehenduntur sæuire, vt Reges Iudæorum in Prophetas, qui a Deo illis mittebantur, 3. Reg. 19. Ier. 29. Herodes in Ioannem Mat. 6. Scribæ & Pharisæi in Christum, Mat. 21. & 26. Iudæi in Stephanum Act. 7. Vides hanc mulierem magis ac magis interiùs proficere. Sic cœpit ad eam

eam venire vir cum prius sensibus regeretur ex Augusſt.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.*] Contentio erat inter Iudæos, & Samaritanos de loco in quo Deo vero Israel sacrificandum erat: non enim omni in loco sacrificare licebat, Deut. 12. Iudæi ergo locum adorationis, ideſt sacrificij, templum Hierosolymitanum affirmabant esse, & id verum erat vbi Salomon, & Reges sacrificia Deo accepta obtulerunt, & vbi erant summi sacerdotes. At Samaritani in monte Garizim prope Sichar templum ædificarũt, in quo Deo Israel sacrificia offerebant, & eum esse locum quem Dominus elegerat, Deut. 12. cum Iudæis contendebant: eratque controuersia continua vter locus esset adorationis. Adorationem hoc in loco oblationem, & sacrificium appellat, vt Deut. 12. Mulier ergo hæc Prophetam esse Christum credens, resolutionem huius controuersiæ petit: siue quia hoc scire desideraret: siue quia scrupulo agebatur, ne forsan vbi non oportebat, Deo sacrificium offerret: siue forsan vt colloquium de sua incontinentia interrumperet, propositis his quæ ad Prophetam sibi pertinere visa sunt. In proponendò suam auget & firmat causam: contrariam verò debilitat. Hoc humanum est artificium. *Patres nostri*, inquit, *adorauerunt in monte hoc.* q. d. Nos habemus magnam causam vt in templo hoc adoremus, quia Patres nostri adorauerunt in monte, vbi est nostrum templum. *Et vos dicitis.* q. d. non probatis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet, sed sola vestra opi-

nione

nione, Patrum authoritate non fulti, dicitis in templo Hierosolymitano adorandum. Patres vocat Abraham, Isaac, & Iacob; quasi suas probans partes, & Iudæorum causam deprimens, quòd Patres suos non imitentur. In eo Abraham dicitur filium suum sacrificasse. Chrys.ho.22. Vel Patres Samaritanos intelligit, qui cultum in eo monte instituerant, quorum se auctoritate mulier tuetur. Ex Orig.

21. *Dixit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia veniet hora quando nec in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.*] Primùm sibi fidem haberi petit Christus à muliere: nec iniustum petit, vt qui occulta manifestauerat, & Propheta credebatur, & maior quam Iacob propter aquam viuam iudicabatur. Deinde respondet ad interrogationem, primò illam cõtentionem cessaturam: nec enim in illo loco, nec in Hierosolymitano templo adorãdus erit Deus. His verbis quæ de futuro sunt *veniet*, inquit, *hora* (quamuis enim Græcè verbum sit præsens, tamen id sæpe etiam pro futuro ponitur, & sic habet versio communis) prædicit vtrumque cultum, & Samaritanorum, & Iudæorum tollendum: & hac ratione cessabit contentio. Et ne putaret cultum & adorationem omnino cessaturam, inquit: *Adorabitis Patrem.* Vt sit sensus, veniet hora quãdo adorabitis Patrem; erit quidem cultus Dei, sed non qualis in hoc vestro, & illo Iudæorum templo, quia vterque cultus cessabit, & nouus multò perfectior succedet. Hanc perfectionem huius cultus insinuat illud verbum, *Patrem*; vt enim dicit Cyril. l. 2. c. 91. dum Patrem vocat, ad filium erigit considerationem, & ita est. Nam in

in Christiano cultu, non absolutè Deus adoratur, sed etiam distinctè Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tres adoramus in vna deitate personas: quod nec Iudæus, nec Samaritanus fecit. Rursus adoramus Christiani Deum & Patrem, quia sumus in statu adoptionis filiorum, & clamamus: Abba Pater, & edocti à Christo inuocamus, *Pater noster qui es in cœlis.* Hæc ergo perfecta adoratio de medio tollet & Samaritanorum ritum, & Iudæorum cultum. Attende per Samaritanorum adorationem intelligi Gentium omnium idololatriam: hi enim quamuis Deum Israel adorarent, tamen idololatræ erant, & more idololatrarum viuebant. Cessare ergo debuit & idololatria, & Iudæorum cultus in Christi Euangelio, Mich. 1. Isa. 2. Ps. 39. Isa. 1. Et potestatem dedit Dominus adorandi in omni loco, vbi dixit: *nec Hierosolymis, neque in monte hoc adorabitis Patrem.* Dilatat & deducit adorationem Dei ab arcto Hierusalem ambitu, in omnem totius orbis locum. Basil. l. 2. de bapt. c. 8.

22. *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.*] Secundò respondet Dominus, & præfert cultum Iudæorum, Samaritanorum ritui: ne enim mulier illa parem esse vtriusque & Samaritanus & Iudæi causam, cùm vtriusque remouendus esset cultus, arbitraretur, adiunxit secundum responsum. Cultus Iudæorum quem suum vocat, *nos* dicens, quia secundum carnem Iudæus erat, multò est præstantior vestro. Et causam apponit, Iudæus adorat quod scit, Samaritanus autem quod nescit, i. Iudæorum cultus ex fide vera est, quia vnicum credit esse Deũ sicut verè est: Samaritanorum autẽ cultus

ex

ex infidelitate & errore, ac ignorantia est, quia non habet de vero Deo fidem. Quamuis enim Deum Israel, Deum esse credat, tamen putat non esse nisi loci eius Deum, vt 4. Reg. 17. Et cum eo multos recipit Deos: qui autem Deum vnicum & Dominũ omnium Gentium non credit, rectam fidem non habet, & Deum ignorare dicitur, quia verè de Deo non sentit. Nos Dei iussu facimus, vos hoc facitis inuento vestro. Præstat ergo cultus Iudæorum cultui Samaritanorum, sicut fides infidelitati, & veritas præstat errori. His verbis duo insinuat Christus, alterum est Iudæos contentione illa proposita veram & rectam causam tueri, in templo enim Hierosolymitano verus erat cultus; vnde ille locus probandus est non autem vbi cultus erat falsus. Alterum est vtrumque quidem cessaturum, non tamen eadem de causa. Nam cultus ille Samaritanorum, & Gentium Idololatria ablata est, quia mala, & falsa, & impia: at Iudæorum cultus, non vt falsus, non vt malus, qui tunc verus & sanctus erat, sed vt imperfectus, & vt figura, & vmbra aduenientè perfecta veritate. Ex Chrys.

Quia salus ex Iudæis est.] Christus probat Iudæos veram Dei cognitionem habere, quia salus, i. Christus qui est salus mundi, ex Iudæis est: vel salus, idest, promissiones salutis per Messiam futuræ Iudæis factæ sunt, & ex ipsis in alios sunt diffundendæ: Christus enim de eis secundum carnem venturus est, qui omniũ est saluator; prædicatores veritatis & legis Euãgelicæ per orbem mittendi ex ipsis sunt, & illis primùm Euangelium salutis prædicatum est. Isa. 1. in ipsis igitur est vera cognitio Dei.

Ex

Ex Chrysostom & August.

23. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.*] Tertiò respondet Dominus, & exponit qualis sit ista adoratio futura, quæ erit remotis illis montis & templi Hierosolymitani cultibus. Est autem illa particula, *sed*, diuersitatis. q. d. Non adorabitis in monte hoc, nec Hierosolymis; sed adoratio erit in Spiritu & veritate. Cum autem prius dixerit *Venit hora*, tamen non expresserit, an proxima hæc hora, an distans, & longinqua esset: repetit idem verbum, & adiunxit, *nunc est*: q. d. dixi, veniet hora: nunc autem addo, iam est hæc hora: paulatim enim procedit reuelare mysteria & prudenter non addidit tunc illud, *& nunc est*, ne Samaritana audiens montis cultum commouendum, turbaretur nimis: propterea futuro vsus est tempore. At nunc de vera adoratione loquens addit, *nunc est*. Vtrumque tamen verbum, *venit*, & illud & hoc, in Græco præsens est; *venit*, sed quod sæpe futuri vim habet. Perpende verbum *veri*, inquit, adoratores adorabunt, insinuat multos adhuc adoratores remansuros, qui post Christi aduentum non sic adorabunt, tam ex Iudæis quàm ex Gentibus: tamen non erunt neque hi, neque illi veri adoratores; sed ij solum, qui in Spiritu, & veritate adorabunt. Ex Aug. Iudæi ergo, qui olim veri adoratores erant, sacrificijs, & oblationibus, & cæremonijs à Deo institutis, adhuc in eis perseuerantes, post Christi aduentum, non veri, sed falsi sunt adoratores. Superest explicare quæ sit hæc adoratio, quæ futura nunc dicitur in Spiritu & veritate. Si textum

obserue

obseruemus, duo hæc opponũtur duobus illis, nempe adorationi Samaritanorum, & adorationi Iudæorum. Nam dicitur, nec in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis, sed in Spiritu & veritate: quasi hæc duo duobus illis opponat: ex sensu igitur illorum explicatio horum dependet. Adoratio in primis Samaritanorum erat in falsitate, & ignorantia. Adorabant enim quod nesciebant, quia de Deo non rectè sentiebant: erit ergo adoratio opposita, quæ est in veritate, quando rectè & verè de Deo sentientes adoramus. Iudæi autem adorantes quod sciebant in veritate adorabant, & adoratio eorum erat in rebus corporalibus, quæ erant vmbræ, & figuræ futurorum: omnia enim illa animalium sacrificia, ceremoniæ, & ritus instituta erant à Deo, & data illis tanquam futurorum figuræ & signa: tale fuit templum illud & omnis cultus illorum exterior. Erit ergo opposita adoratio quæ non in corporalibus figuris, & vmbris futurorum fit; sed in Spiritu, i. in Spiritus sancti gratia, fide, charitate, & actibus, ac operibus ex his procedentibus fit: & hæc est adoratio *in Spiritu*, quando non corporeas res, vmbras & figuras offerimus, nec in his seruimus Deo: sed in actibus virtutum, qui ex Spiritus sancti gratia procedunt. Et hæc est Christianorum adoratio & Euãgelica. Tol, Caluinistæ in spiritu & veritate adorare interpretantur sola adorare fide: sed isto quidem modo dæmones erunt veri adoratores. Nam & dæmones credunt & contremiscunt Iac. 2. & Christum sæpe negantibus Iudæis filium Dei esse, confessi sunt. Mar. 1. Luc. 4. Deinde si sola fide

fide Deus adorandus, cur ipsi precibus, cur psalmis, cur Sacramentis Deum adorant? si tamen hæretici Deum adorare possunt. Vicina huic errori est eorum interpretatio, qui spiritum hoc loco animum intelligunt, quasi solo Deus animo sit adorandus. Alij Spiritum sanctum intelligunt, quem qui accipiunt spiritu ipso sancto eundem quem acceperūt spiritum adorent. Alij *spiritu & veritate*, idest veris virtutibus & corporis mortificatione. Alij in spiritu, i. in Spiritu sancto, & in veritate, idest in filio, itaut vnum in tribus personis Deum adoret. Alij spiritum & veritatem pro eodem accipiunt. Rom. 19. 2. Cor. 3. Alij spiritum opponunt corporeo loco, quo & Iudæi & Samaritani concludere videbantur, dum illi non extra Hierosolymam; hi non extra mōtem illum adorari posse putabant: veritatem verò figuris, vt sensus sit venisse tempus, quo tempore veri adoratores neque certo loco, neque legalibus illis ceremoniis, & sacrificiis, quę vmbrę tātùm erāt rerum futurarum, Deū adorabūt: *sed veritate*, i. rebus iis, quæ per vmbras illas significabantur. Ita Mald. à quo non parum dissentit Tol. Quid igitur Christiani, qui sunt veri adoratores, an non debent certa habere templa, Sacramenta, ceremonias, & præstantissimum illud Eucharistiæ Sacramentum? Maximè verò: sed hæc omnia, & quæ sunt alia generis eiusdem siue à Christo, siue ab Ecclesia instituta, quibus Deus à Christianis colitur, quamuis natura sua corporea sint, tamen quia non sunt figuræ rerum futurarum, sed veterum potius figurarum impletio: aut ad significandam ipsam impletionem instituta, non corpus, non vmbra;

vmbra; sed Spiritus, & veritas sunt. Eadem ratione soluitur quæstio, an non lex etiam vetus Spiritum habebat, & veritatem: an Prophetæ sine Spiritu, & veritate adorabant: Adorabant illi quidem Spiritu, i. animo, aut spiritualiter, i. vera fide, charitate, & pietate: adorabant veritate, i. verè, non simulatè, non ficte, non falsis commentis, sed ijs modis quos sibi Deus præscripsisset: sed non adorabant in Spiritu & veritate, i sine figuris, quia illis figuris Deus iusserat eos adorare. Ex Chrys.

23. *Nam & Pater tales quærit qui adorẽt eum.*] Duas affert rationes quare veri adoratores in spiritu, & veritate adorare debeant; alteram ex Patris voluntate; alterã ex natura sumptam. Pater, inquit, non vult vmbris & figuris, sed spiritu & veritate adorari. At instituit in lege veteri? Instituit, sed ad tempus. Ex Chrys.

24. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.*] Cur Pater tales postulet adoratores rationẽ subdit, quia Deus spiritus & incorporeus est. Igitur non in corporibus & rebus materialibus, sed in spiritu & veritate, quæ etiam spiritualia sunt oportet adorare ex Chrys. vt sit proportio & conuenientia inter adoratum & adorationem: Vel reddit rationem cur Deus reiectis figuris veteris legis in spiritu, & veritate voluerit adorari; quia ille nimirum vmbratilis cultus non erat accõmodatus ad ipsius naturam: nec enim poterat Deus, cùm spiritus esset, figuris vllis, vmbrisve repræsentari. Quod corpus non est, vmbram non habet, vt Isa. 11. & 66. Et si quando corporeum exigit ab hominibus cultum, id non ad suam sed ad ipsorum naturam accommodatè

modatè facit. Spiritus hoc in loco vox communis est Trinitati, naturam non personam significans: & sensus est, Deus est spiritus. Et per hoc significatur actiones & operationes hominis exterioris, nisi ex spiritu procedant, fide, dilectione, gratia, Deo non esse gratam adorationem. At si ex eo procedant spiritualis adoratio sunt. Non ergo antiqua & corporea sacrificia iam placent quæ tunc exhibita erant, & placebant: quia figura futurorum erant: hoc iam ablato, & illa cessarunt. Placent tamen ieiunia, eleemosynæ, peregrinationes, quæ ex Spiritus Dei gratia, fide & dilectione procedunt. Sic enim spiritualia sunt in suo principio, & radice, seu causa, & quandam cum Deo habent proportionem, qui Spiritus est. S. Athan. ex hoc loco probat Spiritum sanctum esse Deum. Vel cum in Spiritu Deum, Spiritum docuit adorandum, & libertatem, ac scientiam adorantium, & adorandi infinitatem ostendit. Ex Hil. 2. de Trin.

25. *Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia.*] Hæc mulier non capiens verba Christi solutam suam quæstionem non putauit, idcirco ad aduentum Messiæ contentionis sententiam refert. *Scio*, inquit, *quia venit Messias.* Idest, venturum scio. Samaritani enim quinque libros Moysis recipientes Christum venturum credebant. Io. 5. vel venit, i. aduentat. Illud autem, *qui dicitur Christus*, vox est Euangelistæ interpretantis verbum Hebræum. Messias enim Christum significat. Sperabat autem Christum, legem & doctrinam expositurum, vt doctorem insignem, & in hoc rectè sentiebat:

sentiebat: quamuis aliter multò docturus esset, quam ipsa sperabat. Habebat Samaritana Christum docentem & annuntiantem, & non agnoscebat: aliquam tamen percepit ex Christi præsentia motionem, nã mota est aduentus Christi desiderio. Imò dum dicit, *annuntiabit nobis*, præsensit etiam quodammodo se eum visuram, quem iam natum & in Iudæa docere cœpisse fama erat: vel citò nasciturum, & verò non est deceptus intellectus, nec frustratus affectus suo desiderio. Ex Chrys.

26. *Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.*] Quàm breuiter, quàm perspicuè sese Christus mulierculæ & adulteræ quis sit ostendit misericorditer, quod Iudæis instanter petentibus (*Si tu es Christus dic nobis palàm*) iustè negauit: quia ex mirandis operibus & verbis id potuerant cognoscere. At hæc nec miracula viderat, nec doctrinam audierat, eum a quo instrueretur desiderabat: tamen non digna erat reuelatione tanti mysterij, nisi diuina misericordia, qua quibus vult miseretur, nec hominum expectat merita, præueniisset. *Ego*, inquit, *sum* Christus, *qui loquor tecum.* Sed nec ad verbum hoc exterius tam citò illa crederet, nisi mentem eius omnipotentis virtus intraret, vt quod exterius audiebat, interiùs perciperet. Vide quàm gradatim ad fidem duxit vt notat Chrys.

27. *Et continuò venerunt discipuli eius: Et mirabantur quia cum muliere loquebatur.*] Ioannes historiam interrumpit, vt id quod post dicta Christi euenit, narret. Cum muliere hæc verba Christo loquente discipuli redeuntes è ciuitate, vbi cibos emerant, superuenerunt: qui,

quamuis quid diceret non audierunt, tamen cum Samaritanæ loqui percipere potuerunt,& ideo mirati sunt, non quasi aliquid siniſtrum cogitarent, sed quia insolitum erat Christo loqui cum mulieribus, præter eas quæ coniunctæ sibi sanguine erant, aut notæ. Nec hactenus Christum ignotis cum mulieribus, maximè remotis arbitris, loquentem viderant, & propterea mirati sunt,tanquam nouum quiddam,& insolitum & insperatum. Tol. Alij miratos putant eius humilitatem,quòd dedignatus non fuerit cum muliere, & quidem alienigena & paupere loqui.ex Chryſ. Alij quòd cum Samaritana loqueretur, cùm non vterentur Iudæi Samaritanis. vt Aug.

Nemo tamen dixit: quid quaris, aut quid loqueris cum ea?] Cùm tamen admirantium aliquem effectum ſit proprium velle ſcire cauſam, & propterea vtuntur interrogationibus. At diſcipuli admirati quidem ſunt,ſed cauſam præ Domini reuerentia non quærunt:ſcientes, vt ait Leontius, non ſine conſilio Chriſtum id facere. Vel, vt Chryſ. quia aſſueti erant & inſtructi à Chriſto, ne eius facta diiudicarent. Præclarum exemplum vnde debent inferiores diſcere non oportere eos de ſuperiorum, vel Dei conſiliis & factis iudicare. Hoc loco contra curioſos Baſil. in regul. fuſiùs diſputat cap.48.

28. *Reliquit hydriam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus.*] Perſequitur interruptam Samaritanæ hiſtoriam. Mulier igitur illa audito verbo Domini, & fidem tanti myſterij concipiens, abiit ad ſuos, & annuntiat quod factum eſt, multum mutata: quæ

enim

enim nec parum aquæ, vt biberet, Christo propinare voluit, iam propter eum hydriam relinquit, & funem. Et cui toties venire ad fontem, etiam vt sibi aquam hauriret, graue erat, iam redire ad ciuitatem, & iterum ad fontem vbi Christus manserat, reuerti non laborem sed requiem putabat. Mirabilis est verbi Domini mente & affectu concepti efficacia: quæ corda saxea emollit, & incredulorum mẽtes, & peccatorum voluntates ad se potenter, & citò conuertit. Hæc mulier fide incensa non cogitat quàm de communicando omnibus à se inuento thesauro. ex Chrys. Expressum exemplum hominis verè cõuersi, & à Deo inspirati, omnia statim relinquere, etiam quæ in manibus habeat: vt fecerunt Apostoli. Mat. 4. & Paulus Gal 1. Illa dictio illationis, *ergo*, significat quod præcessit, causam esse sequentis sententiæ. q. d. Quia audiuit à Christo quòd esset ipse Messias, propterea relicta hydria abiit, proiecit vanitatem & properauit annuntiare veritatem ex Aug. vt Apostoli relictis retibus ex Chrys. Hydria, amor est seculi. Ex Aug.

29. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: nunquid ipse est Christus?*] Singula verba prudentiæ plena sunt. Primùm non dicit, credite mihi Messiam venisse, ego vidi: sed ne à suis quibus mores eius cogniti erant in insaniam potiùs conuersa putaretur, primò miraculum narrat, & sic eos ad fidem disponit. Ne autem fides ei negaretur,, si tantùm quod factum erat, narraret, ad experientiam eos inuitat. *Venite*, inquit, *& videte*, q.d. Experimini, explorate num ille Messias sit.

Confidebat enim fore mulier vt simul atque viderent eum, & aliquid interrogarent, aliquid coram ipsis diceret vel faceret: illos conuersurum, vti factum est. Nec dicit, videte Prophetam, aut Christum, sed, *Videte hominem*, quamuis supra hominem esse crederet: quia hoc ipsum maluit ab illis exploratum credi, quàm à se dici. Nec erubuit dicere omnia quæ fecisset ab eo sibi fuisse patefacta, sed seipsam infamat vt eos ad Christum adducat, per infamiam & bonam famam: vt Paulus 1. Cor. 6. Non dixerat Christus omnino omnia, quæ toto tempore vitæ fecerat; sed dixerat quæ præcipua erant, quæque maximè erant occulta, & mulierem poterant commouere. Ex illis coniiciens posse omnia dicere si vellet. Vel est synecdoche, pars pro toto. Quod autem addit, *Nunquid ipse est Christus?* nihil absurdi putat. Mald. si dicamus dixisse dubitando, nihil enim mirum si necdum perfectam haberet fidem, cùm longo tempore discipuli ipsi vix habuerint.] Tamen verosimilius est, & toti orationi congruentius, non dubitandò, sed addubitantis modo dixisse ne de re tanta prædicare imperita mulier videretur; sed omne iudicium illis relinqueret, quos ad cupiendum experimentum inuitabat: facta receptaculum honestæ disciplinæ. Ex Orig.

30. *Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.*] Illa dictio illationis, *ergo*, præcedentem sententiam causam esse sequentis insinuat. q. d. Propter mulieris dictum exierunt Samaritani vt venirent ad Christum, fidem eius dictis habentes. Nam ipsa dixit, *Venite & videte*, propterea exierunt illi & venerunt, & veniebant

vt

vt viderent. Qui sua virtute mulierem impulit vt relicta hydria ad ciues suos inuitandos & ducendos abiret, etiam illos vt venirent, & fidem mulieri haberent commouit. Et Samaritanorum facilitas laudanda, qui per mulierem audito nuntio vrbem relinquunt, & ad quærendum Christum accurrunt, conuocat ad videndum hominem continentem verbum supra hominem. ait Orig.

31. *Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi manduca.*] Redit ad discipulorum historiã dum Samaritana abiit, suosque concives vocat. Discipuli ignari eius quod factum est, & quod futurum erat, nempe citò fidelium magnam futurã messem, cibis emptis vesci cupientes, rogant magistrum vt manducaret. In eo quod ex amore rogasse dicuntur, eum manducare nolle cognouerunt: non enim alitet rogassent eum. Cùm enim Christus citò venturos Samaritanos prænosceret, quamuis ex itinere fatigatus, nullam tamen corporis rationem habuit, vt populi saluti consuleret: distulitque corporalem suam refectionem, vt locum spirituali pastui populorum relinqueret. Magnum prælatis exemplum præbens, & discipulis, qui erant orbis futuri Magistri. Cyr. l. 2.

32. *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.*] Quem cibum intelligat, vers. 34. declarat, & de industria cibum nõ sumit, vt a discipulis sumere rogaretur, & occasionem captaret ex eorum verbis de maturata iam ad messem segete differendi, vt sese illi, qui messores futuri erant, præpararent, eosque ad cibum illum, in quo ille sumendo totus erat

occupatus, inuitaret, vt de Samaritanorum, & aliarum gentium salute cogitarent. Ex Chrys. & Theoph.

33. *Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?*] Discipuli non intellexerunt magis quod Christus de cibo, quam Samaritana quod de aqua dicebat vers. 10. Nam & illa non nisi corpoream aquam, & illi non nisi corporeum cibum cogitabant. *Dicebant ergo ad inuicem*, non palàm præ reuerentia; *numquid attulit ei aliquis manducare?* quasi cibum non caperet quia iam allato sibi cibo ab aliquo iam refectus esset. Valde depressa hæc erat cogitatio eorum: nam si de cibo corporali dictum esse putabant, saltem an aliquis Angelus cibum attulisset vt Eliæ debuerant interrogare: sed erant adhuc rudes. Non dixit, manducaui, sed *cibum habeo manducare*: quæ verbum non præteritum sed futurum potiùs aut iam iam præsens significant: nec manducasse sed citò manducaturum exprimunt: hæc etiam verba indicant solum Dominum à cibo abstinere voluisse, discipulos verò ad manducandum inuitasse: aliter ratio ista non procederet: *Numquid aliquis attulit ei cibum manducare?* Nam hæc causa soli Christo conueniebat: Si enim aliquis attulit ei cibum, solus ipse non indigebat; discipuli verò qui erãt ieiuni indigebant: tenendum ergo est Dominum eos ad vescendum inuitasse: ipsum tamen abstinere decreuisse. Ex Theoph.

34. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.*] Apertè discipulis manifestat de quo cibo loquatur. *Vt*, notam habet copulandi. q. d. Meus cibus est facere

facere voluntatem eius qui misit me, & perficere opus eius: seu vt faciam voluntatem eius, & perficiam opus eius. Non negat se vti cibo corporali debere, sed hunc esse cibum spiritalem præferendum. Voluntatem Patris salutem hominum intelligit, quæ consistit in liberatione à peccato, & morte æterna, & reconciliatione cum Deo, & vitæ æternæ consecutione: quæ fuit simul volita, & facta à Deo. 1. Tim. 2. & 4. Nulla enim creatura potuit homini salutem conferre: propterea opus Dei hoc est, & dicitur: Hanc voluntatem & hoc opus Deus sic est executus; filium enim suum misit in mundum, vt homo fieret, & homini facto mandauit & commisit, vt eam voluntatem & opus hoc impleret quod Christus Dominus fecit, prædicatione, opere miraculorum ad fidem trahendo, institutione Sacramentorum, redemptione, pro peccatis satisfaciendo & Patri nos reconciliando. Deus igitur est causa prima qui nostram voluit salutem, & eam effecit. Christus vt homo est per humanitatem *hanc* suam impleuit voluntatem & hoc opus executus est. Eph. 1. Voluntatem autem Patris propterea in modum cibi sibi esse ait; hoc est gratam, iucundam & suauem, quia in procuranda hominum salute versatur, & quia sicut appetitus corporis maximè cibum desiderat, & eo habito delectatur: ita Christus desiderabat diuinam voluntatem complere, nostram salutem operari, & id faciens maximè delectabatur. Ex Orig.

35. *Nonne vos dicitis quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit: Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ*

sunt iam ad messem.] Respondet tacitæ cuidam obiectioni, non esse tunc tempus perficiendi hoc opus Patris: quòd si adesset differendum esse cibum corporis, vt operi huic vacaretur. Ideo adiecit hæc verba. q.d. Cibus meus præcipuus est vacare operi mittentis me: hoc autem est tempus, & adest hora vacandi huic operi. Et vtitur metaphora, conuersionem hominum ad fidem, messem appellans: vt Luc. 10. Et sensus est, Messis hæc mea, quæ opus est Patris, non est sicut messis frugum: nam hæc quatuor mensibus distat: at mea ecce adest. Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem. Metaphorica locutione hanc significat Samaritanorum iam iam venientium propinquam cõuersionem. Quibus verbis se iure à cibo illo abstinere probat. q.d. Nõne vos dicitis, i. curã vos geritis de messe materiali multo tempore priùs quàm veniat? nam dicitis post quatuor menses veniet. Iure ergo potiori curam geram ego non distantis, sed iam iam imminentis messis spiritualis. His etiam verbis eos hortatur, & inducit ad opus hoc, vt qui considerant de longinquo cibum corporis, considerent etiã proximum cibum animæ. Insinuans gentium iam aduentare conuersionem, similiter & populorum ad quam ipsi erant mittendi. Metaphora autem vtitur ista, quia sermo erat de cibo, qui ex futura messe pendet, & si tanta cura de cibo corporis geritur, vt iam messis distans consideretur, multò magis messis, ex qua cibus est spiritualis, consideranda est, cùm iam sit præsens. Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit. Est phrasis Hebræa pro eo quod

dici

dicimus, post menses quatuor erit messis, vt Gen. 40 & Ionæ 3. Vel prouerbialis erat loquutio, qua significabant satis esse temporis vt de aliqua re facienda cogitarent, séque ad eam præpararent, vt dicimus, adhuc messis in herba est. Hoc prouerbium ex semente & messe corporea sumptum aptè Christus ad spiritualem sementem & messem accommodauit. *Vos dicitis*, ideſt dicere soletis, *Adhuc quatuor menses sunt vsque ad messem.* ideſt satis esse temporis vt de aliqua re agenda cogitetur. Non potestis id nunc de spirituali messe dicere, in quam ego vos missurus sum: leuate enim oculos vestros, & videte regiones quia albæ sūt iam ad messē. Mald. Vtrosque autem oculos leuare iubet, corporis quidem vt ad se Samaritanos venientes viderent; vel solos mentis, quia de spirituali messe agebatur. Regiones vocat multitudinem hominum, qui quaqua versus erant, non solum Samaritanorum. Albentes autem quia paratæ iam erant ad Euangelium recipiendum ex Chryſ. & Orig.

36. *Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.*] Induxerat verbis præcedentibus discipulorum animos ad hanc hominum messem considerandam; nunc etiam ad metendum inuitat: futuri enim erant operarij & messores mundi. Allicit ergo eos magno & insolito præmio proposito, quod multum differt à præmio & mercede messorum temporalium. Nam qui metunt semina temporalia, mercedem accipiunt & laboris stipendium; fructus tamen sibi non congregant, sed Domino, operarij enim fructus non percipiunt sed Dominus. Præterea qui congregant

fructus, sibi quidem recondunt in horrea, sed ibi non permanent, quia vsu consumuntur, nec durat gaudium quod ex illis processit: gaudent quidem dum congregant, dum habent in horreis, tamen eis consumptis gaudium cessat. At non sic est in messe spirituali: sed qui metit habet mercedem, quia pro labore præmium habet à Deo. Rursus præter mercedem sibi ipsi congregat, quia fructus cedunt in magnam vtilitatem messorum: fructus autem sunt homines conuersi & salui, labore prædicantium & Apostolorum. Cedunt autem in vtilitatem vltra mercedem essentialem, quia non tantum gaudet vllus homo fruge, etiam copiosissima temporali percepta, quantum gaudent Apostoli & prædicatores in æterna gloria iis qui opera & labore conuersi salui sunt. Præterea fructus hic non reponitur in horreo consumendus, sed in vita æterna, vt gaudium fructus duret in æternum. Iure ergo propter hanc messem cibus corporalis differtur. Hæc verba non propter se dixit Christus: sed propter discipulos, ipse enim mercede hac non indigebat qui ab instanti incarnationis erat beatus, & ex vnione ad verbum omnis ei gloria debebatur. Discipulis autem hoc conueniebat, quos ad tantam messem iam aduentantem disponebat tanto præmio, & eorum animos alliciebat. Sunt qui mercedem & fructum pro eodem accipiunt ex Augustino.

Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.] Differentiam aliam constituit inter messem spiritualem & materialem. In hac enim sæpe accidit vt vnus seminet, alius autem metat; & qui seminat non gaudeat fructu, sed solũ qui metit;

metit: sæpe enim moritur seminans, nec fructu gaudet, sed solus is qui metit: at in hac messe non ita fit. Est quidem vnus qui seminat, alius qui metit, tamen vterque gaudet eodem fructu. Patriarchæ & Prophetæ, qui prima fidei principiá labore & sudore iactarunt, sunt velut seminatores: Apostoli qui populos per Patriarchas & Prophetas dispositos ad Christum conuerterunt, sunt velut messores: tamen fructu nempe salute conuersorum tam hi quam illi gaudent. *Vt*, non causam sed consecutionem significat ex Tol.

37. *In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, alius est qui metit; ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt & vos in labores eorum introistis.*] Prouerbium erat apud Iudæos, vnus seminat & alius metit, quo significabatur alium laborasse aliũ frui eius labore ex Chrys. Sementis enim cum magno labore tempore totius anni difficillimo, incerta vero spe prouentus atque mercedis fit: messis verò & minore labore, & certo prouentu atque mercede. Hoc igitur prouerbium ad Prophetas, & Apostolos Christus accommodat, quòd Prophetæ sementem fecissent, ideſt maiorem laborem subiissent; Apostoli verò meterent, ideſt, minus laborarint. non quòd minor Apostolorum quam Prophetarũ labor fuerit, quin multò fortasse maior, totum mundum peragrare, per ferrũ, per ignem, per cruces ire, non iam cum hominibus qui aliquam Dei scientiã haberent, quales Iudæi erant, sed cum Gentilibus, cum tyrannis, ideſt cum bestiis pugnare: sed quòd multo maiorem laborem Apostoli subituri essent si Prophetæ ante eos non laborassent,

rassent,& Iudæorum populũ non excoluissent ad recipiendũ Christũ,& eius Euangeliũ. Adde quod non loquitur Christus hic nisi de Iudeis: in his enim seminatũ erat, & conuersio eorum vt messis fuit: quia iã per Patriarchas & Prophetas populus ille dispositus erat. At respectũ gentium Apostoli seminatores erant; non Philosophi, vt quidã putauerunt: nulla enim fidei dispositio, immo & errorũ & infidelitatis tenebræ,& morũ corruptela, ac peruersitas erant. In his laborarunt & seminarunt. 1. Cor. 15. Apostolus plus quàm omnes se laborasse dicit, quia missus est ad gentes. Attende circa verba hæc præterita, *misi vos, introistis.* significare iam inceptam esse messem per eos, quia iã in Christi nomine baptizauerant: tamen perfecta messis Iudæorũ cõpleta est post Domini Ascensionẽ. Rectè autẽ Dominus messem vocat, vt vnã & eandem fidem esse ostendat Patriarcharũ, Prophetarum,& Euangelicam; eundémque Deum veteris & noui Testamenti auctorẽ. Vel cum dixit, *misi*, necesse non est vt sic interpretemur, quasi iam reipsa misisset, sed quasi reipsa eos elegisset, ac destinasset; vt suo mitteret tempore, vt Matth. 10. 5. & Mar. 3. 15. Ex S. Tho.

39. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.*] Euangelistã reuertitur ad historiam Samaritanorũ prosequendam, & multos credidisse ait propter testimoniũ mulieris affirmantis Christum sibi omnia dixisse quæcũque fecisset. Et attende hos credidisse antequam ad Christum vrbe egressi venissent, non verò postquam venerunt. Nam dictio *ergo* significat

gnificat propterea ad Christum venisse, quia priùs credidissent in eũ, ideſt, illum esse verum Christum & Messiã Et laudanda eorum in credendo promptitudo, & facilitas; qui antequam ad Christum accederent, fidem dederunt, etiam plus credentes quàm mulier illa prædicabat: hæc enim non affirmauit omnino Christũ esse, sed, *Venite & videte*, inquit, an Christus sit. At hi sine mora crediderunt ipsum esse. Sed magis miranda Christi virtus & efficacia, qui antequam videretur, & priusquam loqueretur eorum corda conuertit: vt sol qui antequam supra Orizontem ascendat efficacia sui splendoris mundum illuminat. Ex Chrysost.

40. *Cum venissent ergo ad illum Samaritani rogauerunt eum, vt ibi maneret: & mansit ibi duos dies: & multò plures crediderunt propter sermonem eius.*] Samaritani rogant Dominum, & ibi duos manet dies, & exaudit preces, quarum, vt fierent, auctor fuit sua diuina virtute corda mouens & linguã: & multò plures crediderunt propter verbum, & sermonem eius, nempe Christi, quam propter mulieris verbum. Non dixit propter miracula: nam hæc fiunt propter infidelitatem: vbi ergo tantam fidem suo sermone inuenit, miracula non erant necessaria, in quo eorum fides etiam magis commendatur. Ex Chrysost.

42. *Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè saluator mundi.*] Non significant se propter mulieris verba non credere, sed propter ea quæ in Christo viderant, experti que fuerant, magis credere. Et si eam non audiuissent, tamẽ credituros propter verbum

bum Christi quod audierunt. Quid autem credant exponunt illustri confessione, *Hic est verò saluator mundi.* Fortis & constans fides quæ non indiget miraculo sed probatione relicta verbo simplici Christi fidem integram præbet. *Audiuimus* inquiunt, quia fides ex auditu: *scimus* autem, vt fortè, & certam, & omni dubio liberam fidem se dedisse ostendant. Vtuntur verbo scientiæ, tamen fides erat, quia quod credebant nondũ videbant: hominem solum videbant & mundi saluatorem credebant. Quòd Saluatorẽ vocant, fortè cõparationem faciunt ad Angelos & ad Prophetas, qui ad salutẽ populi sæpe à Deo missi fuerunt: vt missus Angelus cũ populus fuit ex Ægypto educendus. Ex. 14. & 23. Missus alius cùm ex captiuitate Babylonica esset liberãdus, neuter eorũ verè saluator fuit. Missus Moses, missi alij Prophetæ: nemo verè saluator fuit, quia liberabant à seruitute hominũ, non à seruitute peccati. Christus solus ab hac nos liberauit. Liberabant vt ministri, Christus vt Dominus. Mat. 7. Vel alludunt ad eos qui paulò antè se Christum esse finxerant, Act. 5. cùm nemo eorum verè esset Christus. Vel ad verba mulieris, quæ eum Christum esse dixerat. q. d. Verè dixisti hunc esse saluatorem mundi, tam ludæorum quàm Gentium. Ex Chrysost.

43 *Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam.*] Completis duobus diebus, quibus propter preces Samaritanorum in ciuitate illa prædicans, & eorum conuersionem ad fidem adiuuans, manserat, perrexit ire in Galilæam. Nam ex Iudæa recesserat vt in Galilæam veniret. vers. 3. Quæ autem Christus Samaritanis

prædi-

prædicauerit Euangelista silet : fructum prædicationis solum refert : nec est cur inquiramus.

44. *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.*] Horum verborũ connexio ex aliis Euãgelistis explicatur. Huius regressus in Galilęã ex Iudęa meminit Mat. 4. & refert relicta ciuitate Nazareth venisse in Capharnaũ : hoc nunc Ioannes subindicauit : Abiit, inquit, in Galilæã, & quia ciuitatem suam Nazareth relinquit ad eã non diuertens, propterea dicitur, *testimonium perhibuit: quia in patria sua Propheta honorem non habet.* q. d. Abiit in Galilæam, & in Nazareth patriam non diuertit, sed in vlteriorem locum transiuit, quia in patria sua Propheta honorem non habet, ideſt propter eorum infidelitatem : sciebat enim eos non credituros ei. Ex Chryſ.

45. *Cum ergo venisset in Galilaam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo, & ipsi enim venerant ad diẽ festum.*] Honorificè a Galilæis excipitur : nam ipsi venerunt ad diem festum Paschæ in Hierusalem, & testes oculati fuerunt & doctrinæ, & signorum, quæ tunc operatus est, & quomodo è templo eiecit vendentes : propter signa igitur hæc, quæ viderant tunc, venientem nunc excipiunt cum honore. Multum hic Samaritanorum fides commendatur : cùm enim nullum vidissent signum non solùm exceperunt sed in eũ crediderunt. At hi propter signa eum exceperunt : tamen an in eum crediderint non exprimitur. Iudæi verò etiam multis signis nec crediderunt, nec exceperunt ; sed eum persequebantur

sequebantur. Qui Galilæi sint isti Ioannes in particulari non describit, sed eos esse dicit ad quos primo regrediens diuertit. Beda.

46. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.*] Illatio, *ergo*, hunc sensum efficit, quia patriam propriam reliquit, nec ad eam diuertere voluit, propterea venit in Cana, quæ erat proxima Nazareth: locus enim ad diuertendum illo die commodior non erat: tum quia vicinus: tũ quia notus ibi ex miraculo, & ex familiaribus & cõsanguineis ibi cõmorantibus erat. Vel ideo rediit vt fidē eorum, qui ad miraculum ibi factum in ipsum crediderant, confirmaret: vel quia cùm miraculum fecit pauci in eum crediderant. Ex Chrysost.

Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.] Describit miraculum quod Dominus fecit in Cana. Regulus dicitur non quasi rex paruus, sed quasi regius, seu de aula regis: vel quòd aliqua principatus dignitate fungeretur, aut de genere regio, aut ministris Herodis seu Cæsaris esset, & gentilis: & is fortè de quo Mat. 8. Alij meliùs fuisse Iudæum. Ex Chrysostom. Hinc colligitur quàm parui momenti sit apud Deum nobilitas, & diuitiæ, quando deest fides & Dei gratia. Ecce hic regius & diues, sed modicæ fidei, quis & qualis fuerit ignoratur. Tol.

47. *Hic cùm audisset quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.*] Dixit, *descenderet*, quia Cana est in situ eminentiori, quàm Capharnaũ: in quo notatur debilis eius fides, quia Christi præsentiã rogat, quasi absens sanare non posset ex Chrys. Dictio

enim,

enim, causam insinuat cur ad Christum venerit, quia iam nulla ars medicinæ illi prodesse poterat, sed erat lethalis morbus.

48. *Dixit ergo Iesus ad eum : Nisi signa & prodigia videritis non creditis.*] Arguit Regulum paruæ fidei. Et dictio, *ergo*, superiorem sententiam causam reprehensionis continere denotat. q. d. quia ad Christum accedens debilem fidem & cum multa infidelitate coniunctam ostendit, propterea audire meruit hæc verba à Christo, quæ sequuntur, reprehensionis. *Dixit ergo Iesus ad eum.* q. d. Parum credit, ergo dignus reprehensionem audire fuit. Sensus est, Vos non creditis nisi signa & prodigia videritis, i. priùs vultis videre signa & prodigia, quam credere parum : hoc est non sufficiunt vobis multa signa facta ad credendum, sed adhuc signorum abundantiam quæritis ad credendum. Reprehenditur Regulus quia audierat multa Christum fecisse, quæ sufficere debuerant vt crederet Christum perfectè sanare posse : & tamen non credebat. Alij non reprehendendo dictum putant, sed pronuntiando. q. d. Cogor propter incredulitatem vestram facere miracula, quia si non facerem mihi non crederetis. Non sanabo filium tuum propter preces tuas, sed vt multi in me eo viso miraculo credant, alioqui minimè credituri. Itáque reddit rationem cur Reguli filium sanare velit, Mald.

49. *Dicit ei Regulus, Domine descende priusquam moriatur filius meus.*] Regulus totus amore filij præpeditus verbum fidei non percipit, sed suam fidei debilitatem ostendit. Videns enim Christum morandi causam nectere, dum

cum

eum & Iudæos infidelitatis arguit, sollicitat vt citò descendat, ne interim filius eius moriatur, quasi si moreretur amplius à Christo sanari non posset, vt notat Chrys.

50. *Dicit ei Iesus, vade, filius tuus viuit.*] Idest, liberatus est à morte, & sic quem reprehensione non sanauit, beneficio conuertit: exēplum præbēs pastoribus varijs modis homines alliciēdi. Hic non rogatus fecit Christus quod rogatus à centurione illo Mat. 8. facere noluit. Rogatus illic fuerat ne in domum vbi ægrotus erat, iret, volebat tamen ire: hic rogatur vt eat, nec vult ire. Eodem vtrumque fecit consilio. Illic voluit, promittendo se iturum esse centurionis, quam non ignorabat, fidem elicere. Quò enim magis se paratum promptumque vt eat, ostendit, eò magis Centurionis apparet fides, *Domine non sum dignus, &c.* Hic verò videns hunc Regulum exiguam adhuc habere fidem, putareque se absentem sanare non posse, non vult ab eo etiam rogatus ire. Imò eo magis ire renuit quò magis rogatur, ne eundo cōfirmare opinionem Reguli videretur, se nisi eò ijsset sanare eius filium non potuisse. Itaque auget non eundo eius fidem. Contrà verò illic vbi à Centurione rogabatur vt solo curaret verbo, volebat præsentia & manu curare: hic verò vbi rogatus vt præsentia curaret, curauit verbo. Vel hic fidem Reguli perficit, illic fidei perfectionem in Centurione exercet. Ex Greg.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.] Non dicitur in eum credidisse, quia necdum fidem habebat eum esse verè Christum: sed credidit sermoni eius, i. quòd vera narraret,

ret, non tamen, quòd ipse esset causa sanitatis & sanum fecisset filium tali verbo, sed quasi annuntiasset salutem filij & incolumitatem futuram: vt solemus dicere de infirmo, erit saluus, non morietur. Quod tamen postea intellexit, & verè credidit. Tol.

51. *Iam autem eo discedente serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret.*] Vt Regulum à solicitudine de filij periculo liberarent, & tanti gaudij citius participem facerent, & ne amplius Christum secum descendere procuraret, serui occurrunt ei antequam ipse Capharnaum peruenisset, & filium bene valere nuntiant: quod diuina prouidentia factum est vt ab illis scisciteretur, qua hora conualuisset: itáque crederet diuina virtute Christi id factum esse. Leontius putat seruos priùs credidisse à Christo, licèt absente, fuisse curatum. Ex Chrys.

52. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit.*] *Ergo*, consecutionem indicat quasi horam quærat, quia Christus ei dixit, *Viuit filius tuus.* Propter hoc enim verbum sanitatis recuperatæ horam inquisiuit. Ex Chrysostom.

Et dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: filius tuus viuit.] Hic etiam, *ergo*, consecutionem significat: nempe eandem esse horam in qua Christus dixit, *viuit filius*, & in qua filius sanus factus est, ex responsione seruorum cognouit. Hora 7. est prima post meridiem.

53. *Et credidit ipse & domus eius tota.*] Idest, ex illa responsione consecutũ est vt cognosceret eandem

eandem esse horam sanitatis receptæ, & verbi Christi prolati. Et id cognoscens crederet ipse, & simul domus tota. Quid an non ante crediderat? putat August. non credidisse, nunc credere cœpisse. Alij credidisse sed imperfectè, nunc perfectius, vt Beda. Alij perfectè quidem credidisse: nunc verò multò perfectius, & domus eius tota credidit. Non est bonus paterfamilias, qui familiam totam suam ad fidem & Ecclesiam non adducit. 1. Tim. 5. Act. 16. & Act. 18. Sæpe Dominus temporalia mala permittit, vt maiora bona conferat.

54. *Hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum venisset à Iudæa in Galilæam.*] Non dicit simpliciter hoc secundum fuisse signum ex omnibus quæ fecit Christus: nam postquam primum illud fecit in Cana Galilææ, & multa alia fecerat Hierosolymæ cùm dies festus ageretur: sed dixit, ex ijs quæ in Galilæa fecit, hoc fuisse secundum: nec hoc ipsum absolutè dicit, nam alia præter hoc & illud primum fortasse fecerat; sed ex ijs, quæ rediens à Iudæa in Galilæam fecerat, hoc fuisse secundum. Adiecit autem hoc verbum Euangelista vt significaret hanc historiam esse gestam ante omnia miracula, quæ cæteri Euangelistæ facta esse in Galilæa describunt, ex Mald. & Tol.

CAPVT

CAPVT V.

Sanato in Sabbato Paralytico disputat cum Iudæis.

1. *Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.*] Post hæc, inquit, quæ superiori capite dicta sunt Erat dies festus Iudæorum, i. Pascha omnium festorum celeberrimum. Vel vt alij putant Pentecoste. Tribus enim temporibus in anno ex omni loco Iudæi Hierosolymam ascendebant ad adorandum in templo. Quando autem audis, *Post hæc*, non intelligas quasi nihil aliud sit à Christo in Galilæa gestum præter Reguli miraculum: nam hoc medio tempore multa fecit Christus, quæ alij narrant Euangelistæ in Galilæa fecisse. Miracula enim edidit, discipulos vocauit, sermonem habuit in monte: post hæc venit Hierusalem. Ex Chrys.

2. *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.*] Locum miraculi describit. Multæ piscinæ erant in Hierusalem diuersa nomina sortitæ: hæc appellabatur Bethesda seu Bethsaida Gr. προβατικὴ, quasi pecualis seu ouilis: piscina autem non quia pisces habuerit. Erant autem circum circa porticus quinque, propter pauperum & infirmorum commoditatem. quia gratia sanitatis consequendæ illuc confluebant. Ex Chrys.

3. 4. *In his iacebat multitudo magna languentium,*

tium cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam & mouebatur aqua.] Describit vsum porticuum, & quatuor genera eorum qui in illis erant spe recuperandæ sanitatis: & quod Angelus certo & determinato tempore descendebat: non enim erat vis illa sanandi perpetua, sed certo tempore Angelus descendebat, & aqua mota ab eo tunc sanabatur ingrediens. Hoc tempus incertum fuit, cum hora certa futuri motus non fuerit. An autem semel in anno, an sæpius incertum est. Probabile est id aliquoties in anno factum fuisse, & fortè festis maximè solemnibus, quando Iudæi vndique ad templum confluebant. Cyr. semel in anno idque in festo Pentecostes factum putat. Non semper autem fiebat, ne naturali vi aquæ curationes fieri viderentur, sed diuina per bonum Angelum, siue Raphaelē, seu alium, qui non in assumpto corpore aquam mouebat, quia ægroti expectabant, non Angelum quem non videbant, sed motum aquæ quem videbant, qui motus erat signum aduentus Angeli. Ex Chrys.

Et qui primus descendisset in piscinam, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.] Cur statim ac mota ab Angelo aqua vnus isque primus qui descendebat his temporibus sanus erat? Nimirum vt appareret vim sanandi diuinitus illi vt instrumento ad momentum temporis impressam, non naturaliter datam esse. At cur vnus tantum, & vnus quidem is qui primus descendisset forte. Vt doceret etiam in percipiendis donis diuinis, quæ gratis nobis & sine merito vllo nostro dantur, multum

multum noſtram valere diligentiam : Gratis quidem datur gratia, ſed non niſi volentibus, non niſi quærentibus & conantibus datur. Sic hoc beneficium ſanitatis propoſitum erat tanquam corona in ſtadio currentibus ; qui primus ad metam perueniebat, is percipiebat. Piſcina hæc fuit figura baptiſmi, nullum tantum peccatum eſt à quo non curet. Illis ſignum, tibi fides ; illis Angelus deſcendebat, tibi Spiritus ſanctus ; illis creatura mouebatur, tibi Chriſtus operatur ipſe Dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes ſanantur, aut certè vnus, ſolus populus Chriſtianus. Chryſoſtom.

5. *Erat autem homo ibi triginta octo annos habens in infirmitate ſua.*] Quod miraculi magnitudinem declarat, & miram languidi tolerantiam, & non eſſe deſperandum aut ab oratione deſiſtendum ſi non continuò, quæ à Deo petimus, impetramus. Hic non cæcitate ſed paralyſi iacebat in grabato, membrorum impotens, alius ab eo de quo Mat 9.

6. *Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia multum tempus haberet, dicit ei : vis ſanus fieri?*] Eſt cauſalis locutio, vt ſit ſenſus, quia vidit iacentem, ſine ope vlla, & laborantem antiqua infirmitate, & virtute deſtitutum propterea miſericordia motus dicit ei : Vis ſanus fieri. Non quia dubitaret de languidi voluntate interrogauit, ſed vt eius arbitrium aliquo modo excitaret, & ad recipiendum tantum beneficium diſponeret. Quod in hoc paralytico factum eſt in omnibus cum iuſtificantur fit adultis. Nemo enim niſi libens & volens iuſtificatur : neque ſola ſatis eſt gratia, niſi noſtra

nostra quoque libera voluntas aliquid agat. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te: fecit nescientem, iustificat volentem, Aug. ser. 15. de verb. Ap. Docet rectores animarum, non esse expectandum vt homines salutem suam quærant, quam multi in peccatis securi iacentes non recordantur. Excitandi, pungendi, rogandi sunt vt sani fieri velint.

7. *Respondit ei languidus: Hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum enim venio ego, alius ante me descendit.*] Q. d. causam videris interrogare cur tanto tempore sanitatem nondum sim assecutus: scito eam esse quia neminem habeo qui mihi sit auxilio. Et Christum quem ex commiseratione interrogasse putauit, Dominus verbo honorifico vtens allicit ad auxilium ferendum. Sunt qui dicunt intellexisse se à Christo reprehensum, ideo responsionem speciem præ se fere excusationis, *Hominem non habeo.* q. d. id mea culpa non fit. Certè plus respondet quam rogabatur. Rogatus fuerat, *vis sanus fieri?* non respondet, volo, sed hominem non habeo. q. d. Maximè verò volo, sed neminem qui me iuuet habeo. Notandum autem huic languido vires non omnino defuisse: Nam dicit, *Dum ego venio alius ante me descendit.* Ergo sine homine poterat venire & se mouere, tamen non poterat illo motu citius alijs peruenire. Ideo nunquam potuit saniratem consequi. Tale est hominis arbitrium in peccato, cuius hic figuram gerit: non est omnino extinctum, aut ita debilitatum vt nullum bonum & honestũ opus facere sine gratia possit: nam morale aliquod bonum operari potest, etiam post peccatum;

peccatum; tamen non tale vt possit ad salutem & liberationem à peccato peruenire, nisi adiuuante & sanante diuina gratia. Ex Tol.

8. *Dicit ei Iesus: Surge tolle grabatum tuum, & ambula.*] Christus mirabiliter confert sanitatem languido suam impotentiam confitenti & auxilium desideranti. *Surge*, inquit: hoc verbo sanat & vires perfectas languido confert, quas vt agnoscat simul dum sanat, præcipit vt surgat, vt se sanum esse cognoscat. At quia surgendo sanitatis receptæ perfectionem cognoscere non poterat, vt tollat grabatum suum imperat, vt sic quantas vno instanti vires acceperat experiatur: & gloria sanitatis manifesta sit omnibus, per quam hominum fidem, quæ ad salutem erat eis necessaria, conciliet. Ideo iubet vt ambulet, & tollens grabatum per ciuitatem incedat, vt ipso facto, præco fiat tanti miraculi. Consuetudo fuit Christo post à se edita miracula simile aliquid facere, vnde miraculi veritas & magnitudo cognosceretur? vt Mat. 8. 4. & 14. 20. & 15. 37. Mar. 5. 43. Io. 2 8. Mat. 9. 6. Grabatum lectus est, in quo infirmi iacent.

9. *Et statim sanus factus est ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.*] Superiora Christi verba duo continebant: & efficaciam ad sanandum, & simul præceptum ad operandum: nam tria iussit facere, ideo effectum describit Euangelista, *Statim sanus factus est*, obediuit præcepto: nam surrexit, tulit grabatum, & ambulauit: quæ subitatio diuina factum virtute declarat, *statim*, inquit, *sanus factus est*. Non timet Iudæorum calumniam languidus, nec legem transgredi dum in sabbato portat onus

tantæ auctoritatis præcepto obediens.

10. *Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.*] Erat eo die Iudæorum requies quod notat, quia calumniandi ansam erant inde accepturi Iudæi, nec impedit eam Christus, vt eorum errorem confutaret, & vera doctrina sua & virtus patefieret in frequentia multorum. At cur præcepit quod in Sabbato facere non licebat? Primum, legem dederat ipse, & dispensare poterat, & abrogare. Deinde portare grabatũ humeris contra legem erat, sed portare tanquam publicum accepti à Deo beneficij testimonium, non contra Sabbatum sed secundùm Sabbatũ erat, quod ideo institutum fuerat, vt in eo homines diuina beneficia recognoscerent & meditarentur grato animo.

11. *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit tolle grabatum tuum & ambula.*] Hoc ita dicit non quasi culpam in eum reiiciens, sed quasi factum suum defendens, & eorum à quibus calumniabatur stultitiam arguens. q.d. Qui me sanauit meliùs intellexit quàm vos quomodo Sabbatum obseruandum esset. Ille mihi dixit vt tollerem grabatũ meum. Poterat quasi culpam agnoscens calumniatoribus satisfacere posito grabato; noluit, sed pergit grabatum portare, & acceptum profitetur beneficium, & non alia se ratione defendit, quàm quòd se Christus id facere iussisset. Mald.

12. *Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum & ambula.*] Iudæorum inuidia non potest intus contineri, sed foras erumpit. Languidus non dixit:

dixit: ille homo qui me sanum fecit, sed, *qui me sanum fecit.* Non ausus est determinare, an homo dicendus est qui tantam habebat virtutem. At Iudæi minabundi affirmant dicentes: Quis est ille homo? q. d. Non sanctus, non propheta, sed violator est legis, ac pœna dignus. Adhuc magis malitia dilatatur: sciebant sanitatem eum mirabiliter recepisse, non enim negare poterant, omnibus erat cognitus infirmus ille qui repente sanus apparebat, quod ipsimet confirmant: non enim dicunt, nemo te sanum fecit, tu hæc fingis, sed tacentes admittunt verè sanum esse factum, & præ inuidia non interrogant, Quis est ille qui te sanum fecit? sed, *Quis est ille homo, qui tibi dixit: Tolle grabatum tuum?* cùm multò magis illud esset inquirendum, quis esset qui tanta virtute vti potuit. Sed non hoc calumniandi ansam, sed illud, *Qui dixit: Tolle grabatum,* dabat, ideo non vnum sed alterum inquirunt, ex quo eorum intentio maligna dignoscitur. Calumniam non Dei honorem quærebant: si enim hoc eos mouisset, vtique quis esset qui sanauit interrogassent; vt diuinam virtutem in eo agnoscerent. Ex Chrys.

13. *Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset: Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.*] Dum dicit Euangelista illum hominem nesciuisse, quis eum fecisset sanum, insinuat quod interrogantibus responderit se nescire: causam autem cur nesciuerit subiunxit, nam Christus statim ac fecit miraculum, à loco illo, in quo erat multitudo, se subduxit, nec tempus dedit vt agnosci posset: tum ne propter gloriam hominum id feciisse videretur,

tum vt interim Iudæorum furor efferuesceret. Vel quia id in Sabbato fecerat aufugit, vt putat Cyr. ne à Iudæis comprehenderetur: non quod illi nolentē tenere possent. sed vt doceret fugiendum abiratis. ex Chrys. & Aug.

14. *Postea inuenit eum Iesus in templo: Et dixit illi*]Non casu sed consilio, vt cui in piscina corporis sanitatem, sic in templo animæ salutem afferret: & vt apertè Iudæi cognoscerent se miraculi auctorem fuisse, & nominis eius notitia reuelaretur. Forsan languidus beneficij memor in templo rogabat Deum vt manifestaret eum qui sanum fecerat: Iesum in turba non agnouit, in templo agnouit ait Aug.

Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Multa ex hoc loco colliguntur. Primum sæpe corporis morbos à Deo propter peccatum immitti: nam indicare videtur Christus paralyticum propter sua peccata ægrotasse, cùm monet ne amplius peccet ne deterius quid illi accidat. Deinde posse hominem post acceptam baptismi gratiā peccare: Præterea grauius peccare eum qui post acceptum corporis, vel animæ beneficium iterum peccat, quia ad peccatum ingratitudinem adiungit. Denique non esse negandam pœnitentibus veniam: quoniam Christus non dixit, iam noli peccare, quia non sanaberis iterum; sed, *ne deterius tibi aliquid contingat.* Mald. Sanitate præstita tria ad præseruandum documenta Dominus tradit. 1. vt beneficium acceptum in memoriam reuocet, *Ecce sanus factus es.* 2. vt causam morbi precedentis ex peccato attendat, cognita enim causa facilior est præseruatio, dicens: *iam noli peccare.* 3. sciat si

pecca

peccauerit, in peiorem morbum lapsurum. Tol.

15. *Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis quia Iesus esset qui fecit eum sanum.*] Non malo animo manifestat suæ sanitatis auctorem: non enim credibile est, tanto beneficio à Christo affectum anima & corpore, tam mira admonitione edoctum, & tanto timore terrefactum, tam graue peccatum sine mora, contra tam magnificum benefactorem nemine vrgente commisisse. Cyr. dicit hac intentione Iudæos adiisse vt medicum ostenderet, si quis fortè illorum sanitate indiguisset. Chrys. verò vt tanquã gratus suum ostenderet benefactorem. Non enim dixit, qui iussit me onus portare: hoc enim quærebant Iudæi accusantes; sed, *qui fecit eum sanum*, vt auctorem sanitatis tantæ ostenderet. Hoc Christo inspirante fecit, vt & miraculo tanto fidem conciliaret, & occasionem daret euulgandæ doctrinæ. ille annunciabat & illi insaniebant ait Aug.

16. *Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbato.*] Idest eo prætextu persequebantur, inde captabant occasionem. Dictio, *hæc*, insinuat ante hoc miraculum, alia etiam facta fuisse à Christo in Sabbato, quæ ab aliis Euangelistis narrantur, & propterea quærebant eum interimere. Ex Aug.

17. *Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.*] Seu, loqui exorsus est, seu eorum verbis & factis respondit, rationem afferens cur Sabbatum non violauerit. Et sensus est, sicut Pater meus operatur etiam in Sabbato, & ego operor: ille non violat Sabbatum, nec ego. Dicit Deum Patrem

operari vsque modo, i. etiam in Sabbato propter mundi conseruationem, & gubernationem. Insinuat etiam hoc verbum æqualitatem quandam dignitatis cum Patre. Et tacitè respondet Deum non simpliciter quieuisse ab omni opere postquam creauit omnia sex diebus, nam nunc etiam operatur, nec Sabbatum suum violat. Ita, inquit, & ego operor, qui etiam Deus sum: nec propterea Sabbatum violare dicendus sum. Cum discipuli accusarentur ob eandem causam violati Sabbati, non exemplo Patris sui, quia homines erant, sed exemplo sanctorum hominum defendit. Mat. 12. 3. Cum autem ipse accusatur, exemplo patris sui se tuetur. Ex Chrys. Vel hoc dixit perinde ac si dixisset, nullum Patri, nullum sibi ad agendum tempus esse præscriptum: Dominum Sabbati, Dominum temporis, & omnium aliarum rerum esse. Sunt qui non de qualibet operatione, sed de ea qua hominum salutem procurat; alij meliùs generaliter dictum putant. Ex Aug.

18. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*] Dicit Euangelista nunc ad prætextum violationis Sabbati alium speciosiorem accessisse, quòd se filium Dei, ideſt Deo æqualem faceret. Et ne quis arbitraretur Patrem suum dixisse Deum, quia ipse adoptionis filius fuerit, adiunxit, dixisse Deum se habere Patrem sibi æqualem. Et dum dicit, *Propterea magis quærebant interficere*, significat etiam priùs quæsiuisse interficere. Ex Hilar. 7. de Trin. & Chrys.

19. *Respon*

19. *Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam nisi quod viderit Patrem facientem.*] Q.d. nihil facio quod non faciat Pater meus: qui ergo me accusat violati Sabbati, etiam transgressionis Patrem insimulat. Nota Filium à se nihil facere, nisi quod viderit Patrem facientem, nihil aliud significare quàm, quicquid filius facit, non solum facere, sed simul etiam Patrem facere, & à Patre habere illud ipsum quod faciat. Creat Pater, creat filius, vna est vtriusque creatio: filius tamen habet à Patre quod creat. Quod dicit, *viderit*, idest videndo accipit vt faciat, & accipiendo videt. Nec in eo aliud est videre, aliud accipere: vtrumque verò ab æterno; etsi opera in tempore fiant. Non enim sensus est filium nihil posse facere, nisi quod ante viderit Patrem facientem: nam mundum fecit quia omnia per ipsum facta sunt, & tamen non vidit Patrem ante alium mundum facientem, quia mundus alius non est. Necesse igitur est vt sensus sit Patrem & filium vnum semper & idem facere; neque posse res facere diuersas cum natura & voluntate idem sint. Hinc est quod ex hoc loco nihil habent quod concludant Ariani. Non tamen Iudæi intellexerunt Christum esse filium Dei. Ex Aug.

Quæcumque enim ille facit, hæc & Filius similiter facit.] Refutata Sabbati accusatione nũc æqualitatem Patris ex operibus comprobans dixerat, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Hoc confirmat & declarat. Confirmat quidem dicens, omnia quæ facit Pater, similiter facit & filius: si igitur Pater operatur, etiam

Filius operatur: & si Pater in Sabbato operatur & vsque modò, etiam Filius. Declarat verò, quia priùs non expresserat modum. Et possit Arianus dicere, Pater vt causa principalis, filius vt minister operatur. At hoc remouens dicit, *Similiter facit*, ideſt eadem potentia, eadem virtute & maiestate, operatur Filius, qua Pater. Itaque non prius Pater, nec perfectius quàm Filius; ideo autem Filius tot & tam apertis verbis æqualitatem cum Patre ostendit, ne propter assumptam humanitatem aliquid perdidisse de eius maiestate videatur. Nota Filium omnia operari quæ Pater operatur; tamen nõ omnia Filium operari per carnem. Ex Aug. & Hyl. 7. de Trin.

20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.*] Q.d. Dixi vobis me nihil facere nisi quod video Patrem facere, & dixi omnia quæ facit Pater, me etiam facere; nemo existimet me non omnia facere, quæ Pater facit, quasi nõ omnia, quæ Pater facit videam: non enim sic est: nam Pater diligit Filium, & ideo nihil ei occultat, sed omnia demonstrat quæ ipse facit: & sic Filius omnia facit quæ Pater facit. Dicitur autem Pater demonstrare Filio omnia quæ facit, quia cognitionem quam habet Filius, Pater dat. Communicat enim Pater Filio scientiam cum essentia; & hoc est demonstrare; sicut Filium discere, seu videre Patrem facientem, est accipere cognitionem à Patre. Et loquitur humano modo: hi enim qui se amant mutuò sibi omnia communicant. Vtitur enim hoc, vt signo, non vt causa cur omnia demonstret: nam non amãdo, sed generando demonstrat. Quod si sumatur

tur vt causa, non quatenus Deus est, sed quatenus homo est intelligitur; multa enim illi tribuit amoris causa: vt quod dicitur, *omne iudicium dedit Filio.* Ex Aug.

Et maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.] Dici posset, non fecisti omnia quæ Pater fecit, cum opera Dei multo sint maiora quam quæ hactenus tu fecisti: ideo addit, *maiora his demonstrabit*, ita vt vos in admirationem rapiant. Quæ autem sint hæc maiora statim explicat, nempe miracula magna, magis potentiæ diuinæ expressiua. Vel alludit ad potentiam quam in iudicio est ostensurus, qua nullam vnquam maiorem demonstrauit. Ex Hil. Chry. & Aug.

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat.*] Probat Christus se omnia facere quæ facit Pater, & Patrem omnia quæ facit demonstrare Filio per opera Dei maiora. Si enim facit, & ostendit Filio quæ maiora sunt, & quæ propria sunt Dei, consequens est demonstrare omnia. Vnum autem opus est mortuos suscitare, & viuificare; hoc facit Pater: hoc idem facit Filius: non vnum sed omnes. Et ne putaremus suscitasse vt Prophetæ suscitarunt; addit, *quos vult.* Quia solius Dei est viuificare quos vult: & propterea sicut Pater, & ipse viuificat. Quod si alludit ad iudicialem potestatem, quia iudicis est absoluere, vel damnare, id est viuificare, vel occidere; proponit suscitationis exemplum: quod non ad sola corpora sed ad animas etiam referendum. Ex Chrys. & Aug.

22. *Nec enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.*] Præter mortuorũ vi-

uificationē, hoc alterū opus demonstrabit Filio in carne existenti; nempe iudicium generale omniū hominū; qui visibiliter sententiam feret, non Pater, qui naturam non suscepit humanam. Ideóque dicitur neminē iudicaturus per se, sed per filium in carne. Illud, *omne*, ad personas refertur: nempe dedit omne iudiciū; ideſt omniū iudicium. Qui putant filio tanquā Deo datam à Patre esse iudicandi potestatem, vnà cum æterna generatione datam putant: generando enim Filium Pater eum iudicem fecit. Qui verò tanquam homini Christo datam eam potestatem docent, in humana datam putant generatione, vbi factus est Rex: eo enim ipso quod Rex, est iudex, Ps. 2. Ex Hyl. Chrys. & Aug.

23. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*] Hoc refertur ad viuificationem mortuorum, & ad iudicium generale hominū, quæ Pater dedit & demonstrat Filio. Causa autem finalis est vt filius Dei latens in natura illa, agnoscatur, & agnitus ab omnibus honorificetur vt Deus, sicut Pater honoratur vt Deus. Quāuis enim sit in natura humana, non desiit esse Deus Patris æqualis & consubstantialis, tamen non est ab omnibus cognitus: ideo nec honorificatus. Propterea exercuit aliqua diuinitatis opera per carnem, vt diuinitas ibi latens manifestaretur, crederetur, honorificaretur. Opus autem quo maximè est honorificandus, præter suscitationem mortuorum, est iudicium futurum, in quo incuruabitur omne genu, & videbunt homines in quem confixerunt. Ex Aug.

Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem,

trem, qui misit illum] Si non honorare Filiũ Dei in carne, est Patrem non honorare, sequitur vt qui contumeliam infert Filio, inferat & Patri. Hinc collige quanti criminis Iudæos reos facit qui eum legis transgressorem dicebant. In verbis *Qui misit illum*, tacitè causam innuit cur qui Filium non honorat, nec Patrem honoret; nempe quia misit illum. Missio duo dicit processionem à Patre, & carnis assumptionem: quia sic homo factus est vt à Patre procedat ipsi consubstantialis. Alio ergo honore est afficiendus quam quia est legatus Patris. Non dicit, non honorificat Deum, quia missus est non vt Prophetæ missi sunt, sed vt procedens filius à Patre. Ex Aug.

24. *Amen, amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Et in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam.*] Subiectum de viuificatione & iudicio prosequitur: cùm enim ipse sit qui viuificat, & qui iudicat omnes, ostendit, quale iudicium subibunt honorificantes eum, & credentes, dicens hos vitam æternam habituros. Vtitur verbo præsentis, *habet*: quia ius habet, & quoddam pignus illius, & ipse est qui viuificandus est. Vbi notanda necessitas & efficacia credendi in eum: qui enim credunt viuificãdi sunt in hoc iudicio. Non dixit qui credit in me: non quia sic gloriari videretur, sed quia sic magis exprimitur qualis sit futura fides credentium: Nam qui credit ei qui misit Christũ, credit in mittentem, & in missum: & in hoc significatur Trinitatis mysterium. Credit etiam Christũ esse missum, in quo incarnationis mysterium indicatur. Et his articulis fides Chri-

sti maximè definitur; nimirum vt credamus eum esse Dei filium, patri consubstantialem, & hominem propter nos factum. Nec ab hac fide excluditur dilectio & opera ipsius. sed de fundamento ipso, quod tunc nondum iactum erat, agebat; hoc autem est fides in eum. Causam verò reddit cur credens vitam æternam sit habiturus. *Et*, pro, *quia* in iudicium non venit, ideſt, non iudicatur secundum ea quæ commisit. Nam per fidem in Christum viuam remittuntur ei commissa: sed de morte corporis in qua est transit ad vitam beatam. Non credentes autem veniunt in iudicium, quia pro peccatis damnationi iam sunt deputati: nec per fidem Christi liberati sunt, quia ea caruerunt: hi de morte corporis transeunt in mortem æternæ damnationis. *Venit* est præsentis temporis, *transiit* præteriti, sed vim habet vtrumque futuri. Ex Aug.

25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.*] Confirmat eum qui audit, & credit verbum eius, in vitam transire posse: nam tantæ virtutis est, vt mortuos possit voce suscitare. Et hoc citò fiet. *Venit hora*, ideſt, vētura est: vel aduentat, appropinquat. Hoc dicit propter mortuos quos voce sua erat cito suscitaturus. Vt filium viduæ, filiam Archisynagogæ, & Lazarum. Vnde intelligunt qui mortuos suscitare potuit, eum viuis vitam æternam dare posse. Notanda analogia, sicut qui corpore mortui sunt, dum audiunt Christi vocem, transeunt de morte corporis ad vitam: ita qui animo mortui sunt, dum audiunt eius verbum, à morte sempiterna ad vitam æternam

reuocantur. Ait, *Nunc est*, quia breui hos mortuos erat suscitaturus: vel quia iam tum homines incipiebat iustificare. Si de nouissimo iudicio sermo est, dicendum vt Ioānes 1. Epist. 2. *Nouissima hora est*, vel quia, vt Petrus ait 1. Ep. 3. vnus dies apud Dominum sicut mille anni: vel vocat nouissimum tempus post statum naturę, & legis, statum vltimum post quem in hac vita ante finem mundi alius expectandus non est, nisi iudicium. Ex Aug.

26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.*] Rationem reddit cur qui audierint vocem filij viuent, cum mortui sint, quia sicut Pater habet vitam in semetipso, & ideo mortuos suscitat: ita etiā dedit Filio vitam habere in semetipso, propterea poterit etiā mortuos suscitare. Habere vitam in semetipso est, non participatam vitam habere, nec dependentem ab alio. Vnde colligitur contra Arianos filiū eiusdem esse vitæ cum Patre. Dicit, *in semetipso*, non à semetipso, quia habet à Patre hāc vitam. Creaturæ autem nec in semetipsis nec à semetipsis habent. Pater dedit filio per æternam generationem, vt vitam haberet in semetipso, vel cum fecit vt homo ille Christus in vnam cum filio suo personam vniretur, cùm constituit illum Regem, & Redemptorem, iudicem viuorum & mortuorum. Ex Hil. Chry. & Aug.

27. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*] Toletus hunc sensum esse ait. Credentes in me non venient in iudicium condemnationis: sed à morte ad vitam æternam reuocabuntur. Possum autem hoc facere: nam potestatem habeo viuificandi, quia vitam habeo

beo in memetipso, sicut Pater, & potestatem habeo iudicandi. Et cum dicit, *potestatem dedit ei*, non sola nuda potestas consideratur, sed vt per humanitatem exercenda est. Et verba, *quia filius hominis est*, sunt immediatè connectenda præcedentibus, quia continent causam. q. d. Homines voluit Deus per hominem iudicare, vt sensibile sit iudicium, & sicut per hominem saluauit hominem; ita etiam per hominem, eundem iudicabit. In illo misericordia; in hoc iustitia Dei multum commendatur. Quis enim non iustissimam dicet esse sententiam quam contra peccatores proferet is, qui in cruce suum sanguinem pro eorum salute fudit? Chry. Aug. & Theoph.

28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*] Quasi sensus sit, Nolite mirari quòd filius hominis sit, nam & filius Dei est. Cyr. ad paralyticum refert, q. d. Nolite mirari quod tantopere miramini, esse à me sanatum paralyticum: veniet tẽpus cum non solũ paralyticos sanabo, sed omnes etiam suscitabo, qui mortui in sepulchris iacent. Leontius ad mortuos qui audient vocem filij Dei q.d. Non paucos, sed omnes omnino suscitabo. Ex Aug. Dixerat iudicij potestatem sibi datam à Patre: at quia audientes hoc vt incredibile refutarunt aliquo gestu exteriori, adiunxit: *Nolite mirari hoc*, ideſt, ne vobis hoc incredibile videatur, quia non solùm hæc mihi data est potestas, sed veniet profecto tempus quando iudicium hoc fiet. Nam omnes mortui audient

vocem

vocem filij Dei, & procedent seu prodibunt ex sepulchris, & resurgent: sed non eodem modo omnes, qui enim bona egerunt resurgent in vitam æternam, qui verò mala, resurgent in dānationem. Hier. Ep. ad Pam. Audient auribus & procedent pedibus. At resurrectio vitæ bonis: resurrectio damnationis & æternæ mortis propria est malis. Dicit autem, *Audient vocem filij Dei*, Quia diuina virtute suscitandi sunt mortui: & est illa vox de qua 1. Thes 4. Ex his patet quod supra dixit credentes non venire in iudicium, sed de morte transire ad vitam. Qui autem dicantur credentes qui non damnantur sed vitam habent æternam, exponit nunc, non qui solam habent fidem vt contendunt hæretici, sed qui bona egerunt, vt Mat. 25. qui fidei, charitatis opera coniunxerunt. Melius Amon. & Theoph. ex hoc loco colligunt solam fidem ad salutem satis non esse. Non esse additum, *venit hora & nunc est*, sicut priùs dixerat, quia illic agebatur de resurrectione priuata; hic de publica omnium cuius nondum tempus aduenerat admonet Aug.

30. *Non possum ego à meipso facere quicquam: sicut audio iudico.*] Sibi potestatem iudicandi à Patre datam dixerat. Et tacitæ obiectioni respondet, quamuis homo sit tamen se in iudicando errare non posse, dicens: *Ego à meipso non possum facere quicquam*, idest non vt homo tantùm facio quæ facio, sed vt filius Dei, vnius cum Patre naturæ: non humana scientia, aut potentia sola vtor; sed simul diuina. Chrysost. Assueti erant Iudæi audire Deum futurum iudicem. Ps. 49. & 74. & 67. 71. 73. 81. Ergo ne offenderentur quod Christus cum homo esset dicere

diceret se iudicaturum omnes homines, docet id non sua, i. non humana, sed Patris, i. diuina auctoritate facturum. *Sicut audio iudico.* Christus audiebat vt Deus, quia scientiam habebat à Patre: audiebat vt homo, quia scientiã habebat humanam à diuinitate cõmunicatam. Iudicabat ergo sicut audiebat, & non à se solo; non ergo ignorantia labi poterat in falsum iudicium, nec vt Deus, nec vt homo. Ex Aug.

Et iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.] Idem aliis verbis confirmat, & exclusa priori obiectione quia falli non potest, excludit aliam taciram iniquitatis, & dicit, iudicium meum eriam iustum erit. Nam non quæro voluntatem meam, i. non facio secundum voluntatem humanam solam, sed secundum diuinã in qua iniustitia esse non potest. Significat se operari secundum humanam voluntatem, ita tamen vt diuinæ sit cõformis, & loquitur vt homo de humana voluntate. Vna res enim errandi causa, quòd suam quisque sequatur voluntatem. S. Aug. tract. 22. Filius vnicus dicit, non quæro voluntatem meam, & homines volunt facere voluntatem suam? Et ait se debere voluntatem eius facere non solum quia Pater est, sed quia ad hoc ipsum missus est. Sic Chrys.

31. *Si ergo testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*] Chrys. & Cyr. putant id non ex sua sed ex Iudæorum opinione dicere, q. d. Quia ego de meipso testimoniam perhibui, existimabitis testimonium meum non esse verum. At non ita est. Superius

multa

multa suę diuinitatis mysteria Iudæis declarauerat, nunc quia incredeli manent suam veritatem testimonijs confirmat. q.d. Tu de teipso loqueris nullum testem profers : prævenit hanc obiectionem, sic se Deum ostendens, qui occulta cernebat. Hic ergo sensus est si ego de meipso testimonium perhibeo, nec alio argumento aut testimonio quæ affirmaui, probo, quàm his verbis exterioribus, quæ protuli, aut rationibus solis humanis soláque auctoritate mea exteriori quæ apparet : testimonium meũ non est legitimũ, nec dignum fide, nec verum reputãdum, quamuis reuera verum sit (loquitur vt homo) vel prouerbiali modo. q.d. Nolo mihi de me testificanti quisquam credat, ne id contra prouerbium vulgare postulare videar. At nõ sic est quia non solus ego de me testor, sed diuinis argumentis vtor, operibus nempe, & signis diuinitatis. Nec est contrarium illud, Io. 8. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est* : nam loquebatur vt Deus : qui non humanis verbis sed diuinis factis de se testabatur. Ex Chrys.

32. *Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me.*] Dixerat si solus de me testimonium perhibeo, testimonium verum non est: adiungit alium etiam esse qui testimonium perhibet de seipso. Cyr. Hic *alius* est Pater : & nota Christum in vnitate suæ personæ duas habere naturas diuinam & humanam, & duo operationum genera : vnum secundum diuinam, alterum secundum humanam : sed magnũ est vtriusque discrimen. Nam sicut diuina

natura

natura non sibi erat propria, sed cum Patre communis, quæ secundum eam operabatur, non Christi solius sed Patris simul opera erant, quando enim mortuos suscitabat, infirmos sanabat, quia secundum naturam diuinam primariò ea efficiebat, erant & sua, & Patris simul opera. Tamen quia natura humana sibi propria erat, quia non personæ Patris sed suæ tantùm erat vnita, quæ secundum eam faciebat, sua erant opera propria, vt quando incedebat, fatigabatur, sitiebat, orabat, similiáque opera hominis exercebat. Opera hæc hominis, non erant testimonium suæ diuinitatis, sed illa priora, quæ erant diuinitatis. Quæ quoniam & sibi vt Deus erat, & Patri, erant communia: hinc factum est vt ea modò Patri, modò sibi ratione suæ personæ attribueret: aliquando enim dicebat Patrem de eo testimonium facere, & operari quæ faciebat; aliquando verò ipsemet ratione diuinæ suæ personæ propter naturam eandem cum Patre dicebat de se vt homine ferre testimonium, & operari mira illa opera, vt eandem se habere cum Patre naturam & non solum hominem esse ostenderet. Sic intelligitur nunc quod ait alium esse qui testimonium ferret, nempe Patrem ipsum, qua ratione diuinæ naturæ edebat miracula diuinitatis testimonium perhibentia. Cum autem sibi potuisset etiam adscribere hęc opera, & testistimonium, tamen Patri tribuit, vt alium testem esse confirmet. Nam Pater distincta erat persona, & sic sunt duo testes nempe ipse cum Patre. Chrys. hunc alium putat esse Ioannem, quia de Ioanne statim loquitur. Mald. & Patrem & Ioannem & Moysem & omnes Prophetas

phetas intelligi, sed singularem pro plurali poni. *Et scio quia verum est testimonium*, i. ego etiam testificor & illius probo testimonium, vt non ego solus, sed duo simus. vt Io. 8. Vel indicat se non aliorum quidem de se testimonio credi voluturum fuisse nisi certò sciret verum esse. Ita Alcuin.

33. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.*] Q. d. vosmet mihi testimonium accumulastis. Nam misistis ad Ioannem vt eius testimoniũ inquireretis. Ille autem testimonium perhibuit veritati, i respondit veritatem nempe negando se esse Christum, & me eum ipsum esse confitendo: vos iudicatis Ioannem fide dignum, & hic non sua sponte sed rogatus à vobis veritatem dixit. Sic Chrys.

34. *Ego autem testimonium ab homine non accipio, sed hæc dico vt vos salui sitis.*] Ne hoc testimonium putarent esse propter quod dictum erat, *Alius est qui testimonium perhibet de me*, propterea dicit, *Ego autem non accipio testimonium ab homine*; i. non hæc refero quasi velim Ioannis testimonio meam tueri sententiam, non indigeo vllius hominis testimonio. Quòd si hæc de Ioanne dixi id propter vos facio, vt salui sitis, i. vt vestrismet factis meam doctrinam confirmem, & impellam vos ad veritatem cognoscendam & recipiendam, per quam salutem consequamini. Nam quem vos voluntate vestra elegistis vt de Christo testimonium ferret, ille ipse testatus est veritatem, nempe me esse Christum. vt credentes salui sitis. Sicut cũ vox de cœlo intonuisset, *Et clarificaui & iterum clarificabo*, dixit: *Non propter me hæc vox*

venit

venit sed propter vos c. 12. *Ego non accipio testimonium ab homine.* Hoc verbo etiam insinuat tacitè se esse Deum. Ex Chrys.

35. *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.*] Cyr. quia Ioannis testimonium contemptisse videri poterat, ideo nunc cum comparatione lucernæ commendat. Aliter Chrys. ne dicerent, Quid ad nos si ille testimonium perhibuit? id nos non recipimus, recepisse ostendit. Mald. Dixerat se Ioannis testimonio vsum esse non quod ipse indigeret, sed vt illi salui essent, addit eius testimonio, si ei credere voluissent, saluos fieri potuisse. Nam erat ille ardens & clara lucerna quæ Christum salutis viam ostenderet. At illos leues & inconstantes fuisse, qui non nisi ad horam ea lucerna exultauerunt. Lucerna insinuat mandatum seu missum esse Ioannem, quia est instrumentum quo vtimur vt luceat alijs: Lucerna etiam ab alio lumen accipit; sic Ioānes à Christo: Lucerna sole aduenient cessat: sic Ioannes, Christo iam prædicante, suo testimonio finem fecit. Ardens in se quia veritatem sciebat cui erat testimonium perhibiturus. Lucens quia alijs veritatis huius erat fide dignus prædicator. Ardens per cœleste desiderium, lucens per verbum. Greg. illud ad vitam hoc ad doctrinam refert. Ardens & lucens, i. non qualiscumque lucerna erat, sed clara, lucens, illustris, quæ ad commonstrandum salutis auctorem satis illuxit. Et confirmat dicens. *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Nam à principio dignum fide iudicastis, & vt à Deo missũ recepistis: lucebat ergo ille vsque adeo vt illum Christum esse putaretis

taretis, sed ad horam & breui tẽpore id fecistis. Quo verbo Iudæos inconstantiæ arguit, quòd in ea opinione, quã de Ioanne initio conceperant, nõ perseuerauerint: si enim perseuerassent, credidissent eius testimonio de Christo & ad ipsũ Christũ venissent salutis auctorẽ. Ex Chry.

36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.*] Causam refert cur Ioannem in testem non adducat, quia *habeo*, inquit, *maius testimonium*, i. maioris auctoritatis: nam nõ personam personæ sed testimoniũ testimonio comparat. Chrys. coniungit hæc cum superiore versu. q. d. Magnum quidem fuit Ioannis testimonium, erat lucerna ardens & lucens: sed maius testimoniũ opera mea præbent. Si illi de me testificanti nõ credidistis, operibus saltem meis credite. Alij connectũt hæc verba illis, *vos misistis ad Ioannem.* q.d. Vos vti testimonio Ioãnis voluistis: ego autem non produco testimonium hoc: habeo enim testimonium maius humano, & ideo ab homine non accipio.

Opera enim, quæ dedit Pater vt perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.] Declarat quod opera sunt hoc testimonium maius testimonio Ioannis: non quæ vt homo perficiebat: ideo subdit. *Quæ mihi Pater dedit vt ea perficiam*, i. quæ facio vt Deus per potentiam acceptam à Patre. Cuius autem rei hæc opera testimonium perhibent? nimirum me esse à Patre missum. Perficienda dicit loquens vt homo, cui Pater iniunxit, vt ea opera faceret: & simul potentiam dedit per quam faceret, nempe per diuinitatem vnitam illi humanitati. Et ne quis putaret se ea facere tantùm ex delegatione aliqua, adiunxit:

adiunxit: *Opera qua ego facio*, i. non tantùm accepi à Patre opera, sed simul opera hæc ego facio, quia Deus sum. Quæres quis est qui hoc testimonium perhibet? & quis est de quo perhibetur? opera enim sunt ipsum testimonium. Respondet Tolet. Christus ipsemet, vt Deus est, perhibet de se vt homine testimonium per opera quæ facit supra hominem, nempe miracula, quæ sunt opera Dei. q. d. Si nihil appareret in me nisi humanum, esset qui de me testaretur homo. At cum opera per hanc humanitatem faciam, quæ Dei sunt, testimonium reddo me esse Deum, qui in hac lateo humanitate. Et quia hæc quæ facio vt Deus, communia sunt etiam Patri, Pater vnà cum filio reddit testimonium, vt non vnus, sed vt duo sint testimoniũ ferentes; sed de vno nempe filio hominis facto. Quod autem testantur, idest, esse scilicet filium Dei à Patre missum, qui in illa est humanitate, nec merum esse hominem qui apparet, sed simul filium Dei. Ex Hil. 7. de Trinit.

37. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.*] Explicat quis sit hic alius qui testimonium perhibet. *Pater*, inquit, *qui misit me.* hoc testimonium est illud in baptismo redditum Mat. 3. Accumulatur autem hoc Patris testimonium non illo Ioannis, sed testimonio quod ipsemet Christus vt Deus de se reddebat vt homine, per opera diuinitatis. Alij intelligunt de voce illa Patris in trãsfiguratione edita, Mat. 17. vel de lege & Prophetis, inquibus Pater loquens sæpe se missurum testabatur filium. Ita Cyril.

Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem

eiem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis.] Cum Patrem testimonium de eo reddidisse dixisset, arguit eos vt immemores & cõtemptores pacti quod pepigerunt cũ Deo in monte Oreb. Deut. 18. & Ex. 20 & dicit, *vos eius vocem audistis nec speciem eius vidistis*, alludit ad verba quæ tunc populus dixit nempe, *vocem eius nõ audiam, & ignem hunc non videbo.* Sensus ergo est, obtinuistis quæ per Patres vestros olim præ timore petistis: non enim vocem horribilem Patris audistis, neque speciem terribilem eius vidistis; verbum tamen & pactũ eius ad quod vos obligastis non seruatis. Acceptastis quidem pactum eius, nempe vos audituros quem ille miserit Prophetam de gente vestra: at verbum & pactum eius non manet in vobis, quia quod pepigistis implere non vultis. Ecce enim ego sum quem ille misit; & vos non mihi creditis, nec auditis me sicut promisistis. Quibus verbis apertè se esse Messiam significat & diuinam vltionem propter eorum incredulitatem ex Dei pacto tacitè comminatur. Tol. Chrys & Cyril. putant Christum proptẽrea hoc dixisse quia sciebat gloriari solere Iudæos quòd Deum sibi loquentem audissent, quòd Deus cum Moyse locutus est c. 9. Docet ergo eos nunquam veram Dei vocem audiuisse, nec speciem perspexisse, quia Deus spiritualis est: idéóque non debere ea re confidere sed sibi credere. Rupertus verò: Ille cuius nec vocem audistis vmquam nec speciem vidistis, idest verus ille Deus qui nec oculis corporis videri, nec audiri auribus potest, testimonium mihi perhibet. Itaque testimonium habeo maius

quàm

quàm Ioannis. Alij hunc tantùm esse sensum eos non esse familiares Deo, nam familiaritas visu & auditu contrahitur. Mald. verò ita interpretatur: Christus modò dixerat Patrem sibi non verbis sed operibus ipsis atque miraculis testimonium perhibere, quia poterant illi causari id genus testimonij veluti mortuum & mutum esse, velle se expressum Dei ore audire testimonium; dicit expectandum illis aliud testimonium non esse, quod ipsis visus, & auditus afferat Pater. Patrem enim neque audiri neque videri posse: opera eius esse colorem, eius voces quibus videatur, quibus audiatur. Ps. 19. Credant igitur operibus. Hil. l. 9. de Trin. sic: Propterea vocē eius non audistis, nec speciem vidistis, nec verbum eius manet in vobis, quia mihi non creditis. q. d. Si mihi crederetis vocem Patris audiretis, & speciem eius videretis. Qui enim videt me, videt & Patrem, & qui audit me, audit & Patrem. Athan. ser. 4. contra Arianos, verbum refert ad Christum qui est verbum Patris, qui est imago & figura substantiæ eius. q. d. Vocem Dei non audistis, nec formā vidistis, & cum supereesset vobis modus vnus, vt in me, qui sum verbum Patris, crederetis, hunc modum contemnitis & non creditis mihi: propterea Patris cognitionem non habetis, & diuina notitia priuati estis. S. Aug. vocem exponit quando dictum est Io. 17. *Et clarificauī & iterum clarificabo.* At quando hæc loquebatur nondum prolata erat illa vox Patris. Alij ad vocem in baptismo referunt quam isti existentes in Hierusalem, non audierunt. At dicitur, *non audistis vnquam*, quod aduerbium non ad vnam vocem sed ad omnes generaliter

generalitet refertur. Melius Tol. speciem Dei vocari eam in qua apparebat, & vocem verba quæ sentiebantur: vt Exod. 20. & Deut. 18. patet.

39.40. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illa sunt quæ testimonium perhibent de me: Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.*] Testimonio operum, & paterno, accumulat etiam Scripturas sacras. Vos, inquit, scrutamini & inquiritis Scripturas, quia putatis in observatione earum vitam positam æternam, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & tamen vos non vultis venire ad me, vt hanc vitam habeatis. Malitiam eorum arguit significans eos proprio Scripturarum studio convictos esse de veritate Christi: præ malitia tamen nolle eum recipere, nec in ipsum credere: quamuis per Christum hæc æterna vita consequenda esset. Ex hoc loco cõstat Iudæos Scripturas de Christo inquisiuisse; quamuis animo calumniandi & earum lectione conuictos de veritate Christi (non enim habebant quid responderent tot ac tantis testimoniis.) non volebant adhuc obstinati credere in eum, nec ipsum confiteri, etsi scirent in Christo vero & promisso positam hanc vitam æternam quam ex Scripturarum observantia se habere putabant. Hoc significat hoc verbum, *Et non vultis venire ad me*; quasi causa sit voluntatis malitia, non autem quòd Scripturarum testimonia non indicauerint veritatem eis. Per Scripturas, legem & prophetas intelligit. Chrys. *Scrutamini* legit per modum imperandi & exhortandi, vt Christus eos impellat ad studium Scripturarum, quia ipsæ te-

stimonium perhibent de Christo. Alij non per exhortandi, sed per indicandi modum interpretantur. vt Cyr.

41.42 *Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis.*] Idest humanam gloriam nihili facio, humanas laudes propter meipsum non curo, nec eas accepto: vnde quæ dixi. *Non vultis venire ad me*, non quia à vobis laudari cupiam, dixi; sed quia noui vos non habere vitam, quæ est dilectio Dei: & vt hanc acciperetis propter vestram vtilitatem ego hæc locutus sum, non autem propter me. Ego enim hominibus non indigeo, sed propter salutem ipsorum eos quæro, Cyril. Ego claritatem ab hominibus non accipio, sed propterea hæc adduxi testimonia, vt ostenderem vos caritatem Dei non habere: Vel Ego quidem me seruatorem esse mundi, non humanis, quibus non indigeo, sed diuinis probaui testimoniis: scio tamen apud vos ne diuina quidem testimonia valitura, quia dilectionem Dei non habetis, quam si haberetis plus eius testimoniis tribueretis. Ex Chryf. & Alcuin.

43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*] Declarat in quàm absurdos errores labantur ij qui caritatem & Spiritum Dei in se non habent; quippe qui obstinato animo contra veritatem resistunt. 1. Thes. 2. Venire in nomine Patris, non est tantùm missum esse à Patre, sed ita missum, vt testimonia sufficientissima suæ missionis haberet. *Veni, inquit, in nomine Patris, & non accepistis me*: Non quia non ego fecerim omnia ex quibus me à Patre missum

missum cognoscieretis, sed quia noluistis. Ergo vos non habetis dilectionem Patris, nec ex Dei amore facitis quæ facitis. Præterea si alius venerit, vt reuera veniet Antichristus, in nomine suo, non à Deo missus sed à sua propria malitia inductus, illum recipietis. Si autem Dei amor in vobis esset, non deberetis hunc recipere. Si igitur quem misit Deus non recipitis, quem non misit recipitis, non est dilectio Dei in vobis. Alij non de Antichristo solùm sed de omnibus falsis prophetis generaliter interpretantur, qui currebant cùm non mitterentur. Mat. 24. & Act. 8. de Simone Mago.

44. *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab inuicem ascipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?*] In eos inuehitur postquam iam testimonia suæ veritatis narrauit dicens, Quomodo credere potestis qui gloriam propriam quæritis non Dei? non ego sum in causa, qui efficacissima credendi iam adhibui argumenta, sed vos qui ab ambitione vestra, quæ cæcitatis vestræ causa est, nō abstinetis. Sensus est illos plus velle apparere iustos & sapientes hominibus quàm verè & coram Deo esse. Sic Alcuin.

45 *Nolite putare quia accusaturus sum vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses in quo vos speratis.*] Videri volebant Iudæi studio seruandæ legis Moysis aduersari Christo, dixerat eos id non apud Deum, sed apud homines gloriam captantes facere: addit nunc fore vt id in extremo iudicio manifestum futurum sit, vt ille ipse Moyses cuius studio fingebant se Christo aduersari accusaturus eos sit quod ei non

crediderint, quem ipse eis demonstrauerat. Gen. 49. & Deut. 18. Omnes etiam ceremoniæ, omnes ferè historiæ, quas Moyses scripsit, Christum demonstrabant. Illi erant adeo peruerso iudicio vt vmbris crederent, veritati non crederent. Euthym. Etsi id me facere oportebat, minimè tamen faciam, quia clemens sum. Beda verò, ideo non accuso quia non veni damnare, sed saluare. At quomodo accusaturus Moyses? Quia ex ipsius libris in iudicio conuincentur Christo, cui credere debebant, non credidisse. Apoc 20. Moyses ergo hic Scriptura seu lex Moysis vocatur, & dicitur, *in quo vos speratis*, quia putabant se ceremoniarum & legalium mandatorum obseruatione vitam æternam consecuturos. Ro. 3. Gal. 2. Ex Chrys.

46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*] Declarat cur Moyses eos accuset, quia Moysi non habebant fidem: & probat, quia si ei crederetis, mihi etiam crederetis: nam ille de me scripsit. Si igitur mihi non creditis de quo ille scripsit, iam scriptis & verbis eius increduli estis, & hac ratione vox accusat Moyses. Gr. *forsitan* vim habet affirmandi, vtique crederetis, vel more nostro posuit non quia dubitatio sit in Deo. ex Alcuin. Non citat locum, vt ipsi scrutarentur Scripturas, vel vt cogerentur ipsum interrogare vbi de ipso Moyses scripsisset: vel ne augeretur eorum pœna, quia nec credidissent: Vel certum locum non designat, quia vbique Christum promittit, aut venturum significat. Ex Aug. contra Faustum.

47. *Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*] Quem præ Moyse nihili faci

facitis. Moysi & scriptis permanentibus, & antiquis verba noua, quæ transeunt, & se, qui minoris habebatur, opponit. Ex Theoph.

CAPVT VI.

Cibat corpus & animam.

1. *Post hæc abiit Iesus trans mare Galilæa, quod est Tiberiadis.*] Tempus quo hoc gestum fuit, & totius huius historiæ explicationem vide apud Matth. 14. Quando *post hæc*, dicitur quæ in superiori capite facta sunt, non oportet intelligere, quæ in hoc capite narrantur continuò esse facta post languidi sanationem. Nam hæc in Hierusalem facta fuit tempore Paschatis vel Pentecostes. At hoc miraculum prope sequens Pascha: multi ergo menses intercesserunt inter hoc miraculum superius, & hoc, quo tempore multa miracula fecit in Galilæa; & sermonem illum celebrem habuit in monte; duodecim elegit Apostolos; Ioannes occisus est; fama miraculorum ad Herodem peruenit, &c. quæ Matth. Mar. & Luc. diligenter referunt. Conatus ea quæ illi prætermiserant, præcipuè verò verba & sermones Christi recensere. Qua autem occasione abierit silet, quia alij expressêrunt, Mat. 14. Luc. 9. Abiit sæuitiæ Herodis cedens, hominem se in hoc verum demonstrans. Mar. 6. aliam etiam exprimit causam; nempe vt pusillum cum discipulis quiesceret. Cætera vsque ad vers. 14. vide apud Mat.

14. *Illi ergo homines cum vidissent quòd Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est Propheta, qui venturus est in mundũ*] Multa prætermittit Ioannes quæ alij Euangelistæ referunt. 1.Mat. & Mar. dicunt exiisse, idest ex montis secreto ad turbas videndas prodiisse. 2.addunt tactũ esse miserícordiæ affectu. 3.causam Marcus assignat, quia erant velut oues non habentes pastorem. 4.dicit Lucas illum excepisse eos placidè, & humaniter, obuiam processisse. 5.Marcus refert cœpisse eos docere multa. 6.addit Luc.de de regno Dei. 7.Mat.& Luc.addunt ægrotos & qui curatione indigebant sanasse. 8.secundum Mat. & Mar. erat hora tarda, & dies inclinabat, accesseruntque discipuli dicentes: *Dimitte illos, vt euntes in vicos & villas proximas emant cibos sibi, quos manducent.* 9.secundum Mat.& Mar. dicit illis Iesus: *Date illis vos manducare.* 10.secundum Mar. respondent: *Euntes emamus panes ducentis denariis & dabimus eis.* 11.secundum Mat. audito responso Andreæ dixit: *Afferte mihi eos huc.* 12.secundùm Mat.Mar. & Luc. accepit quinque panes & duos pisces, & aspiciens in cœlum benedixit & fregit & dedit discipulis panes; discipuli autem turbis, & manducauerunt omnes & saturati sunt. 13.secundum Lucam, benedixit panibus & piscibus virtutem multiplicationis imprecando & impertiendo, fregit & tali fractione multiplicauit. Hæc autem non sine magno consilio Euangelistæ notarunt: voluerunt enim ea quæ Christus in Eucharistia pane sacratissimo fecit præsignare. Exponit autem Euangelista quis fructus miraculum consecutus sit, quod alij Euangelistæ non dixerant:

homi

homines miraculi magnitudine commotos existimasse eum esse Prophetã illum qui promissus fuerat. Deut. 18. vt denotat articulus Gr. qui venturus erat, quem expectabamus, sic enim Messiam describunt. Prophetam vocant, non à rebus futuris prædicendis cùm nihildum ab eo prædictum scirent, sed Hebræorum more qui omnes viros sanctos & doctos vocabant prophetas. Mat. 11. & 14. At cur tot ante visis miraculis non eum prophetam vocant? Chrys. gulæ hoc tribuit quia pane eos saturauerat, quasi proprium Prophetæ esset homines pane, ac non potiùs verbo Dei pascere, increpare, corripere. Vel auaritiæ potiùs & carnali Iudæorum sensui tribuit, Mald. Adeo in bona temporalia defixi erant, vt nihil supra cogitare viderentur, suúmque Messiam ea potissimùm re definirent, quòd se omnes diuites facturus esset. Ideóque nec eum plusquam Prophetam esse eo viso miraculo cogitant, cùm colligere deberent esse Deum, qui quas ipse fecisset creaturas prout vellet multiplicaret.

15. *Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.*] Cognouit aut ex verbis, vel signo aliquo, vel ex solis quas perspiciebat eorum cogitationibus: vel priusquam id turbæ cogitassent. Sed qui pro hominum salute mori veniebat, regnum visibile huius mundi spreuit. Quid an verus non erat Rex? erat sanè, sed generis alterius quàm illi eum facere volebant. Erat tanquam Deus omnium hominũ, omniũ rerum Rex: volebant illi non vt Deum, sed vt hominem proprium

sibi Regem facere. Præterea vt homo rex erat sed spiritualis. Denique regnum illud ipsum spirituale nondum aduenerat, quotidie vt adueniat rogamus. Illi verò volebant regnandi tempus præuenire: vel etiam repugnantem regem facere. Hoc ille vt deuitaret solus aufugit: non solùm vt præberet exemplum fugiendi, sed etiam ne secessio aliqua Iudæorum atque rebellio aduersùs Romanos ea occasione fieret, quæ Euangelij prædicationem & Redemptionis mysterium impediret. Chrys. Cum dicitur, *fugit iterum*, indicatur ante fugisse vers. 3. Duæ sunt causæ abeundi in montem: vna vt oraret, & hanc Mat. & Mar. narrarunt. Altera ne rex fieret à turbis, quam refert Ioan. Solus autem fugit etiam relictis discipulis, vt omnem à se regni speciem & affectationem remoueret: Poterat enim duodecim Apostolorum comitatus aliquod regni specimen præ se ferre. Vel vt probaret discipulorum in se amorem atque constantiam, quid acturi soli essent. Sic matres solent infantes ad breue tempus relinquere. Causæ orandi contraria non est causa fugiendi, nam & hinc docet magnam esse causam orandi quando est causa fugiendi ait Aug.

16. *Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare, & cùm ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum.*] Ideo hoc Euangelista notat, vt indicet discipulos in eodem loco mansisse vsque ad noctem Christum expectantes, sperantésque fore, vt eundem in locum vnde sese subduxerat ad eos reuerteretur: cùm autem vidissent noctem ingruere, neque venisse eum, conscendisse nauiculam, vt irent

irent in Capharnaum, vbi sciebant eum frequentem esse solere, vt eum ibi quærerent. Priùs, vt ex Mat. & Mar. constat, compulit discipulos intrare in nauim, postea montem solus ascendit. Ioannes verò quod posterius factum est, narrauit priùs per quandam præoccupationē. Et nota nō idem esse, *vt serò factum est*, & id quod Mat. dicit *vespere facto*, & Mar. *cum iam hora multa fieret*. Nam hæc quæ Mat. & Mar. asserunt, antequam miraculum fieret gesta sunt; & significant iam diem inclinasse, quando accesserunt discipuli, & cibatæ sunt turbæ. At conuiuio peracto factum est quod Ioannes refert dicens, *vt sero factum est*. Iam enim erat noctis crepusculum. Tota historia vsque ad vers. 22. explicata est apud Mat. 14.

22. 23. *Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, & quia non introisset eum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent. Alia verò superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locum, vbi manducauerunt panem gratias agentes Deo.*] Recenset quæ turba illa fecit postquam nocte illa transfretauit cum discipulis Capharnaum. Altera ergo die ab illa qua saturati sunt, idest post noctem in qua Christus per mare ambulans ad discipulos peruenit, turba rediit ad locum eundem Christum quærens, existimans ibi Christum inuentum iri: at non inuenerunt, quia ambulans supra aquas erat sequens discipulos, donec ingressus nauim peruenit cum illis Capharnaum. Perpende quam diligenter turbæ vestigia Christi obseruabant: considerabant enim solos discipulos transfretasse, & solum Christum mansisse, & eum nauicula

nulla supereſſet nocte illa, inde coniiciebant Dominũ eo in loco adhuc eſſe: nec enim cogitauerunt de eo quod factũ eſt mirabiliter. Narrat autem Ioannes alias naues ſupervenisſe, ne contrarius videatur ſibi qui nullam eſſe aliam nauiculam cum dixiſſet; poſtea turbam in nauiculas aſcendiſſe narret: nam hæc ad diuerſa tempora ſunt referenda. Quod dicit, *gratias agentes Deo* Gr. habet gratias agente Domino ideſt panes benedicente. ideſt poſtquam gratias egit Dominus. q. d. vbi manducauerant à Chriſto cibati, qui cum egiſſet gratias panes diſtribuit.

24. *Cum ergo vidiſſet turba quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Ieſum.*] Videns turba non adeſſe Dominum, nec diſcipulos, quamuis non inueniſſent modũm quo diſcedere potuiſſet, experientia tamen victi eum non adeſſe, oblata nauis commoditate veniunt Capharnaum, eò enim viderant diſcipulos nauigaſſe, & quia ſæpe illuc ſe recipiebat: facilè autem exiſtimarunt aliquam nauiculam nocte ſuperueniſſe, & in ea transfretaſſe, aut peditem nemine eorum cognoſcente, iter terreſtre confeciſſe. Tol.

25. *Et cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi quando huc veniſti?* Videbant mari nauigando venire non potuiſſe, quia nauim nõ habebat in noctis principio, nec iter terreſtre confeciſſe poterat ipſis ignorantibus, nã multitudine tanta exiſtente, iter neceſſe erat plenum fuiſſe hominibus maxima noctis parte: & forte eò terrâ, niſi longo multorum dierum itinere, venire non potuiſſe videbant. Petunt ergo

ergo mirabundi, *Quando huc venisti?* cùm potiùs debuissent petere, quomodo venisti? vt potentiam eius agnoscerent. At hi adhuc rudes nihil nisi humanum cogitant. Vel non interrogant quo modo venerit, ne quid de eius per mare ambulatione suspicari videatur; sed quãdo venerit vt ex tempore, & ex eius responso colligant quo modo venerit. Nam si tunc venerat, credi poterat aliqua alia naui quam alibi postea inuenisset aduectum esse; sin iam nuper venerat, non poterat nisi miraculo per mare aut per aëra momento breui temporis venisse. Mald. Vide inconstantiam, volebant paulò antè regem eum facere, prophetam agnoscebant, iam refrixerant, & non vt regem faciant quærunt, sed vt iterum manducent, Chrysost. hom. 42. Vide adulationem. q. d. Magister quando venisti huc, nos te perpetuò obseruauimus, te sequi quærimus; miramur ergo quando veneris, cùm difficile sit nobis ignorantibus huc te venisse. Assentabantur vt iterum illis mensa apponeretur, qualis superior. Euthym.

26. *Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.*] Eorum mentem detegit & arguit, vt cibum potiorem animæ præbeat & altiorem ac vtiliorem mensam apponat. Quæritis me, non propter signa & miracula quæ meam potentiam ostendunt, sed propter cibum quia saturati estis & iterũ saturari vultis; si me propter signa quæreretis, tunc vt me cognosceretis & in me crederetis, essetis me secuti: At non propter signa vt me cognoscatis, sed propter cibos venitis, vt ite-

rum saturemini. S. Aug. Non me quæritis propter me, sed propter vos. Quia his verbis occulta cordium eorum reuelabat: vsus est assseuratione, vt ostenderet se non ex coniecturis humanis, sed ex certa scientia eos nosse. *Amen, amen dico vobis*: vt in his etiam verbis suam diuinitatem ostendat. Non respondet ad id quod illi rogabant quando eò veniisset: vel quod indigna responso esset quæstio: vel quod curiosa, vel quod adulatoria. Chrys. Sed ad mentem respondet indicans se esse Deum, & vt eos ad fidem incitaret maiorē. Vtitur autem nō prorsus aspera, sed blanda reprehensione: non ait, O homines gulosos. Sanare eos non perdere volebat. Per panem res omnes ad vitam sustentandam intelligit. Chrys.

27. *Operámini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.*] Alium cibum meliorem & vtiliorem ostendit cibo quem ipsi quærebant: hic enim cibus quamuis miraculosus, tamen peritdum comeditur, & ad vitam hanc mortalem tantum prodest: at cibus est aliūs qui non perit, sed prodest ad vitam æternam, eámque efficit. Operamini ergo hunc cibum, idest, studium & curam impendite huic cibo acquirendo, qui non corrumpitur, vt ille, sed in æternam manet vitam. Non negat curam habendam pro cibo corporali, sed non hanc solam, non præcipuam nec æqualem esse debere curam, sed eam quæ pro cibo est spirituali quod turbæ istæ nos faciebant. Heb. *Non.* idest non solùm vt 1. Reg. 10. Io. 12. *Operamini cibum*, non significat, facite cibum: sed laborate huic cibo acquirendo. nam dicit: *Quem filius hominis dabit*;

dabit vobis, vt aliud sit opus quod ipsi debent adhibere, aliud quod cibus ipse. Ne errarent putantes se posse hunc cibum conficere, dicit, *Ego dabo*. Suam in hoc declarat diuinitatem, quam si Deus non esset, cibum æternæ vitæ dare non posset. Et cum ait, *Filius hominis*, significat se suam carnem, secundùm quam erat filius hominis, daturum in cibum, qui in vitam æternã permanet: non quòd sæpe nõ pereat, sed quod causa sit vitæ æternæ. Præterea bona opera quę & ipsa hic cibum permanentem in vitam æternam dicimus, transeunt actu, manent fructu, manent effectu. Messaliani qui Euchetæ, ideſt, precatores dicti sunt, abusi sunt hoc loco dicentes Christianis non licere manibus operari sed orationi, ideſt, cibo spirituali, insistendum, quos refellunt Chryso. & Leontius ex Paulo 1. Thes. 3. 1. Cor. 4. Eph. 4. 1 Thes. 4.

Hunc enim Pater signauit Deus.] Reddit causam cur non solum filius hominis (se enim hoc nomine appellat) cibum hunc dare possit, paratúsque sit dare, sed etiam cur caro sua, secundùm quam erat filius hominis, cibus possit esse vitæ æternæ; ea autem est, quia Pater hunc signauit Deus, ideſt huic homini Pater velut sigillo diuinitatem impressit, & vniuit. Propterea adiecit Euangelista vltimo loco, *Deus*, vt sigillum hoc esse Patris diuinitatem, quæ in filio est, & humanitati vnita est significaret; q. d. Pater signauit diuinitate sua. Non mirum ergo si hic homo cibum dare vitæ æternæ, & simul cibus vitæ æternæ esse potest: nam simul est Deus, & vnitam habet diuinitatem humanitati: vt dicitur Act 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto*. Dicitur *hunc*, Pater signauit eum: hæc vnctio,

vnctio & sigillatio est diuinitatis, vnio & coniunctio illi humanitati facta, per quam ille homo Christus est cibus efficax vitæ æternæ: quia per hanc homo ille sigillatus dicitur, cum sit homo & Deus. Et est causa optima, cur dare possit cibum vitæ æternæ, quod Dei proprium est: & cur caro illa sigillata diuinitate, sit etiam cibus vitæ æternæ. Solet pani sigillum apponi vt appareat à quo sit factus. Vocauerat autem se Christus cibum, ideſt, panem: dicit ergo se panem esse sigillo à Patre obsignatum, ideſt, panem non terrenum sed cœlestem, non ab hominibus sed à Deo factum. Aug. & Beda signatum à Patre filium interpretantur, ideſt à cæteris hominibus segregatum. Alij clausum, & absconditum Alij, hoc signum in illo posuit quo vos cognosceretis illum esse regem vestrum, quòd vobis hunc panem daret. Alij quamuis homo sit id Patris auctoritate facturum, quia solemus litteris sigillo impresso auctoritatem & fidem adhibere: hanc dedit Pater efficiendo vt homo ille simul Deus esset.

28. *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei?*] *Quid facere debemus.* Gr. quid facere poterimus? Quæ sunt ista opera quibus cibum hunc consequemur? Et nota eos appellasse opera Dei, vt significarent se interrogare de operibus hisce quæ ad cibum hunc habendum necessaria sunt. Cùm enim audissent cibum esse vitæ æternæ & Deum signasse Christum, vt cibum hunc daret, rectè opera Dei appellant ea quæ oportebat operari cibo huic acquirendo. Et merito à Christo discere quærunt, opera huius cibi, quem eiusdem cibi dato

datorem audierant, nec negarunt dare posse quem modo tam mirabili virtute dedisse cibũ corporalem experti erant: nec se consecuturos desperant ab eo quem iam erga seipsos liberalissimum senserant. Solum opera hæc scire volunt Deo grata, seu quæ Deus ab homine exigit: non tamen quæ præcepta essent; ea enim se non putabant ignorare. Hoc cùm dicunt, diuini honoris studiosi videri volunt, & vt ad cibi exhibitionem inducant, ex Chrysostomo.

29. *Respõdit Iesus: Hoc est opus Dei vt credatis in eum quẽ misit ille.*] De se loquitur in tertia persona: nec opera legis postulat sed fidẽ, quæ est primũ fundamentũ Euangelij, qua à lege illa distinguitur. His verbis non solùm docet, quod opus Dei sit, sed simul etiam explicat rationem efficacẽ, vt fiat opus: credere enim in eum qui à Deo missus est, significat credere Christum esse verum Messiam, & filium Dei missum in salutem mundi. Turbæ enim etiam in ea significatione intelligebant verba Christi petentis vt credereut in eum tanquam Messiã, & filium Dei. Est autem hoc opus necessarium, vt cibũ carnis suæ accipiãt quicumque accepturi sunt. Et colligitur opus à cibo distingui: nam turba audiuit duo, nempe cibum vitæ æternæ, & opus ab eis exhibendum vt cibo fruerentur: opus hoc scire petunt, vt cibum accipiant, quod Dominus docet, dicens esse fidẽ in eum: supereſt ergo cibus distinctus à fide in eum credentibus ministrandus: hic verò non est alius, nisi caro deifera ipsius in sacramento ministranda, nec fidem cibum esse; nec Christum fide creditum. Nam fides in Christum opus reputatur,

reputatur, post quod cibus vitæ succedit. Ex Tol Ex hoc loco malè colligunt hæretici nos sola fide iustificari. Verum quidē est nos iustificari fide, & ex Mat. 19. 17. nos iustificari operibus. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*: ex vtriusque ergo collatione, & fide nos & operibus iustificari. Et hic fidem appellat totam legem Euangelicam quæ fidem & charitatem amplectitur. Nam credere in eum est credendo amare ex Aug.

30. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signū vt videamus & credamus tibi?*] Sensus est, si tibi credere debemus, ergo fac signū vt videamus, & videntes credamus tibi. *Quod tu facis signum*, q d. Hactenus nullum fecisti. Duo his verbis significantur ratione illationis, negant signum hactenus factum, non quod non fecisset iam, sed negant sufficere ad tantam fidem concipiendam, vt credant eum esse Messiam & filium Dei. Ratione illius illationis inducunt vt faciat signum si credi sibi velit. S. Aug. putat eos manna de cœlo postulare. Alij an semper posset & vellet ex quinque panibus quinque hominum millia saturare: sperantes fore vt semper sibi Christus cibum suppediteret. propter ventris tyrannidem ait Chry.

31. *Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.*] Prosequuntur signum tantæ fidei dignum non esse datum à Christo. Et interrogatio hæc, *quid operaris?* est parui facientium signum Christi. q.d. opus tuum quod fecisti non est tanti momenti vt tantam fidem postules. Nam maius opus tuo. quod nobiscum fecisti, acceperunt nostri

stri patres in deserto, & tamen Moyses non tantam fidem poposcit, nec patres nostri crediderunt in eum vt tu postulas à nobis. Vel indicant se Moysi quidem meritò non temere credere: populum enim ingentem annos 40. non serentem, non metentem aluisse: eadem se facilitate credituros in ipsum, si aut idem aut simile faciat. Sic terrena cogitant & carnalia.

32. *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*] Quia illi cibum Moysi præposuerant extollentes, quòd de cœlo esset, propterea hoc Dominus negat, dicens non dedisse Mosem panem de cœlo. Moses, inquit, non dedit vobis panem de cœlo. Nam ille cibus de cœlo dictus est, quia de regione aëris seu de nubibus descendebat, sicut dicuntur volucres cœli: non tamen quod de cœlo ipso, vbi Deus habitare dicitur, descenderit: Non igitur Moses dedit vobis panem de cœlo, vt putatis. Depresso facto Mosis, suum opus extollit: Pater meus, inquit, non sic, sed dat vobis panem verum de cœlo: dat panem verum, & de cœlo ipso, vbi Deus habitat. Maius igitur est opus quod faciam quàm quod Moses fecit. Non dixit, ego do vobis, sed Pater meus vt se in hoc filium Dei ostenderet æqualem Patri. Nam cùm dicit, *Pater meus dat*, non excludit se à dando. Rursus dicit, *dat vobis*, quia paratus erat dare, & iam daturus: vel dare est mittere: quod non de se sed de Patre potuit dicere. Dicit, *Panem de cœlo verum*, idest verè cœlestem, quia non de aëre, sed de ipso cœlo. Est autem Christus

ipse

ipse qui panis iste est de cœlo, vt dicitur Io. 3. *Verum*, non figuram ipsam, qualis erat Manna. Vel q. d. verè panem, verè cœlestem. Illeros, hic Deus & homo. Vide quo modo spe cibi, & tanti panis eos allicit. Ex Theoph.

33. *Panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.*] Ex effectu probat panem esse de cœlo verè, seu cœlestem, & diuinum, quia hic panis de cœlo descendit & dat vitam mundo. Gr. panis Dei, i. verè cœlestis non elementaris, quia de cœlo descendit, vnde nihil falsum potest descendere: & quia vitam dat mundo non Iudæis tantum, vt manna, sed mundo, i. omnibus hominibus, quantum in se est. Et dat vitam, non vt manna, quod nemini dedit vitam, sed erat cibus iam viuentium. At panis hic vitam dat: de cœlo descendit, Manna non descendit sed mittebatur: hic panis descendit ipse. In quo diuinitas insinuatur. Tria ergo habet super Manna, & quòd verè cœlestis, & quòd descenderit de cœlo, & quòd dat vitam eamque æternam, non Iudæis solum sed orbi terrarum. Ex Chrys.

34. *Dixerunt ergo ad eum: Domine semper da nobis panem hunc.*] Tanti panis spe allecti fidem concipiunt, & sibi hunc dari petunt panem: non vt semel sed vt semper eum habeant. Quando dictum est *Pater dat vobis*, intellexerant Patrem dare per ipsum Christum medium: propterea ipsum rogant vt panem hunc donet, & cum articulo, illum panem, illum de cœlo verum. Appellant Dominum, vt sic addandum inducant. Aug. da panem qui reficiat & non deficiat, sic Samaritana. *Domine da mihi hanc aquam.* Fides aliqua in his Iudæis erat:

credi derunt

crediderunt enim hunc dare Christum posse: tamen imperfecta erat, nondum enim spiritualia capiebant, sed de cibo corporali cogitabant existimantes aliquem cibum futurum quo vitam corporum sustentarent multò perfectiorem quàm fuit illud Manna: propterea dicunt, *Semper da*: non enim vnicum & eundem panem omnem famem ablaturum putabant, sed frequenter sicut Manna multiplicandum. Tol. Alij dicunt intelligentes quid diceret, quod maioris fuit culpæ; non credidisse, irridentesque respondisse, *Semper da nobis panem hunc*. Eadem irrisione qua Samaritanam, q. d. nec vllus eiusmodi panis est, nec si esset dare tu posses. vt supra c. 4.

35. *Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum.*] Hunc panem petentibus ostendit, & modum habendi docet, simulque volentibus offert. Ego, inquit, sum panis vitæ: panem agnoscite. *Qui venit ad me*, & *Qui credit in me non esuriet, non sitiet*: modum habetis consequendi & habendi panem, nempe si ad me veniatis: si in me credatis. Simul etiam *qui ad me venit*, i. qui credit, habet panem hunc; nemini denegatur si crediderit: paratus enim sum meipsum dare in escam & potum omni ad me venienti, & credenti. *Panis vitæ* dicitur, non solum quia viuificat & dat vitam, & hanc æternam, sed etiam quia vitam habet in se: est enim panis viuens & viuificans. Attende huius panis perfectionem: potus namque & esca simul est. *In æternum*, i. Ita est panis vitæ æternæ vt tollat omnem famem & sitim, non vt cibus corporis, qui vitam mortalem sustentat

sustentat quidem aliquo tempore, sed non tollit famem & sitim: nam qui semel comedit & bibit, iterum esurit & sitit. At panis hic vitam æternam dat, & omnem simul famem & sitim tollit in æternum. Et hoc dixit vt responderet illorum verbo, *Semper da nobis.* Duo ponit, vt hunc panem accipere valeant, nempe vt veniant ad eum, & vt credant in eum Per aduentum confessionem exteriorem intelligit, ad quam opera referuntur: per fidem autem interiorem mentis assensum & affectum, Rom. 10. Notandum nō in hac vita verbum hoc impleri, *Non esuriet neque sitiet*, sed in æterna vita: quam panis hic Christi dat & efficit. Ex Aug.

36. *Sed dixi vobis: quia & vidistis me, & non creditis.*] Si quæras quando id dixerit illis, dici potest dixisse quidem illum ipsis aliquando etsi scriptum non sit, & Ioannem breuitatis studiosum non retulisse prius hæc verba quæ repetenda erant à Christo, satisque erat illi repetitionem narrare: vt Io. 11. *Magister adest & vocat*, cùm non dicatur alibi quod vocauerit. & infrà, *Nonne dixi tibi: si credideris videbis gloriam Dei*: Cùm tamen Euangelista nō referat Dominum id priùs dixisse. Ita nunc factum est. Tol. Aut tunc dixit illis cum diceret: *Quæritis me non quia vidistis signa.* Hoc enim erat dicere, vidistis me & non credidistis. Sensus est, Petitis à me dare vobis panem vitæ qui è cœlo descenderit, hunc iam præsentem quisque credendo accipere potest: sed iam non accipitis, quia vt iam aliàs dixi vidistis me & non creditis. Videre est eam Christi notitiam habere quæ ad credendum in illum satis

satis esset. Ex Iansen.

37. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me non eiciam foras.*] Fidei causam in altius reuocat principium supra signa, & supra verba exteriora; nempe virtutem & operam Patris. Quos ergo tanti cibi promissione non adduxit, terrore & minis attrahere studet, ostendendo eos omnes venturos ad se & credituros, quos Pater ei dedit prædestinando. Qui ergo non venerint nec crediderint, non sunt ei a Patre dati; nec enim quisquam à Patre dabitur qui non venturus sit. Dixit, non omnis, sed *omne*, vt maiorem denotet vniuersalitatem. *Omne* siue masculus, siue fœmina, siue diues, siue pauper, Iudæus, Gentilis, &c. Insinuat etiam fidem qua venitur esse donum Dei, indicat etiam multos credituros in Christum. q. d. Quamuis vos non credetis, scitote innumeros, ad me venturos. Annotat Gentium conuersionem, & Iudæorum iacturam in fide, quòd Patris resisterent voluntati. Dari à Patre est docibilem esse Dei, i. sinere se ab eo doceri. Cum dicit, *& eum qui venit ad me non eiciam foras.* conformem suam Patri voluntatem ait. Pater mihi dat eos qui ad me veniunt, nemóque horum deerit. Ego etiam singulos venientes non eijciam foras, i. accipio in meam gratiam, salutem eis confero. Loquitur in singulari, vt nec vnum ex ijs qui veniunt se excludere significet. *Foras* damnationem significat, vt Mat. 13. & 25. Ex Chrys. & Aug.

38. *Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius qui misit me.*] Rationem reddit cur missos a Patre venientes

nientes ad se non sit iecturus, *quia*, inquit, *descendi de cœlo* vt voluntatem Patris faciam. Cum igitur voluntas Patris sit vt venientes ad me recipiam & foras non eijciam, hoc faciam. Cum dicit, *non vt faciam voluntatem meam descendi*, loquitur vt homo: nec hoc dicit quasi contrariam voluntatem habeat vt homo, à voluntate Patris, est enim conformis, & vult quæcumque Pater vult, sed tali vtitur verbo, quia prior est voluntas Patris & causa cur ipse velit. In quo Christus ad diuinam voluntatem, & beneplacitum refert hominum salutem, tanquam ad supremam causam. Ex Hil. 3. de Trinit.

39. *Hæc est enim voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.*] Dixerat se descendisse vt voluntatem Patris faceret, modò quæ ea sit exponit. Hæc autem est vt neminem ex ijs quos mihi dedit perdam, neminem foras eijciam eorum qui veniunt ad me, sed in die nouissimo resuscitem eos, scilicet, ad gloriam. Quanti enim sit momenti ad eum venire, & ab ipso non eiici, istis & sequentibus explicat. Gr. legunt, *Hæc est autem:* & est explicatio voluntatis paternæ, si legas, *Hæc est enim.* causa est cur non sit foras eiiciendus, qui venit ad Christum. Perdere est non admittere, non iuuare, non facere quod in se est, vt illi qui sibi à Patre dati sunt, non pereant. Nec enim perdere Christus dicitur quia propriè perdit, sed quia non iuuat: & quia omnes quantum in se est adiuuat, neminem perdit. Sed loquitur tantum de ijs qui sibi dantur à Patre, quia qui non dantur iam perditi sunt:

& loquitur congruenter naturæ filij, cuius officium est conseruare quod sibi commissum est à Patre, nihil de paterna hereditate minuere. Ex Aug.

40. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*] Explicatio est & repetitio prioris sententiæ, differens ab illa in hoc quòd in illa explicatur voluntas Patris respectu datorum à Patre, in hac verò respectu venientium ad Christum, i. credentium in illum. Ex Iansen. *Videt*, oculis corporis vel mentis.

41. *Murmurabãt ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.*] Non coniunctim hæc sic dixerat Christus, sed Iudæi sensum considerantes & vtrumque copulantes, murmurarunt contra verba Christi, ac si dixisset: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.* frustrati spe cibi carnis quem expectabant. Ex Chrys.

42. *Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph cuius nos nouimus patrem & matrem?*] Dubitant quo modo de cœlo descenderit, dum patrem & matrem in terris habeat. Sed culpa non carent, si enim filius est Ioseph; quo modo tantã multitudinem saturare potuit quinque panibus? tot infirmos curare? Aliud igitur latebat sub humanitate, quod non videbant; nimirum diuinitas cuius est sanare ægrotos, vitæ mortuos restituere. Ex Aug.

44. *Respondit ergo Iesus, & dixit illis: Nolite murmurare in inuicem, nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.*] Veritatem dictorum

dictorum suorum confirmat, & eorum murmurationes arguit, & est sēsus. Nolite murmurare quasi rem falsam dixerim, si enim non capitis verba hęc, non ideo vera non sunt. Nemo enim mihi credit, nemo verba mea capit nisi qui à Patre tractus est, qui ab eo illustratus est. Vos autem, culpa vestra tamen, hoc non habetis. Insinuat eos potiùs debere lumen petere quàm murmurare. Venire est credere. Ex hoc loco Manichęi, & nunc Lutherani, & Caluinistæ, malè concludunt nullum relinqui liberum arbitrium. Nam trahere non semper cogi significat, sed duci, inuitari, imò cum voluptate allici, *trahit sua quemque voluptas.* Sic Cant. 1. Osee 11. Vtitur autem scriptura hoc verbo vt efficaciam diuinæ vocationis explicet, & necessitatem, non quæ absolute imponatur ijs qui à Patre trahuntur, sed quæ ex hypothesi inferatur. Pater trahit necessariò homines ad filium hoc sensu, quia quisquis nouit Patrem, & in eum credit, necessario ad filium venit. Hunc autem trahi, illum non trahi, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit. ex Tol. Si non traheris, ora vt traharis, ait Aug.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.] Veritatem dictorum confirmat. q. d. Nolite murmurare tum quia vos non habetis lumen diuinum à Patre sine quo ad me venire & meam doctrinam capere non potestis: tum quia ego sum qui credentes in me suscitabo in die nouissimo: qui autem talem potestatem habet profectò non est de terra, & filius hominis tantum, sed simul etiam de cœlo descendit. Rursus si suscitaturus sum credentes in me, vitæ panis sum:

sum: non enim suscitat mortuos nisi qui vitam dare potest æternam. Sicque terret, & allicit & æqualem se Patri ostendit, cum dicit, *suscitabo*, quod non est minoris potestatis quàm trahere, sed eiusdem. Ex Aug.

45. *Est scriptum in prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.*] Confirmat neminem venire ad se nisi tractum à Patre, quia prædictum est futurum tempus in quo Deus docturus esset, & illuminaturus homines. Isa. 54. & Hier. 31. Ezec. 11. 18. Ioel. 2. Heb. discipulos Domini: idest doctos Dei; eruditos à Deo: quod in fide reuelata per Christum impletum est. Docentur omnes à Deo quantum in ipso est: sicut illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et hæc est natura legis gratiæ vt in corde potius quàm in charta consistat, & à Spiritu sancto potiùs quàm ab vllo alio magistro imprimatur animis S. Aug. Non quòd omnes doceantur, sed quia ex omni hominum genere aliqui doceantur. Sed si sententia est restringenda, ad eos restringenda qui sunt in Ecclesia, qui ad scholam Dei venire volunt: qui extra sunt aut vocem Dei non audiunt, aut nõ intelligunt. Mat. 13. vel omnes docet venire ad Christum non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit ait Aug.

Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.] Cum dixerit neminem venire ad Christũ nisi à Patre tractum, & citauerit prophetiam fore vt homines docerentur à Deo, infert, Omnis talis qui doctus fuerit à Patre venit ad me. q.d. Hæc prophetia de his dicta est qui ad me venturi sunt, & in me crediturí: nemo igitur venit ad me nisi doctus à Patre: doceri enim

est audire & discere. Audit is qui per reuelationem mysteria fidei apprehendit: discit, qui his assensum præbet. Non semper omnis qui audit discit, sed omnis qui discit audit; qui verò audiuit & didicit, edoctus est à Patre: & hic venit credendo, non enim aliud est audire & discere quàm credere. Credere autem in Christum, est venire ad eum. Ex Aug.

46. *Non quia Patrem vidit quisquam. Qui est à Deo hic vidit Patrem.*] Ideſt ego solus qui à Patre natus sum, aut ab eo sum missus in mũdum vidi eum. Significare ergo voluit Dominus eos qui à Patre audiunt & discunt, arcana quadam ratione ab eo doceri: nempe per afflatum Spiritus sui, quamuis non sine medio sensibili vocis eius qui est à Deo, aut eorum quos ille instruxit. Iansen.

47. *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me habet vitam æternam*] Duobus argumentis murmurationes eorum confutauit: priore obiecit eis defectũ luminis, & doctrinæ paternæ ipsorũ culpa, sine quibus nemo venit ad Christum: altero se esse qui susciabit in die nouissimo. Crescentes, edocuit, quod non fieret nisi vitæ paniesset. Primum horum explicuit & confirmauit prophetiæ testimonio, & eius declaratione. Nũc secundum confirmat, *Ego resuscitabo eũ in nouissimo die.* & dicit: *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.*] Assertione vtitur geminata loco argumẽti; cuius enim tot ac tanta viderant signa debuit profectò eius verbum tanta assertione prolatum, magnum eis esse veritatis argumentum. Repetit autem sæpe hanc sententiam, se scilicet esse panem vitæ, & credentes in eum habere vitam

æter

æternam, vt vel ipsa frequens repetitio eos moueat ad fidem : vt & factis & dictis & ipsa dictorum repetitione tantam confirmet veritatem. Habere dicitur, quia ius ad rem habet. Nam fides viua fideli est velut pignus, & ius quoddam ad vitam æternam. Ex Aug.

48. *Ego sum panis vitæ.*] Reddit rationem cur credentes in eum habeant vitam æternam, quia, inquit, ego sum panis vitæ, qui credentibus in me, panem vitæ, qui sum ego, ministro eosque meipso cibo. Panis vitæ dicitur non solum quia viuit in se, quod nullus alius cibus habet, sed quia causa est vitæ, & panis est viuificans. Christus enim modò dicitur panis viuus, modò panis vitæ: viuus quia in se vitam habet; vita quia alios viuere facit, & quia vitam nostram continet, & hanc & futuram, ait Chrys.

49. 50. *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt; hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.*] Declarat cuius & qualis vitæ panis sit, eum præferens Mannæ, quod non dedit vitam immortalem, nam mortui sunt quotquot in deserto manducauerunt. At qui panem Christi manducauerit non morietur. Dicit, *Patres vestri*, non quòd non descenderit ab eis secundùm carnem, tamen quia secundùm diuinitatem suam tunc loquebatur, ab eis se separat dicens, *Patres vestri*. q. d. Ego alium Patrem habeo, qui ipse Deus est patrum vestrorum. Et est cum articulo, Ego sum panis ille. Dices qui manducant panem Christi etiam moriuntur sicut & illi qui Manna manducauerunt. Est tamen differentia, quòd Manna à morte non

liberat, quia mortui sunt illi nec virtute Mannæ suscitabuntur. At qui manducant panem Christi liberantur à morte, quia etiamsi moriantur manducantes, virtute eius panis suscitabuntur ad æternam & beatam vitam. Cyr. l. 4. cap. 10. Dicit illud Manna nullam dedisse perpetuæ vitæ virtutem. At panis hic Christi æternæ vitæ relinquit in manducante virtutem, vt quamuis moriatur, virtute tamen Christi manducati, & in eo per gratiam & spiritum manentem, suscitandus sit in æternam vitam. Præterea Manna corporibus quidem, & ad certum tempus vitam dabat: At hic panis vitam æternam etiam animis confert. Ex Aug.

51. *Ego sũ panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.*] Cõfirmat se esse hunc panem, & probat, inquit Tol. quod dictum est, panem hunc datum esse, vt qui manducat non moriatur. Causa autem hæc est quia *Ego sum panis viuus*, vitam habens in me: non ergo mirum si viuere facio manducantes me. Secundò sum viuus panis non quocumque modo, sed qui descendi de cœlo, idest viuo vita cœlesti & diuina, quæ æterna est. Si ergo panis sum, manducantem pasco, si viuus sum vitam præsto, si viuo vitam immortalem & æternam ac cœlestem, viuere facio alios simili vita, & ideo si quis manducat hunc panem viuet in æternum. Rectè ergo dictum est si quis ex ipso manducet non moriatur, intellige in æternum. Descendit de cœlo & Manna, sed vmbra erat, iste veritas ait Aug.

Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.] Superiùs frequenter se panem esse docuit

cuit; modò carnem suam hunc panem quem se daturum promittit, esse clariùs aperit. Et in hoc passionem suam pro mundi salute futuram prædicit. Et sensus est, Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego daturus sum pro vita, & mundi salute; illud enim, *pro mundi vita*, coniungitur cum carne; ideſt caro quæ pro mundi vita in mortem danda est, hæc ipsa panis est, quem ego dabo. Hunc sensum confirmant Græci codices vt notat Tol. & Rossensis doctè contra Oecolamp. qui bis legunt, *dabo: Panis quem ego dabo caro mea est, quem ego dabo pro mundi vita*: l. 4. c. 12. Per prius enim *dabo* significari institutionem corporis Dominici in Sacramento factam in vltima cœna: per secundum traditionem corporis Domini in cruce pro salute nostra. Et hic quidem dicit *dabo* per futurum, cum priùs dictum sit, per præsens, *Pater meus dat vobis panem verum*, quòd hic sit promissio instituendi in futurum. Chrys. tamen Ho. 45. & Aug. legunt vt nos habemus. Idem tamen est sensus. Non sine magno mysterio passionis suæ meminit, hunc promittēs panem, non enim caro eius in cibum, & panem datur nisi post suam mortem & passionem, & vt memoria quædam passionis eius; quamuis paulò ante passionem Sacramentum hoc instituerit. Et attende *dabo* quia significat dare ad manducandum: quorsum enim panis datur nisi vt edatur? Et quia spōte mortuus est, oblatus quia voluit. Rursus si caro hæc panis est, iam non de fide sola, verba possum intelligere: nam fides in totum Christum est, totus Christus manducatur fide. Quæ est ista manducatio carnis & corporis nisi ea quæ realiter caro

eius in Sacramento sumitur, quod carnem sola ex vi Sacramenti continet? Tol. Hoc enim interest inter sumptionem Christi per Sacramentum, & extra Sacramentum, quòd in Sacramento sub specie panis solum Christi corpus per se sumitur, Christus autem totus propter corpus: extra Sacramentum autem per se sumitur totus Christus; corpus autem Christi propter Christum. Cùm enim fide Christum apprehendimus, non figimus fidem primum in corpore, sed in Christum, deinde in singulas eius partes: vt cum visu à longè hominem cognoscimus, deinde totum hominem, pòst singulas partes cognoscimus.

52. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quo modo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*] Iudæi intellexerant verbum Christi de reali carnis suæ manducatione loquentis, sed carnalem eam arbitrati, sicut & communis ciborum, inter se altercantur & contendũt quomodo fieri possit vt caro Christi sit cibus hominum futura, aliis negantibus, aliis forsan miraculo præcedenti permotis affirmantibus, vtrisque tamen rei mysterium ignorantibus & non credentibus. Quærunt igitur quo modo id fieri possit, aut potiùs quo modo id Christus possit facere, homo cùm sit, & vt videbatur abiectus. Forrasse non recordantur quinque panum. *Quomodo*, vox incredulitatis, & contemptus. Stultum est proprio ingenio diuinam mensurare potentiam. *Ergo*, indicat causam altercationis quòd diceret se carnem suam daturum ad manducandum. Antea non sunt altercati quando dixerat se esse panem vitæ, eis dãdum, quia nondum sensum

perce

perceperant, nempe realem ribum Christi corpus futurum: hæc enim verba sunt magis expressa. Quomodo ad manducandum dare potest? Nam in alios vsus ad spectandum, ad tangendum, ad conseruandum dare posset, & ad manducandum etiam vnam aliquam partem, aut totam etiam carnem suam, sed paucis hominibus dare posse intelligebant, toti vero mundo, ideſt vniuersis hominibus quomodo dare posset non intelligebant. q. d. Scimus id fine miraculo fieri non posse, scimus hunc miracula facere solere: vidimus quinque millia hominum frangendo & distribuendo multiplicasse, carnem autem suam quo modo, quo miraculo multiplicabit? quomodo efficiet vt eam omnibus tradat, & habere ipse non desinat? Cyp. & Aug. in eo versari putant dubitationem quòd absurdum ac nefarium putarent humanis vesci carnibus.

53. *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*] Particula *Ergo* causam indicat cur sic respondit Dominus. illi dicebant, *quomodo potest carnem suam dare hic ad manducandum*? Nec id fieri posse credebant. Ideo Dominus sententiam eandem confirmat terrorem incutiendo, q. d. Vobis dixi carnem meam me daturum in panem, & non creditis; ego dico vobis iterum & augeo sententiam, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, vos non habituros in vobis vitam: perpendite quàtum vobis ista vestra incredulitas noceat: vos enim priuabit vita æterna, nisi fidem præbueritis meis dictis, & cibum hunc manduca-

neritis. Consonat illud verbum, *Non habebitis vitam in vobis*, illi, *pro seculi vita*. Non igitur Dominus realem cibum corpus suum futurum esse negat; sed necessarium ad vitam æternam consequendam esse docet, quamuis modum mirabilem manducandi illis incapacibus & rudibus non explicet. Simili locutione vsus est cum Nicodemo, Io. 3. Quærit à nobis Dominus fidem mysteriorum non scientiam & intelligentiam: propterea nunc modum non explicat sed rem comminatione confirmat, vt timore ad fidem pertrahat. Dicamus contra Hæreticos, & Catholicos quosdam incautos hac in parte: Si de Sacramento Eucharistiæ Christus agere voluisset, & illud omnino depingere quibus clarioribus verbis vti potuisset? Si ageretur hic de mãducatione per fidem vt volunt, manducatio per fidem esset omnibus necessaria: At non omnibus est necessaria, non enim infantibus. Igitur de manducatione per fidem non agitur. Præterea si de manducatione per fidem agitur, ergo qui totum Christum fide apprehendit non satisfacit, nec saluus erit nisi sigillatim carnem & sanguinem eius apprehendat, quod nemo bene sanus dixerit. Si ergo in manducatione per fidem hoc non sequitur, cur in manducatione Sacramentali sequi volunt, vt sub vtraque sumatur specie? Et hoc refellit vtrosque aduersarios, & eos qui negant agi de Sacramento, & eos qui concedentes agi de Sacramento vt Vviclef, & Husium, concludunt vtramque speciem esse necessariam. Mald. & Tol. vide.

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuſci*

resuscitabo eum in nouissimo die.] Post negantem nunc affirmantem sententiam adiicit, vt beneficij tanti spe alliciat ad fidem. q.d. Non solùm prodest caro & sanguis Christi sumentibus ne pereant, sed simul vt vitam consequantur æternam. Vel vers. præcedenti. docuit solos eos qui manducarent, vitâ habituros: hic docet omnes qui manducauerunt habituros. Causam adiungit, quia *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Illa particula *&* vim causalem habet. Vitam ergo æternam Christum suscipientes habent, quia quamuis moriantur ad tempus, ipse eos in nouissimo ad vitam æternam suscitabit.

55. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*] Hac sententia quæ cum sequenti est connexa causam reddit cur, qui manducat & bibit carnem & sanguinem eius, habet vitam æternam ab eodem Christo suscitandus. q.d. Dixi manducandam carnem, quia caro mea verè est cibus: dixi bibendum meum sanguinem, quia sanguis meus verè est potus. Hoc non aliud significat quàm carnem & sanguinem adaptanda diuina potentia esse, vt sint cibus & potus, quod factum est quando in nocte cœnæ Sacramentum mirabile instituit, in quo carnem propriam sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini constituit, vt realiter manducari & bibi possit, & ore sumpta cibus animarum fiant. Dixit autem, *Verè est cibus, verè est potus,* quia non parabolicè nec ænigmaticè, sed verè & realiter caro & sanguis Christi manducatur & bibitur. Rursus eadem de causa nō dicit, Ego sum cibus, sed distinctè caro mea cibus est, sanguis meus potus est, vt in hoc futuram suam passionem & mortem in-

sinuet, in qua sanguis erat à carne separandus: cuius passionis cibus hic & potus futurum erat memoriale, viuum & admirandum. Si de spirituali tantum manducatione sermo esset, non erat cur ipsa verba ita distinctè, & affirmata proferrentur. Illud enim geminatum veritatis aduerbium *verè*, tropũ & metaphoram excludit. Amb. l. 6. de Sacram. c. 1. Cyr. l. 4. c. 16. veritatem hanc contra figuram exponit vt non sit sicut manna: & quia verè animas nutrit & vitam æternam illis præbet.

56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*] Iterum, ait Tol. explicat Christus quomodo, qui manducat suam carnem, bibítque ipsius sanguinem, habeat vitam æternam; quia nimirum ipsum habet Christum qui vitam æternam secum affert, atque adeo ipsa vita æterna est. Sequitur hæc sententia ex præcedenti: si enim caro mea cibus est, & sanguis potus, qui eã sumit & accipit intra se, vnionem quandam habet mecum: ex ratione enim cibi & potus hanc mutuam deducit permanentiam. Sed latet eximius in his verbis sensus, si latum discrimen huius cibi à cõmuni obserues. Qui enim cibum & potum communem accipit, dicitur quidem cibum & potum intra se habere, tamẽ non manet ipse in cibo & potu: imò nec cibus nec potus in eo manent, nã corrumpuntur & conuertuntur in substantiam eius qui manducat & bibit. At Christus nõ talis est: Primò quidem manet in manducante, quia non transit caro Christi in substantiam manducantis sed permanet. Secundò, non accipit vitam à manducante sicut accipiunt cibi communes, sed ipse

ipse potius dat vitam animæ manducantis: quâ ratione Amb. l. 6. de Sacr. cap. 1. panem viuum dici affirmat. Propterea manet in manducante, quia ipsi ita vnitur vt non corrumpatur, & mãducans manet in eo quia vitam accipit ab ipso cibo & ab ipso Christo, cuius caro cibus & sanguis potus est: vnio igitur quædam est quia cibus & potus est; tamen magnum est & latum discrimen, cibus enim est manens, & continens ipsum manducantem. Præterea attendenda sunt verba: non dicitur, manet in carne mea, & caro mea manet in ipso, sed ego in ipso, & ipse in me; denotans ipsum suppositum diuinum & personam, q. d. qui carnem meam manducat quandam vnionem habet cum ea, & ratione carnis meæ in me manet, & ego, qui Deus sum, in eo maneo. Qui enim carnem & sanguinem bibit, habet in se Deum ipsum carni & sanguini vnitum: quibus verbis explicat efficaciam huius cibi. Quid non efficiet cibus & potus hic si vt par est accipiatur, cui est vnitus Dei filius, & cui est coniuncta diuinitas, & vita, & potentia Dei? Ex his deducit qui manducat vt debet vitam æternam habere. Tol.

57. *Sicut misit me viuens Pater & ego viuo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.*] Obscurus Hebraismus est: qui sic facilè resoluitur, sicut Pater qui me misit viuit, & ego viuo propter Patrem. Concludit totam probationẽ, & est sẽsus, sicut ego vt homo quia missus sum à viuente Patre, idest, habeo diuinitatem Patris, viuentis humanitati meę vnitam, & viuo propter ipsum; humanitas enim mea accipit vitam ab ipsa diuinitate, & à Patre ipso: ita qui me manducat, accipiet vitam à me,

quia mihi vnitur & in me manet. Aduerte, Christus erat & Deus & homo, quatenus Deus viuebat propter Patrem, quia essentiam & cū ea vitam habebat à Patre; vt homo etiam viuebat propter Patrem, nam vitam vt homo Deus erat, & Dei filius propter vnionem diuinitatis vitam viuebat gratiæ, gloriæ, & naturalem: hanc enim omnem diuinitas humanitati communicauit. Solet autem tribuere Christus quæ diuinitatis suæ sunt ipsi Patri, & ideo dixit se vt hominem viuere propter Patrem, & de hac loquitur in præsenti. Illud autem, *misit*, significat mysterium incarnationis. Sicut ego homo factus à Patre viuente. q. d. Sicut ego qui sum Filius Dei eandem habens vitam cum Patre, factus tamen homo meæ humanitati propter vnionem vt Deus do vitam: ita ei qui me manducat, quia mihi vnitur & coniungitur per carnem meam, dabo vitam. Sermo est non de vita gratiæ & gloriæ sola, sed etiam de æterna quæ est per resurrectionem, & quidem est omnium causa, tamen præcipuè de æterna est sermo, quæ in resurrectione glorioſa corporum datur. Non est autem vnitas omnino similis; non enim vnitur manducans hypostaticè Christo; sed ex vnione sola colligit effectum eundem. Nec dicit viuet propter carnem, sed propter me, nempe Dei filium, cui per carnem vnitur, & accipit in se Christum, vt in eo manere dicatur: vt Rom. 8. Si Spiritus, id est, diuinitas quę erat in Christo suscitauit eū vt hominem, quia vnita erat, & inhabitabat in eo: ita etiam suscitabit vos, si inhabitat in vobis, nempe per gratiam: non enim eadem est inhabitatio, sed idem inhabitans: & ideo idem

erit

erit effectus vitæ, & resurrectionis æternæ. Tol. Quid autem sit viuo propter Patrem, Aug. & Beda putant finalem causam significare, idest, ad gloriam Patris. At significare potiùs efficientem videtur, propter se, idest, se illi vitam impertiente victurum. Obiiciunt Arriani Deũ non esse qui per alium vitam haberet. Si de Christo vt Deus exponatur, vt Greg. Naz. Chry. Cyr. dicendum secundum diuinam naturam viuere propter Patrem, non quòd participatione vitæ eius viuat sicut nos, sed quod vt per se viuat, ac vita ipsa sit à Patre per æternam generationem acceperit: & sic dicit, *Ego sum vita.* Basil. Amb. Aug. dicunt de se vt homine loqui: nam agebat de carnis suæ manducatione, & non manducatur vt Deus sed vt homo vt s. d. Mald. non de morali, non de naturali sed de diuina & supernaturali vita loqui, quam vitam æternam appellamus, quæ in Deo naturalis est, in Christo quatenus homo est, & in nobis diuino beneficio per participationem quãdam concessum diuinæ naturæ. Eam enim sempiternam vitam atque diuinam quam Deus natura sua habet, Christus vt homo, per coniunctionem cum diuinitate hypostaticam habuit, per quam quæcumque Dei erant in humanam naturam deriuata sunt. Nos verò per eã coniunctionem habemus, qua sumpto corpore & sanguine Christi, cum eo vnũ quiddam efficimur. Sicut enim per vnionem illam hypostaticam fit vt vita illa diuina, & fœliciter immortalis humanę Christi naturæ facta sit: ita per coniunctionem nostram cum corpore eius efficitur nostra: vt dixit Hilar. 8. de Trinit. & Aug.

58. *Hic est panis qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt Patres vestri manna & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternũ.*] Concludit disputationem, reuocans eam ad initium. Dixerant Iudæi vers. 30. *Quod ergo tu facis signum vt videamus & credamus? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, Panem de cœlo dedit eis manducare.* Respondit Christus non illum, quem dedisset Moyses, sed quem ipse daturus erat verũ esse panem atque cœlestem. Id nunc concludit comparatione huius & illius. *Hic est panis qui de cœlo descendit,* qui viuere facit in æternum. Et non sicut manna, quod non potuit præbere vitam æternam: nam mortui sunt omnes quotquot illud manducauerunt, nec virtute illius ad vitam resurgent æternam. Modò seipsum, modò carnem suam vocat panem. Non enim caro à sua persona vnquam separata est, propterea vbi caro est, ibi & ipse Christus Dei filius est, qui ratione suæ carnis nobis est panis vitæ factus, quatenus sub speciebus panis, nobis seipsum in carne sua cibum præbet. Et quamuis caro & humanitas de cœlo non descenderit, is tamen qui vnitus est carni de cœlo est: propterea dicitur descendisse panis de cœlo. Amb. l. de Sacram. c. 1. & Aug.

59. *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum.*] Locum describit vt historiæ concionis tam mirabilis fidem faciat: qui non occultus sed publicus erat, & emporiũ celeberrimũ Capharum. Vel vt duritiem, & incredulitatem auditorum notet in ea vrbe in qua tot miracula fecisset. Erant multæ synagogæ in oppidis Iudæorum quò Iudæi conueniebant

ad

ad orandum, ad lectiones Scripturæ audiendas. Templum vnum erat, & id in Hierusalem, in quo solo sacrificare licebat, & simul ea facere quæ in synagogis efficiebantur Matthæi 4. & 6.

60. *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*] Quod propriæ erat culpæ, in cibum ipsum reiiciunt: nam eorum incredulitate & vitio dentes ad mandendum etiam mollia ineptos habebant. Cyr. Vitium etiam suum aliorum iudicio defendunt. Quis, inquiunt, audire eum potest? q.d. Non nobis solis durus est, sed omnibus: nemo eum audire potest. Intolerabilis est. Tert. difficilis intellectu. Chrys. Non fuisse hos discipulos ex 12. Apostolorum numero monet Theoph. & ex vers. 67. manifestum est. Duo illorũ aures offendebãt: alterum est carnem Christi manducati dare posse æternam vitam, & esse supra manna patribus datum, & in cibum sufficientem futurum. Alterũ est carnem Christi manducandam & sanguinẽ bibendum sensibiliter, sicut & caro animalium manducatur. Ita enim verbum intelligebant, & hoc horrorem incutiebat: sicut etiam si quis nobis carnes humanas mandendas & edendas proponeret, horrorem & nauseam vel solo sermone faceret: & propter hoc dictum est ab iis, *Quis potest eum audire?* Hæc fieri non posse videbantur. Et de his dictum est, *Durus est hic sermo.* id est credibilis non est, nec ad intelligendum idoneus, nec ad audiendum suauis, difficile susceptibilis ait Chrys.

61. *Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc*

vos scandalizat?] Apud semetipsum, ideſt, propria scientia cognoscens, nemine referente, vel indicante. Ita enim murmurauerunt discipuli inter se taciti vt audire Christus non posset, sed Deum quem corda non latent quomodo verba etiam non audita latere potuissent? Ex hoc loco Chryſ. Cyr. Theop. diuinitatē Christi probant. *Hoc vos scandalizat?* q. d. Maiora audietis & videbitis: parum hoc est, vt tam citò scandalizemini: vt Io. 1. *Maius his videbis.* Erat scandalum non actiuum, sed passiuum. Volebat enim eorum scandalum soluere ait Chryſostom.

62. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius.*] Quid dicetis? Reticentia enim & Apoſiopesis est. Quasi dicat, vos scandalizamini quia dixi me daturum carnē meam in cibum vitæ æternæ, visúsque sum vobis id facere non posse, nec carnem meam id efficere valere, quid igitur dicturi estis cùm videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? ideſt, cùm meam diuinitatem cognoueritis & hanc carnem diuinitati vnitam esse intellexeritis, vtique tunc non me aliquid quod fieri nequeat dixisse cognoscetis, maius enim est carnem meam vnitam esse diuinitati, quàm cibum esse vitæ æternæ. Immo cùm vnita sit diuinitati, non mirum est si cibus esse possit toti mundo: & cibus quidem vitæ æternæ. Ex suo ad cœlos ascensu, vbi priùs erat, suam ostendit diuinitatem, carnémque illam vnitam diuinitati, vt credant eam effectricem cœlestis & æternæ vitæ: quippe quæ vnita est diuinitati, & ad cœlos ascensura erat. Qui enim carnem suam potuit efficere

Deiferam

Deiferam & cœlestem, vt quæ terrena erat, ad cœlos ascenderet, potuit etiam efficere, vt cibus esset cœlestis & vitæ æternæ. Apertè se Deum profitetur carni vnitum, & in cœlis existentem, vt se omnia facere posse ostendat. Ex Aug. Ergo hanc emphasim habet, Tunc ne scandalizabimini? Non profectò, sed potiùs confundemini & admirabimini, tunc intelligetis, tunc credetis. Vel tunc magis scandalizabimini: tunc minus credetis, cùm videatis me in cœlo, vos in terra. Se filium hominis appellat, vt intelligant eundem se, quem illi solum filium hominis credebant, filium etiam esse Dei: vel vt ostenderet non duos alterum Dei, alterum hominis, sed vnum Dei & hominis esse filium. Cyr. contra Nestorianos. Vbi erat priùs vt Deus, nunc vt homo ascendit, quia idem Deus & homo est. Et hoc respondit Christus ad primum quod horum aures offendebat.

64. *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam.*] Respondet Christus ad illud secundum quod illos offendebat, carnem sensibiliter ad modum ferarum manducandam esse intelligentes: & in præcedenti sententia significauit se Deum esse, & suam carnem vnitam habere diuinitati persequitur: Spiritus est qui hanc vitam tribuit non caro sola, caro ex se non prodest ad hanc vitam æternam dandam. At Spiritus & diuinitas, cui caro hæc vnita est, ipsa est cuius ratione caro est effectrix vitæ. Spiritum appellat diuinitatem carni vnitam, seu carnem vnitam diuinitati. Carnem autem solam per se vocat carnem, qualem isti intelligebant, hæc autem non prodest ad æternam vitam,

vitam, sed vnita diuinitati prodest ad vitam; nam Spiritus est qui viuificat per eam: quibus verbis remouet illud secundum in quo scandalum patiebantur. Nam carnem Christi puram vt cæterorum hominum arbitrantes, non solum vitam non posse dare credebant, sed sensibiliter & carnaliter manducandam putabant. Quod Dominus etiam his verbis reiecit: si enim caro ipsa non propter se sed propter vnitam diuinitatem futura est cibus vitam efficiens; non ergo carnalis modus & sensibilis est cogitandus, sed qui carni diuinitati copulatæ conueniat, qualis est quem Dominus postea instituit. Ita enim vera nobis caro datur, vt tamen non carnaliter, & sensibiliter sicut cibi communes mandu&cetur. Caluinistæ contendunt Christum carnem suam in Eucharistia non dare, quia caro non prodest quicquam: quorsum autem daret nihil profuturam? Tertul. ait Hæreticos qui carnis resurrectionem negabant idem dicere, quorsum caro quę nihil prodesset esset resurrectura? At si nihil prodest cur eam Christus assumpsit? cur pro nobis cruci affixit? Profuit fortè dicent, ad nascendum, ad patiendum, non ad edendum. Verum quis neget prodesse omnibus modis quibus Christus eam prodesse voluit? Voluit autem vt prodesset non tantùm crucifixa sed etiam mãducata: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Quid apertius dici potuit? Dicent satis fuisse si fide mãducetur. Ita: & si Deus voluisset, satis fuisset si fides crucifixa fuisset: sed nostrum non est Deo legem dare: sed reipsa voluit mori, reipsa mãducari. Sensus Catholicorum est, sola Christi caro sine fide manducata nihil prodest;

cum

cum fide manducata prodeſt. Auguſt. Sola caro ſine ſpiritu, i. ſemota diuinitate nihil prodeſt. Spiritū viuificare eſt carni tribuere vt viuificet. vt ſ. d. Alij intelligunt Spiritum ſanctum tertiam Trinitatis perſonam ſine quo ne ipſa quidem Chriſti caro viuificare poſſit Alij Chriſtum verba ſua Spiritum viuificantem appellaſſe, i. verba non carnaliter ſed ſpiritualiter intelligenda. Alij ſpiritum modum intelligendi ſpiritualem, carnem modum intelligendi carnalem interpretantur, vt Iucæi. Rupertus carnem ipſam Chriſti per ſe cōſideratam, carnem; eandem verò quatenus diuino ac viuificante ſpiritu plena eſt, ſpiritum appellat. Itaque hæc verba quæ ſequuntur, Chriſtum non omnibus auditoribus, ſed ſolis diſcipulis ſuis dixiſſe poſtquā cæteri receſſiſſent, putat Aug.

Verba quæ locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt.] Ideſt, non ſola & nuda carne quemadmodum vos intelligitis, ſed de carne diuino plena Spiritu; de Spiritu viuificante ſunt intelligenda: ſola enim caro nihil prodeſt; cum ſpiritu vero coniuncta viuificat. Cyr. Carnem ſuam ſpiritum vocat propter vnitam diuinitatem: verba autem dicit ſpiritum & vitam ratione materiæ de qua tractat, vt non de carnali aliqua re, vt illi intelligebant, ſed de carne ſpirituali & viuifica, & modo ſpirituali accipienda dicta intelligantur. Attende Catholicos vt ſ. d. non eo ſenſu dixiſſe hæc verba ſpiritualiter intelligenda quòd nō reipſa carnem manducare iuberemur; ſed quòd non carnali modo manducare. Hæretici verò interpretantur ſpiritualiter intelligenda, i. figuratè, metaphoricè, quòd non reipſa, ſed ſola fidei apprehenſione

prehensione manducemus: quod absurdum est. Quis enim dixerit spiritualiter pro metaphoricè dictum? & quid erit *vita sunt*, an vitaliter intelligenda? Mald. Itaque excludit solum illum modum carnalem, quo cibi communes accipiuntur, & quem isti existimabant: vt ait Aug. in Ps. 98.

64. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.*] Particula *sed* sensum declarat & connexionem. q. d. Murmurationis, & recessionis istorum ego non sum causa, nec mea verba quæ sunt Spiritus & vita, sed eorum incredulitas, quia credere nolunt: si enim aliquid difficile dictum erat à magistro, humiliter eos quærere & discere oportebat S. Aug. *Durus est hic sermo*, sed incredulis. Ipsi erant duri nõ sermo. Verbum *non credunt*, nõ præsentem solam fidem negat, sed permanentem infidelitatem indicat Dum dixit, *sunt quidam ex vobis*, constat adhuc esse præsentes eos qui recesserunt postea, vt s. d.

Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.] Ab initio incarnationis suæ vt homo, & ab æterno ante mundi constitutionem vt Deus, sciebat qui essent crediturí, qui verò non: propterea dixit quosdam esse non credentes, & causam etiam reddit sequentium: prædicit enim vnum ex duodecim diabolum esse. *Non credunt*, refertur ad discipulos desciscentes. Illud, *Traditurus eum*, refertur ad vnum ex duodecim, de quo inferius loquitur Christus. Dixit vt ostendat se cognitas habere cogitationes, ac proinde Deum esse. Cyr.

65. *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*]

meo.] Q. d. Non sine causa id vobis dixi: sciebam enim vos à Patre non trahi, sed vestro ingenio adhuc pingui, adhuc carnali vestris affectibus duci: propterea ad me venire non posse, qua culpa existente Pater eos non dat & ea præuisa non dedit. Ex Chryſ.

66. *Ex hoc multi discipulorum abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.*] Hæc audientes illi discipuli qui murmurarunt à Christo desciuerunt corpore simul & animo, nec eum secuti sunt. Non omnes discipulos fuisse indicat Euangelista, sed multos. Aduerte quamuis Christus ab initio hæc sciret, eos tamen ad disciplinam suam admisit, ne quis vel Patrem, vel ipsum in causa fuisse cur isti non crederent, arbitraretur. Ex Aug.

67. *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire?*] Particula *ergo* allusionem quandam ad aliorum discipulorum defectionem indicat. q. d. Cùm Iesus vidisset alios discipulos suos à se discedere, rogauit duodecim num & ipsi abire vellent. *Et vos*, qui non solum discipuli sed Apostoli etiam & domestici mei estis. Monuit varijs de causis. 1. Ne putarentur non tam certo consilio quàm ignorantia aut verecundia non abijsse, vt Cyr. ait: Deinde ne retinere eos Christus videretur. Chryſ. Præterea vt offenderet se eorum opera & ministerio non indigere. Ad hæc vt liberum illis arbitrium relinqueret, quo in suscipienda fide maximè opus est. Cypr. Denique vt magis in fide confirmaret discedẽdi potestatem facit. Cyr. Ita Ioſ. 24. & Elias 3. Reg. 18. Et ne Apostoli dum alios desciscentes vident, in superbiam aliquam laberentur, aut humanam gra-

tiam

tiam aliquam à Christo captarent, quasi eius vtilitati deseruirent, eos Christus in humilitate continet & indoctrina instruit. Christus non indignatur ijs qui discessissent, sed patienter fert eorum defectionem, nolens eos verecundia coarctari, ait Chrys.

68. *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*] Respondet 1. ad verbum Christi, *vultis abire*, non solùm se abire nolle sed nec habere ad quem se conuertat alium Magistrum quem Christo præponat: per quem vitam æternam consequatur. Eximius Petri amor & confessio. 2. ad causam propter quam abeundum erat, illi enim abierant quia visus est eis sermo Christi durus, & qui audiri & sustineri non posset: ad hoc referens responsum suum dicit, verba habes vitæ æternæ. q. d. illi abierunt quia verba tua eis sunt intolerabilia & dura visa: at nobis non sic visa sunt, sed verba vitæ æternæ. Non ergo est cur à te recedamus. Ex hoc loco ineptè colligunt nos errare, quòd relicto Christo ad Sanctos nos conferamus, vt notat Mald.

69. *Et nos credimus, & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.*] Persequitur suam confessionem Petrus: Non solùm tu verba vitæ æternæ habes, sed nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei, vt qualis es tu talia sint verba tua. Credimus propter fidem quam habemus verbis tuis; cognouimus propter opera mira quæ operatus es, quibus te esse filium Dei demonstras, vt Samaritani supra c. 4. *Quia* non causam sed declarationem indicat: *nouimus quia tu es*, seu te esse filium Dei,

Dei, cum artic. Gr Tu es ille filius Dei, vt verum Christum & filium Dei ab alijs, qui aliqua ratione Christi & filij Dei dicti sunt, differre significet. Magna Petri confessio, qua summâ omnem fidei paucis verbis complexus est: si enim filius Dei erat, omnia quæ dicebat vera erant.

70. *Respondit Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?*] Christus sentétiam Petri quodammodo corrigit. Chrys. Theoph. Dixerat Petrus. *Nos credimus*, quasi omnes duodecim Apostoli idem credidissent & cognouissent. Respondet Christus non ita esse: vnum enim eorum esse qui non credat. Vel Petrum & cæteros Apostolos commonefacit vt timerent, ne sibi ipsis fiderent; vnum eorum esse qui cum Apostolus esset electus, diabolus factus esset. Tu fide stas noli altum sapere, sed time. Dum enim determinatè quis sit non exposuit, se posse deficere singuli existimare potuerunt. Adde ex Chrys. hom. 46. Propter ipsum Iudam hoc etiam esse dictum, cuius malitiam prædicit: tamen non quis is sit indicat; hoc ne impudentius contenderet; illud ne maiori licentia peccaret. Diabolum vocat quia minister esset ipsius: vel quia est homo callidus, fraudulentus. Sic vocat vt alludat ad casum Angeli, & Apostolos Angelis comparat; qui cum omnes boni à Deo constituti essent, diabolus in veritate non steterit, i. fidelis Deo non fuit: & vt diabolum Apostolis opponat: nihil enim magis contrarium officio Apostoli quàm officium diaboli. Vt ergo ostenderet quantum Iudas mutatus esset, dixit, ex Apostolo, qualem ipse elegerat, factum esse diabolum

lum. Mald. His verbis suam quoque diuinitatem ostendet, qui occulta & ventura nouit. Et libertas arbitrij etiam ex hoc loco constat. Nam electus à Christo sua libertate, & vitio corruit. Tol.

71. *Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum cum esset vnus ex duodecim.*] Euangelista eum nominat quem Dominus verbis suis insinuabat: iam enim factum euenerat quando hæc narrabat Ioannes. Eo fortè fecit consilio, vt reliquos à suspicione proditionis vindicaret: nã potuisset lector de singulis an hic vel ille esset dubitare. Et nota causam. *Hic enim erat traditurus.* q.d. Quia cum traditurus tunc erat, propterea dixit, *Vnus ex vobis diabolus est.* Non ergo propter malitiam tunc Iudæ præsentem, sed propter futuram traditionis scelus dictus à Christo diabolus est. Attende *cum esset vnus ex duodecim*, hoc quasi admirabundus dixit Ioannes: verè enim admirabile & prope incredibile scelus. Audierat hoc Iudas, & nõ dubium quin iudice conscientia cognouerit se notari: hæret tamen in peruerso consilio. Ex hoc discе nullum locum, nullum statum esse in hac vita, in quo securi esse debeamus, & qui hebetes & sensu expertes fiunt, vt qui in peccata labuntur etiamsi corripiantur non sentiunt.

CAPVT

CAPVT VII.

Probat Christus diuinitatem.

1. *Post hæc ambulabat Iesus in Galilæa : Non enim volebat in Iudæam ambulare : Quia quærebant eum Iudæi interficere.*] Quæ operatus est miracula, & post altissimum sermonem de eius carne & sanguine in cibum & potum vitæ æternæ dandis in Capharnaum publicè habitum, Christus Dominus ambulabat in Galilæa, ideſt per loca & oppida Galilææ : nec in Iudæam abire seu redire volebat, quia Iudæi eum occidere volebant, quia Paralyticum sanasset Io. 5. & tempus à Patre constitutum expectans illorum furori locum dabat ; docens suo exemplo licere interdum persecutiones fugere, cùm ratio & caritas non postulat vt vitam effundamus : vel voluit se hominẽ ostendere. Ex Chryſ. *Ambulabat*, ideſt versabatur : vel huc & illuc prædicandi causa vagabatur.

2. *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.*] Designat tempus vt causam cur Hierusalem venerit, & ad ascendendum in Iudæam à fratribus sit inuitatus significet: hoc enim tempore ex omni parte Iudæi Hierosolymam confluebant ad adorandum in templo. Exod. 23. Leui. 23. Deut. 16. Scenopegia festum erat Tabernaculorum. Institutũ fuerat vt Iudæi anniuersaria eius diei celebratione recordarentur sei- deserto, cùm ab Ægypto

venirent, per annos 40. in Tabernaculis habitasse; & per dies septem agebatur. 15. Septembris, vel Octobris.

3. *Dixerunt autem ad eum fratres eius.*] Cōsanguinei secundùm carnem Christi dicti sunt, fratres, ideſt cognati siue ex matre qui verè secundum carnem cognati erant, siue ex Patre qui etsi verè non erant, cognati tamen esse putabantur. ex Chryſ. Hic cauēdus error Græcorum, qui fratres Christi filios Ioseph vocari putauerunt. Leont. & Iacobum & Iudam Apostolos eos fuisse qui hic Domini fratres vocantur, putant Cyr. & Chryſ.

Transi hinc & vade in Iudæā, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis.] Vel reprehendentium, ex Chryſ. vel exhortantium fratrum Domini verba sunt, vt ascendat in Hierusalem, & ibi etiam opera miraculosa edat vbi erant quoque discipuli eius, ideſt studiosi & eius doctrinæ sectatores. Hæc cognati Christi dicebant eo animo vt certiores fierēt an is verè esset Christus: in Hierusalem enim erant Pharisæi legis doctores, & periti Scripturarum ac principes Iudæorum, qui rectum & legitimum huius rei iudicium facere posse videbantur. ex Chryſ. Vel ex miraculis volebant sibi aliquid gloriæ conciliare. Exprimitur nobis in illis, cognatorum ingenium: nihil solent ex nobis nisi honorem aut vtilitatem suam quærere.

4. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse.*] Qui enim quærit celebris esse in loco celebri operatur. q.d. tu quæris te omnibus manifestare; ne igitur in obscura Galilææ regione latet, sed abi in Iudæam,

dæam, illicque opera hæc fac, quibus tibi laudem eximiam compares hoc maximè solemni tempore: nemo quippe in occulto opera facit quibus manifestandus est, imò vult omnibus fieri manifestus & celebris. Sic inuertenda sunt verba, ait Mald. Tu gloriam affectas, non ergo debes in occulto miracula facere quæ facis. Illud, *quid*, aliquid egregium designat, vt Mat. 20. 20. De amore gloriæ eum notant ai. Chryſ.

Si hæc facis manifesta teipsum mundo.] Perseuerant incusantes Christum vt in Iudæam abeat, tum vt discipuli eius etiam hæc videant opera: tum quia qui se omnibus manifestare cupit, loci celebritatem quærit: tum denique his verbis, *si hæc facis*, ideſt cum tanta opera facias, non est æquum vt pauci ea cognoscant. Mundo teipsum debes notificare, non Galilæis duntaxat: vt per opera totus mundus, vt cap. 12. 19. ideſt Iudæi te cognoscant. Beda.

5. *Nec enim fratres eius credebant in eum.*] Causam cur hæc omnia cognati dixerint eam esse ait, quia non credebant in eum. Signa vera esse non dubitabant: an autem esset verus Messias nondum credebant. In Iudæam ergo eum remittebant, vbi periti & doctores legis erāt, vt ibi quis esset decerneretur. Quod eis in Galilæa nec debere fieri nec posse videbatur. An autem omnes fratres eius, nempe quatuor illi quorum cap. 2. mentionem fecimus, an eorum aliqui hæc dixerint, certum non est: Christum consanguineum potuerunt habere, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt, ait Chryſ.

6. *Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum*

aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.] Aug. & Beda tempus suum vocare putant, tempus consequendæ gloriæ, cuius consequendæ causa fratres eum hortati fuerant, vt Hierosolymam se conferret. Illi de humana; ille de diuina respondet gloria ascensionis. Cyr. tempus manifestationis intelligit. q. d. Tempus ostendendi me nondum aduenit. Apol. Tempus meum ad festa celebranda: tempus enim mihi passionis est atque afflictionis, non gaudij & lætitiæ. Quidam simpliciter interpretantur: Tempus ascendendi Ierosolymam, vt vos petitis nondum aduenit. Chryſ. Theoph. Alij nondum venisse tempus moriendi quod sibi à Patre præscriptum fuerat: hoc enim tempus suum aut horam suam vocare solebat. vers. 30. cap. 8. & 13. & propterea in Iudæa versari nolebat, quærebant eum Iudæi interficere, & ipse nolebat mori ante constitutum tempus à Patre. Et quamuis posset vi, aut miraculo effugere Iudæorum manus, malebat tamen id sine vi & miraculo facere. Quia ergo cognitos habebat Iudæorum animos, pro eodem habet ire Hierosolymam & ad mortem ire. Et quia moriendi tempus nondum aduenerat, dicit se Hierosolymam ire non posse. Putant etiam Chryſ. & Leontius fratres Christi inflammatos inuidia tradere illum in Iudæorum manus voluisse, ideóque respondisse: *Tempus meum nondum aduenit.* q. d. Quid vultis cogere me, ante tempus mori? At postea iit? Ita est. sed voluit hoc loco significare quid sibi tanquam homini faciendum foret; periculum quod alia ratione superare non posset, fuga declinãdum: postea eundo declarauit quid tanquam Deus

face

facere valeret: in medio nimirum periculo, sine periculo versari. Vobis, quibus nihil imminet periculi, quodcumque tempus est opportunum, semper est paratum. Vt in exercitu qui amici sunt quouis tempore, interdiu noctu, manè vesperi tutò versantur, hostes non item. Tempus humanæ quærendæ gloriæ, quã vos solam quæritis, semper est opportunũ, quia ad eam sine labore, sine morte venitur. Aiunt Aug. & Beda.

7. *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.*] Reddit causam cur eorum tempus sit paratum, idest cur quouis tempore sine periculo in mundo, idest inter Iudæos versari possint: quia & ipsi similes eis sunt, & mundi ipsius membra: & non potest mundus quæ sua sunt odio habere: vt cap. 8. & 15. & 16. Et alludit Christus ad id quod dixerant, *Manifesta teipsum mundo.*

8. *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.*] Cur iubeat aut concedat fratres suos ad diem festum ire, se verò significat ire non posse, suprà rationem dedit, quòd illis nullum à mundo periculum vt sibi immineat. Ne ad festum peragendum ex verbis dictis retraherentur, néve Christum omnino non ascensurum conciperent: vtrumque remouet, *Ascendite vos*, inquit, *ad diem festum* celebrandum, ne prætermittatis mei causa ascendere, cùm vestrum tempus semper sit paratum. At ego nondum ascendam, idest non vobiscum ascendo: quia tempus adhuc meum, quando me ire oportet, non-

dum est impletum, quo tamen impleto ascendam. Non negat se omnino non ascensurum, sed tunc cum eis non iturum, at expectaturum sui temporis opportunitatem: qua superueniente erat etiam venturus. Hortatur fratres vt legis ceremonias & festa obseruent. Per diem festum totum celebritatis tempus intelligi quod erat octo dierum. Inferiùs enim dicitur die festo mediante ascendisse in templum: & tamen quarto die ascendit.

9. 10. *Hæc cum dixisset ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.*] Incertum est quanto tempore manserit in Galilæa, & an vno an pluribus diebus post fratrum profectionem ascenderit: certum tamen est ascendisse. Non omnino occultus: venit enim cum discipulis, sed quasi in occulto, quia non omnibus se manifestabat, in publicum, vt solebat, prodiens, paucis notus illis primis diebus. Attende primo die festiuitatis adfuisse, sed occultum tamen; quarta die in templum docturus publicè ascendit.

11. *Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille?*] Particu' *ergo*, causam indicat & illationem, nempe quia in occulto ascendit, nec se manifestum primis diebus exhibuit, propterea occidere quærentes dicebant, *Vbi est ille?* Quasi nominare non sustinentes præ odio, vel contemptu. Iudæos vocat non omnes, sed primores, Sacerdotes, Scribas, Pharisæos & populi principes: & vt à Galilæis distinguat. Vbi est ille? fortè à quibusdam bono animo, ab aliis malo dicebatur.

12. 13.

12. 13. *Et murmur multum erat in turba de eo: quidam enim dicebant quia bonus est: alij autem dicebant non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.*] Dum dicitur quod nemo palam & liberè loquebatur, tam hi qui pro Christo erant, quàm qui contra Christum comprehenduntur. Nam Toletus colligit ex verbis prohibuisse Iudæos omnem de Christo sermonem, & contentionem: vt eius memoria ab omnium mentibus deleretur. *Seducit turbas*, vel ad Principes, vel ad turbas refertur, qui occultè inter se murmurabant de contentione: quidam enim dicebant quia bonus est vt notat Aug.

14. *Iam autem die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat.*] Cum solemnitas octo dierum spatio celebraretur, die quarta, quæ medium tempus est, Christus ascendit in templum. Et nota non dici ascendisse in Hierusalem, sed in templum: ille enim ascensus fuit prior, vt s.d. hic posterior; ille occultus, hic publicus; ille ad diem festum, hic ad docendum. Omnia hæc Euangelista descripsit: Priorem enim ascensum factum fuisse narrauit postquam fratres è Galilæa profecti sunt: isque occultus fuit; posterior autem est ascensus in templum, & de hoc nunc agit. Ex Aug.

15. *Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?*] Quid docuerit Euangelista non recenset, vt notat Chrysost. tamen doctrinam fuisse insignem insinuat dum Iudæos qui paulò antè ad calumniam & necem conquirebant, in admiratio-

nem conuersos esse ait, dicentes: *Quomodo hic literas scit:* vt intelligeremus ex eo quanta vis doctrinæ & verborum eius fuerit. Iudæi non quid dicat & doceat, considerant, vt veritatem assequantur, sed quo modo docere possit, vnde tantum illi doctrinæ esset, cùm minime didicisset. Et verò si ista consideratio facta fuisset vti fieri debuit, eos ad credendum inducere sufficiens erat: magnum enim veritatis, nempe Christum à Deo esse, argumentum erat, sine disciplina vlla tantam & tam mirabilem proferre doctrinam. Literas scientiam sacræ Scripturæ appellant, & eam quæ est diuinorum mysteriorum. Quidam hanc admirationem eorum esse putant, qui Christi sermonem susceperunt, & in pretio habuerunt. At verius est illorum fuisse qui incredduli erãt: & hæc proferebant non vt laudarent, sed vt potiùs dæmoni tribuerent: aut saltem an à Deo esset in dubium reuocabant. Nam paulò inferiùs isti dixerunt: *Dæmonium habes.* Et rursus Dominus dixit, cognoscetis an mea doctrina à Deo sit: quasi id dubitassent. ex Chryſ. & Cyr.

16. *Respondit eis Iesus, & dixit: mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*] Ipsorum admirationi & occultis vocibus respondit Dominus vt Deus, & vnde has litteras & doctrinam acceperit exposuit. Doctrina, inquit, mea quã habeo & quam audistis, non est mea, ideſt, à me non est, sed ab eo qui me misit. significat hanc doctrinam esse Dei Patris: ab ipso enim eã accepit. Non ergo est quod admiremini dicentes, *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Quia à Deo Patre hæc mea doctrina est, non à dæmo

dæmone vt suspicamini. Doctrinam ait esse suã quia eam habebat, non suam, quia eam non à se habebat, sed à Patre. Alij suam, quam à nemine didicisset, sed quã vt Deus haberet à Patre; non suam, quia Patris erat. Alij suam, quam Iudæi suam, ideſt, à se inuentam putabant; & non suam sensu contrario, quam non ipse excogitasset, sed à Patre accepisset. Alij suã quam suo nomine docere videbatur, non esse suam, ideſt, non suo sed Patris nomine docere. Simpliciùs alij, suam vocat quam docebat; nõ suã ideſt, non à se inuentam, sed acceptam à Patre. Hinc male Arriani contendebant ex hoc loco filiũ esse minorem Patre. Sed notandum particulã *Non*, hic non esse negatiuam, sed exclusiuam particulam. q.d. Mea doctrina non solùm est mea, sed etiam eius qui misit me Patris: vt Mat. 10. 20. & inf. c. 12. vel breuiter, non sum à meipso vt ait Aug.

17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*] Tacitè eos arguit, & causam cur non credant nec intelligãt eius doctrinam, indicat: vt notat Chrys. ho. 48. & Cyr. l. 4. c. 43. q. d. Deponite irã, inuidiam, odium, quæ contra me & contra Dei voluntatem concepistis: & tunc intelligetis meam doctrinam, à quo sit, nempe an à Deo, an à meipso, ideſt à me excogitata aut inuenta, Deóque contraria. A seipso vocat quod opponitur, à Deo esse. Hæc vos impediunt à recta & vera intelligentia. Attende cum qui vult facere voluntatem Dei, dici cognoscere Christi doctrinam, quia dispositus est, nec habet impedimentum cognoscendi: tamen lumen diuinũ necessarium est quo id asse-

quatur. Noli quærere intelligere vt credas, sed crede vt intelligas ait Aug.

18. *Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit.*] Probat suam doctrinam Dei esse sic; *Qui à semetipso loquitur*, id est, qui doctrinã propriam & à Deo alienam & separatam loquitur, is honorem proprium quærit, vt ab auditoribus in pretio habeatur. At contra qui non quærit proprium honorem, nec gloriam, sed Dei, profectò à seipso non loquitur, sed à Deo. Hoc argumentum probat verba superiora intelligenda esse de scientia humana Christi, quę à Deo erat; nam his verbis solum intendit se a Deo missum, & quæ secundum eius sunt voluntãtem docere, ab eóque doctrinam accepisse: & id hoc argumentum confirmat. Christus autem vt homo non ex sua prædicatione & doctrina quærebat humanam gloriam & honorem, sed Dei Patris, ad cuius voluntatem obseruandam homines hortabatur, & cuius honori in omnibus consulebat. Vide quam humilia de se dicit, vt doceat moderata sapere, & nihil de se dicere magnum ait Chryf.

Qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.] A semetipso loquitur, ergo proprium honorem quærit. At non quærit proprium honorem, igitur non à semetipso loquitur, sed ab eo cuius honorem quærit. Infert hanc secundam partem syllogismi à contrario. Non intulit hic, à Deo est, sed, verax est, & iustus: seu, non est iniustitia in eo: vt doctrinam suã & opera defendat ex Theophyl. Hæc enim duo calumniabãtur Iudæi: doctrinam quidem, quia seducebat turbas; opera, quia sabbatum non custodiebat. Contra vtrãque

que calumniam intulit: qui gloriam Dei à quo missus est non autem propriam quærit, hic verax est, quia doctrina eius vera est, mendaciis enim Deus non glorificatur. Iniustitia etiam in eo non est, quia opera eius iusta sunt, non enim à transgressoribus Deus honorificatur. Sicque etiam tacitè Pharisæos arguit, qui propriam quærentes gloriam mendaces, & iniusti erant. Mat. 15. Mendaces, quia traditiones legi diuinæ contrarias docebant: iniusti, quia diuina mandata transgrediebantur. Mendaces in dissuadēdo populo ne in Christum crederet: iniusti in morte innocentissimo Christo machinanda. Aug Sic & Theoph.

19. 20. *Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?*] Sic hærent hæc verba cum superioribus. Cum se veracem in doctrina & operibus dixisset, arguit nunc Iudæos iniustitiæ & transgressionis in eo quod eum quærant interficere. Et sensus est, nonne legē habetis quam dedit vobis Moyses, cur nemo ex vobis seruat eam? si enim seruaretis, non quæreretis me interficere: nam innocentem lex prohibet interficere. Iniustitia in me non est; quid me quæritis interficere? Nonne Moses dedit vobis legem, cur eam seruare nō vultis? Nonne Deus prohibet proximū iniuria afficere? Nonne legi subiecti estis? cur non seruatis? cur non facitis quæ Deus præcepit? & nemo ex vobis facit legem dum me innocentem & veracem & iustum occidere quæritis? Ex Chrys. Vel hoc dicit quia si legem facerent in ipsis literis Christum agnoscerent, & præsentem non occiderent ait Aug.

Respondit turba & dixit: Demonium habes:

quis te quærit interficere?] Plerique putant turbam hoc loco non promiscuum vulgus, sed Sacerdotes, Principes, Scribas, & Pharisæos appellari; eos nimirum qui Christũ quærebant ad necem, ad quos Dominus dirigebat verba superiùs dicta. Vel dicendum turbam sceleris tanti ignarã, dum putat sibi hoc peccatum imponi, in Christum inuehi acerbè, & tale à se facinus repellere. *Dæmoniũ habes*: quis te quærit interficere? q.d. Dæmon te corripit, vel te instigat vt hæc dicas: nam nemo nostrũ te quærit interficere. Dæmonio hoc tribuunt, quia ipsius est mendacia & falsa testimonia & calumnias imponere. Vel dæmonium habere dicebatur quisquis delirare & absurda loqui videbatur.

21. *Respondit Iesus & dixit eis. Vnum opus feci, & omnes miramini.*] Christus conuitium turbæ spernens respondet iis qui verè eum occidere quærebant, causam eos nullam interficiendi habere demonstrans. Notandum autem est à tempore illo quo Dominus paralyticum sanauit, & grabatum Sabbato tollere iussit, Iudæos Christum occidere decreuisse vt s.d. nec cessauit hæc impia eorum intentio, sed magis ac magis augebatur in eis, & erat perpetua memoria huius facti: quamuis quãdo hæc loquebatur Dominus sesquianmus ab illo facto intercesserit: nam gestum fuit Paschatis vel Pentecostes tempore, tamen post illud Pascha aliud celebratum est, cuius Ioannes non meminit, & post hoc agebatur festum Tabernaculorum, quando hæc loquitur Dominus: qui annus erat tertius suæ prædicationis, nam sequenti proximo Pascha-

te occisus est. Dominus igitur hoc factum repetit nunc, quia in eorum memoria erat præsentissimum, & ideo id mortem ei parabat. Repetit autem vt eos contra legem agere, nullámque causam habere interficiendi coram populo demonstret, & suam innocentiam significet. Et sensus est, *vnum opus*, inquit, *feci*. ideſt, vnum signum, vnum miraculũ. nempe paralyticum sanaui Sabbato, & propter hoc omnes miramini, ideſt, perturbati estis, & tumultuamini, & offendimini, quasi Sabbatum & legem sim transgressus. *Vnum opus* q. d. non habetis nisi hoc vnum. Sic Chrys. & Aug.

22. & 23. *Propterea Moses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Mose est, sed ex patribus, & in sabbato circumciditis hominem.*] Si circuncisionem accipit homo in Sabbato vt non soluatur lex Mosis: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato? Probat se non esse legis Mosaicæ de sabbato trãsgressorem, eo quod hominẽ Sabbato curauerit. Et supponit Mosem dedisse Iudæis circuncisionem: propterea, quia à Patribus erat præcepta, non quasi ipse primus esset institutor, vnde principaliter ad legem Mosis non pertinebat, ante ipsam enim circũcisio fuit, & tanquam iam institutam ipsis restituit, erat enim intermissa in deserto; præceptum verò Sabbati proprium erat Mosis, ipse enim primus tale præceptum imposuit, quod ante non seruabatur. Sensus ergo est, vos vtimini circuncisione non tanquam à Mose instituta sed à Patribus, non enim propriũ erat opus legis sed Patrum, & propterea ille dedit vobis eam; & tamen in Sabbato quod Moses præcepit, circunciditis,

nec

nec legem Mosis vos transgredi putatis, quia quod fecerunt Patres facitis. Cur mihi succensetis quasi legem sim transgressus, quòd hominem totum saluum fecerim, cùm sit hoc opus multò maius quã circuncisio? Et attende, *Vos circunciditis in Sabbato*, non solum quia ipsi circuncidebant, sed quia ipsi declarauerant esse in Sabbato circuncidendum: nec enim Moses id expresè docuit. Dictio *propterea* Heb. more redundat, vel non tam causalis quam inchoatiua aut illatiua est. q.d. Itaque, aut, ergo. Alij coniungunt cum superioribus, *Vnum opus feci, & omnes miramini.* propter hoc, vel, *propterea* dictum est, pro, propterea quod. Totum hominem dicit sanauisse, quia totum corpus paralysi ægrum erat: vel quia corpus & animum sanasset paralytici. Et opponit totum parti, scilicet præputij, quæ vitiosa & superuacua resecabatur, sicque sanari spiritualiter censebatur. ex Chrys.

24. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*] Idest, apparentiam, vel acceptionem personarum, q.d. Ne me temere accuseris quia contemnitis, sed iustum iudiciũ iudicate, idest, considerate opera ipsa quæ Sabbato fiunt. Circunciditur homo ex vna parte, ex altera verò triginta octo annos habens in graui infirmitate breui temporis momento ita sanatur vt grabatum valeat per vias portare: quis neget diuinius & potentius esse hoc opus? Si ergo licuit vobis illud in Sabbato exercere, cur hoc mihi non licuerit? Vos ad personas recurritis, scilicet, circumcisio Patrum est, opus hoc tuum est, quem nos multo inferiorem Patribus existimamus: hoc iam est iudicium

in.

in personarum acceptione accipere: nam opera sunt, per quæ fit transgressio, si aliqua est, non personæ ipsi. Quis est qui non iudicat personaliter, qui æqualiter diligit ait Aug.

25. 26. *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est quem quærunt interficere. Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt: nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus?*] Ideo ciues Hierosolymitani potiùs quàm alij, qui conuenerant vndique ad solemnitatem festi, hæc dicunt, quia illis suorum principum erant nota consilia. Mirantur verò quòd cùm principes paulò ante Christum ad necē quærerent; & nunc coràm, atque inermem habeant liberéque loquentem & eos magis ac magis irritantem, nihil tamen illi dicant, ideſt, nihil illi faciant. Nunquid deposuerunt odium iam conceptum, quo eum priùs non cognoscentes prosequebantur: nunquid cognouerunt hunc esse Christum? Perpende duo in his verbis: vnum est quanta fuerit rabies principum contra Christum, & quanta ipsius Christi virtus, qua eos repressit, vt isti Iudæi huius effectus talem excogitauerint causam, quia nouerunt iam hunc esse verum Messiam ex Aug.

27. *Sed hunc scimus vnde sit: Christus autē cum venerit nemo scit, vnde sit.*] Incredulitas, & malitia istorū nō sinit eos in hac causa inuēta quiescere & permanere. Effectus mirus, quem experiebātur hanc causā indicare videbatur. At incredulitas & odium contra Christū repellit & contra inuentam causam obiectionē inuenit. *Christus cum venerit nemo scit*; scimus autē vnde iste sit. Ergo iste Christus esse non potest. Iā eò rem perductā esse fatentur vt si nescirent vnde iste:

iste esset, Christum esse reciperent & consentirent. Ignorãtiam miseri homines ad Christum recipiẽdum quęrunt. Nescire oportet, inquiũt, vt verus sit Christus, cùm hic non sit Christus, quia scimus vnde sit. Non est verisimile causam hanc quam excogitauimus veram esse: nẽpe nouisse verè principes hunc esse Christum. Isti scire se vnde sit Christus dicunt, quia scire putabant progenitores eius, ex cap. 6. *Nõne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrẽ?* Existimabant autem neminẽ quando Christus venerit cogniturum eius parentes; sed repente ignotis progenitoribus mundo appariturum. Vnde hoc sibi persuaserint incertum est: fortè ex locis Scripturę malè intellectis: Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Mich. 5. *Egressiones eius à diebus æternitatis.* Sciebant quidem venturum de progenie Dauid & de loco Bethleẽ, tamẽ in particulari, ex quibus parẽtibus ignotum iri credebãt. Nec est cõtra hoc quod Ioan. 6. dicunt, *Hunc nescimus vnde sit:* Horum enim verborũ sẽsus est, nescimus an à Deo missus sit. Tamen contradictionem putat Chrys. ho. 49. Adde verba illa esse Pharisæorum, hæc autem vulgi imperiti & Scripturarũ ignari, ex Aug.

28. *Clamabat ergo Iesus in templo docens & dicens.*] Clamat non sine causa Christus; nam cum videret illos omnia quæ facturus erat de ipso confiteri, hoc vno autem impediri, quia scirent vnde esset; propterea clamat, quasi victoriam reportans. Et quare clamet, nempe propter dicta eorum, qui nihil aliud opponũt præter scientiã, quia sciunt, vnde sit & nosciunt parentes & progeniem eius. Clamore autẽ hoc docet se etiam hoc habere quod requirunt, nempe

nempe se nescire eum, vnde sit, vt nulla re deficiente Christum negare eum esse non valerent : propterea dicitur, *docens & dicens.*

29. *Et me scitis, & vnde sim scitis, & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum : & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum quia ab ipso sum, & ipse me misit.*] Christus veram suam originem docens ostendit eos nescire, quis sit & vnde sit ipse. q. d. Scitis quidem me secundum carnem quis & vnde sim : secundum autem diuinitatem nescitis : ideóque Christus esse possum, quamuis me vnde sim cognoscatis, quia eo modo quo Christus cum venerit, vnde sit, nemo sciet, me quoque nescitis vnde sim. Alij vt Chrys. Theoph. Non solum scitis me filium esse Mariæ, & ex Bethleem, quod ipsum argumẽtum vobis esse oportebat me esse Christum : sed scitis etiam me esse filium Dei, & ab eo missum, quod malignè dissimulatis, quia ex Ioannis testimonio hoc didicistis, Misit me qui verus est, i. Deus implens quæ promiserat, & hunc vos nescitis, vel scire dissimulatis. q. d. Ego non sum merus homo qualem me esse putatis, sed filius Dei missus à Patre ad implendas promissiones. Et hunc vos nescitis, i. nescitis esse Patrem meum. At ego scio eum, quia ego sum ab ipso genitus, & in carnem missus : quia si dixero, me nescire eum, ero mendax, sicut & vos estis mendaces dum dicitis, scire me & vnde sim. Suam originem & diuinitatem declarat. Ex Hil. 6. de Trin.

30. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in eum manus, quia nõdum venerat hora eius.*]

eius.] Nouerunt Christum affirmasse, filium se esse Dei, & verum Messiam: ea de causa apprehendere eum quærebant, vt Io. 5. *Ergo*, hoc indicat, q. d. Quia dixit se esse à Deo Patre, & scire Deum quem ipsi nesciebant, ideo quærebant eum apprehendere, cum inde debuissent conuerti à malitia, & à cæcitate ad fidem. Sed diuina virtute repressi sunt conatus eorum, non quod mori timeret, aut nollet, sed quia non venerat hora mortis & passionis eius. *Et nemo*, i. tamen nemo misit in eum manus. Ex Aug.

31. *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant.*] Non sine fructu fuit Christi doctrina, nam multi de turba crediderunt in eum, nempe esse verum Christum, & Messiam à Deo missum, & ore confessi sunt: vno ergo verbo Christi & hi conuertuntur, & illi obdurantur: quòd conuertuntur, virtus est verbi, quòd obdurantur, vitium est audientium: vt eodem lumine sani vident, lippi cæcutiunt, humiles & pauperes saluos faciebat, ait Aug.

Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quàm qua hic facit?] Ex signis & miraculis quæ Christus ediderat, colligunt hunc esse Christum. Nõ hæc verba protulerunt postquã crediderunt, sed referuntur tanquam argumentum quo moti sunt ad credendum. q. d. Multi crediderunt quia dicebant, Christus cum venerit non faciet plura signa: ergo hic est Christus: vel intelligunt, si duo non erunt, hic est Christus, ex Aug.

32. *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt Principes sacerdotum,*

&

& Pharisæi ministros vt apprehenderent eum.] Timore ne turba crederet in eum attentissimè omnia obseruabant Pharisæi, & quę audierunt à turba submissa voce loquentes honorificè, nõ enim erat murmuratio aduersus Christum, retulerunt Principibus sacerdotum. Et eorum auctoritate, tam hi quam illi ministros mittunt vt Iesum capiant. Non veniunt ipsi ne turba in eos insurgat: nec differunt ne tota turba in eum credat, & postea non possint ea facere quæ cogitauerant & quærierant. Et qui debuerant turbã illustrare & dirigere; deterrent à veritate: ideo Mat. 23. væ illis imprecatur. Murmuratio illa honorifica de Christo erat ea, qua plebs Hierosolymitana irritata voluit manus in illum inijcere, vers. 30. Vel qua conuenerat turba in eum credens, & dixit, *Christus cum venerit nunquid plura signa faciet quam hic facit*? Vel vtraque causa prouocauit Pharisæos & sacerdotes, vt Christum apprehenderent. Et quia apprehendere non potuerunt nocentem, missi sunt vt apprehenderent docentem, ait Aug.

33. *Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit.*] Q. d. ministris eum apprehendere venientibus, post modicum tempus, quo vobiscum permanebo, vadam ad eum qui me misit: nondum est tempus me comprehendendi: citò veniet tempus hoc: vt Ionæ 3. *Vado*, i. ibo ad Patrem, mihi liberum est mori: pono animam meam, quando, & quia volo. Et mea mors, non est qualem vos putatis. Vado ad eum qui me misit. Hominem merum me esse vt cæteros creditis: non sic est. Vadam ad eum qui me misit,

misit, quia Dei filius sum; & sic moriar, vt citò resurgam, & meam humanitatem ad dexteram Patris mei collocem. Modicum tempus, quo ad docendum, ad operandum nostram salutem manet, vocat: quia proximo Paschate erat passurus. *Ergo*, indicat quia eum comprehendere veniebant, Dominum hæc protulisse: quibus verbis non solum illos docuit, sed furorem eorum repressit adeò, ait Tol. vt relicto eo compuncti ad eos à quibus missi erant redierint. Sic Chrys.

38. *Quæretis me, & non inuenietis.*] Prædicit & comminatur quod Iudæis incredulis & cõtemptoribus post ipsius ad Patrem reditum euenturum erat. *Quæretis me.* i. verum Christum vobis promissum iquiretis. *Non* tamen *inuenietis*, i. ad ipsius cognitionem non peruenietis: me enim reiecto qui verus sum Christus, omnis qui alium quærit, non inuenit. Fiet ergo vt loco Christi veri, in pseudochristos incidatis. Hoc Iudæis post Christi ascensionem accidit: surrexerunt enim pseudochristi de quibus Mat. 24. Et tempore excidij Hierosolymitani tres nomen Christi sibi vsurparunt, vt ibi notat Hier. Modo etiam Iudæi inquirunt & adhuc inquirent Christum: sed spreta eius prædicatione quandiu sic quæsierint non inuenient. Theod. Chrys. Aliter ait, mulieres quæ eum ad mortem euntem plangentes sequebantur Christum quæsiuisse. Aug. Fore vt post resurrectionem videntes miracula quæ eius discipuli facerent ducti pœnitentia & dolore illum quærerent. Ruper. Quæsiuisse Iudæos Christum post resurrectionem: non vt crederent, sed vt persequerentur, & nomen

eius

eius abolerent: Vel significat hac phrasi Christum de terra sublatum iri ita vt inter viuos reperiri non possit, ait Mald.

Et vbi ego sum vos non potestis venire.] Tertiam adiungit comminationem: sensus est, cum post meum ad Patrem reditum vos adhuc sitis in vestra incredulitate mansuri, nec me vnquam inuenturi, quia ad mei cogitationem & fidem non estis peruenturi, profecto hoc etiam eueniet vobis vt à regno meo excludamini, nec mea sitis diuinitate fruituri. Vbi ego sum, i. ad cœlum vbi vt Deus semper sum, & vbi meorum est regnum, vos non potestis venire sine fide. Christus vt Deus erat in cœlo, illuc tendebat vt homo. vt Io. 8. Si vero in morte maneret possent ad eum ire: illuc enim omnes tendimus, ait Chrys.

35. *Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo, quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire?*] Verba Christi prophetica erant, nec ministri sensum, sed nudum corticem perceperunt: ideo intelligentiam indagantes sensum excogitant inter se, dubitantes an id Christus significare voluerit, nempe se ad Gentes docendas iturum, quæ cum sint per totum orbem dispersæ & diuisæ, si Christus ad eas diuerteret, à Iudæis etiam quæsitus inuentus non esset. At quia in hac intelligentia eorum animus non quiescebat, repetunt verba dubitantes iterum. *Quis est sermo*, i. quid hic sermo significat? *Quæretis me, & non inuenietis.* Gentes quia dispersæ erant vndique per orbem,

bem appellat Gentium dispersionem, in seipsis gloriantes. Heb. q. d. in gentes dispersas, in quas abiturum Christum significant. Sed hoc opprobrium ipsi sustinuerunt postea, quia vbique dispersi sunt, ait Chrys.

37. *In nouissimo autem die magno festiuitatis.*] Erat dies septimus, vel potius octauus collectarū celeberimus, sicut & primus, ex Chrys. Clamat ergo Dominus in templo propter turbę multitudinē, & vt cordibus auditorū qui iam iam discessuri in propria loca erant, verba tenacius infigat: & vt se liberè & confidenter loqui & docere significet: vt duritiem & surditatem Iudæorum in credendo arguat. Et quia vltimum erat festum quod erat celebraturus. Sic concionator clamare debet, vt appareat ex animo loqui.

Si quis sitit veniat ad me, & bibat.] Aperit omnibus fontem gratiæ suæ, ex quo qui non biberit saluus esse non possit. Inuitat omnes qui summum bonum, & suam perfectionem appetunt, vt veniāt ad eum per fidem; promittens hanc eis perfectionem, & hoc bonum, quo omnis extinguitur sitis: vt Mat. 11. & Isa. 55. Chrys. de siti doctrinæ hoc exponit. Dum dicit, *si quis*, significat se nec velle excludere quemquam, nec velle compellere quemquam nolentem; sed paratum esse quemuis volentem suscipere, modo veniat sitiens, i. ardenter desiderans. Ians.

38. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viua.*] Dicendum videbatur, qui venit ad me & bibit, sed hoc ipsum clarius dixit. Nam venire ad eum & bibere, erat credere: ideo dicit, *Qui credit in me,*

in me, magnam copiam & abundantiam aquarum habebit. q. d. Fiet in eo fons à quo flumina aquæ viuę fluent præ abundantia & copia fontis. Quo verbo significat credentes accepturos tale bonum & tantum, vt non ipsis tantum sufficiat, sed in alios etiam deriuetur. Vēter, cor & interiora hominis significat. Chry. ho. 50. Et ita est: datur enim interius Spiritus sanctus, qui fons est viuus, à quo innumera & perfectissima dona & virtutes velut flumina multa prodeunt, quæ in corpus, & in omnes inferiores potentias & actus & operationes extenduntur, & vsque ad proximos & alios deriuantur & dilatantur. Greg. l. 15. mor. c. 15. Riuuli sunt fluminis dona Spiritus sancti. Riuulus est fluminis charitas, fides, spes, lætitia spiritualis. Testimonium autem allegat Scripturæ. Prouerb. 5. vel Isa. 55. vel 48. Ex Hier. in prolo. in Gene. propter Iudæos qui Scripturam profitebantur.

39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*] Euangelista adhuc verba Saluatoris exponit: & cur cum de Spiritu loqueretur, vsus sit futuro, *fluent flumina*, declarat; quia, inquit, nondum erat hic Spiritus datus, donec Iesus glorificaretur, resurrectione & ascensione sua: tunc erat credentibus hic Spiritus dandus, propterea futuro vsus est, *fluent*: & ideo dictum est, *quem accepturi erant credentes*. Quia tunc nondum acceperant quando hæc de Christo dicebantur. At quomodo dicitur nondum Spiritus datus esse, cum idem Spiritus ante in Prophetis fuerit? Respondet Aug. datum quidem fuisse antè, sed non visibiliter, non tam largiter quàm

postea datus est. Glorificationem Christi, alij resurrectionem suam, alij crucem appellant, vt Chrys. Alij ascensionem in cœlum; ideo autem Spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus ascensione: quasi supervacaneum esset duos simul eodem tempore paracletos Apostolis dari: & ipsemet hanc causam indicat c. 16. 1. Cùm autem in cœlum abijsset necesse fuit alterũ mittere. Theod. & Theoph. dicunt non ipsam personam Spiritus sancti, sed eius dona significari. Alij personam. vt Ruper.

40. 41. 42. 43. *Ex illa ergo turba, cùm audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est vere Propheta. Alij dicebant: hic est Christus. Quidam autem dicebant: nunquid à Galilæa venit Christus? nonne Scriptura dicit quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum.*] Quid ex Christi doctrina consecutum sit, variæ turbæ opiniones extiterunt. Quidam dicebant eum esse Prophetam non qualemeumque, sed illum, cum artic. quem venturum sperabant c. 1. Alij maiora sentiebant, *Hic est Christus.* Huic confessioni quæ vera erat alij opponebant Scripturas: quia Christus ex semine Dauid & de Bethleem venturus erat. At Christum Galilæum putabant ignorantes eum natum fuisse in Bethleem, de semine non dubitabant, quia sciebant esse de familia Dauid. Deesse credebant locum, natiuitatis Facta igitur est rixa & dissensio inter eos qui de turba erant, singulis suas defendentibus partes. Lux & veritas erat in tenebris densissimis, donec à luce vincerentur.

44. *Quidam*

44. *Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo misit super eum manus.*] Et hi de turba erant, sed omnium pessimi, qui superius dicebant: *Seducit turbas.* Hi apprehendere voluerunt Christum, sine auctoritate vlla: sed repressus est eorum impius conatus diuina Christi virtute tempus statutum expectantis. Ex Alcuin.

45. *Venerunt ergo ministri, ad Pontifices & Pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?*] Ministri qui à Pharisæis & Sacerdotibus missi fuerant, ante diem hunc octauum festiuitatis, vt Christum comprehenderent, quibus Dominus locutus est quæ explicauimus, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, &c. tamen illo die nihil tentauerunt facere, miris Domini verbis allecti. Expectarunt autem sequentem diem hunc, quando adhuc mirabilem Domini doctrinam perceperunt. Responsum autem iam differre non valentes ad eos à quibus missi sunt re omnino infecta & intentata reuertuntur. Videntes autem Pontifices & Pharisæi eos venientes, nec quod in mandatis habuerant executos esse, dicunt eis: Qua de causa non adduxistis illum? Abeuntes vt eum ligarent redierunt ligati miraculo ait Chrys.

46. *Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo sicut hic homo.*] Exponunt ministri causam cur non adduxerint, nempe innocentiam & doctrinæ virtutem, cuius tanta efficacia non solum furorem ministrorum repressit, sed animos eorum ita etiam effecit constantes, vt omni postposito timore ad Pontifices & Pharisæos reuertentes, nullam excusationem prætexuerint, non potuimus, timui-

mus turbam, sed liberè veritatem annuntiarunt, quos nulla adhuc miracula traxerant. Magnum inuidiæ & cæcitatis illorum, qui eos miserant, fuit argumentum: qui multa viderant miracula, sæpe docentem audierant. Ex Chrys.

47. *Responderunt Pharisæi: Nunquid & vos seducti estis?*] Sicut multi ex turba vos. q. d. Qui à nobis missi estis vt illum comprehenderetis, qui nobis potiùs quàm illi credere debebatis, seducti tamen ab eo estis, debuerant potius interrogare ministros quid ille dixisset, quòd sic mirati non prehendissent: sed excæcati odio non id rogant, sed quasi certo scientes nihil eum magnum & admirabile dicere potuisse, ministros obiurgant, quod seducti sint, quod nimio erga eum studio admirentur, quæ non modò non sunt admiranda, verùm etiam reprehendenda vt notat Chrys.

48. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?*] Q. d. si Christus esset, Pharisæi, & legisperiti, & Iudæorum nobiles, qui iudicio pollent, eum recepissent: nam ex lege ipsa Christus agnoscendus est. Et rectè argumentabantur si isti legem obseruassent, & non odio, inuidia, auaritia, ambitione obcæcati essent: à quibus vitiis turba magis libera lumen veritatis facilius susscepit. Aliqui etiam crediderunt vt Nicodemus: sed quia occulti erant, propterea dicitur neminem credidisse ex principibus & Pharisæis. Ex Chrys. & Aug.

49. *Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.*] Maledictum incurrisse turbam credentem declarant, quòd Deus contra legem

non

non obseruantes inflixit, vt ait Tol. Deut. 27. Hoc etiam argumento ministros à credendo deterrent, ne & ipsi maledicti sint; quin potiùs ipsi maledicti qui nec legem obseruabant, nec eos qui obseruare studebant permittebant, & contra legis auctorem insurgebant, sicut cæco illi Io. 9. Ex Chrys.

50. *Dixit Nicodemus ad eos (ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat.*] Inter tot persecutores aderat ex Pharisæis defensor vnus, occultus tamen. Non dubium quin ille Nicodemus nomine voluerit Christum à principū & Pharisæorum furore liberare: sed ita vt non id agere videretur, ne si suspectus esse cœpisset, causam perderet. Crediderat in Christum, & ab eo institutus fuerat: redierat tamen ad officium Pharisæi, Christo, vt fas est credere, permittente, vt esset etiam apud hostes qui se defenderet: Non profitebatur se discipulū Christi sed Pharisæum, siue metu Iudæorum, siue vt magis ea ratione Christum iuuaret. Conuenit hoc Christo scienti ex malis bonum elicere: ipsis verò Nicodemis an conueniat illi viderint. Tutius est esse publicum Christi professorem. Verbum autem defensionis generale est, lex nostra non damnat aliquem prius quam audiat ipsum ore loquentem; vos Christum non audistis, nec ab eo audiuistis quid faciat, quid doceat: non igitur damnandus est non auditus. Tacitè eos legem transgredi indicat. Ex Chrys. Sunt qui putant ad locum Deut. 17. alludi. At nihil videtur tale præcipi. Fortè nullum scriptum testimonium, sed consuetu-

dinem citat legis, quæ neminem nisi auditum damnat. Nec tam scripta lex quàm naturalis apud omnes.

52. *Respondérunt & dixérunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit.*] Sicut ille. Nō ignorabāt Nicodemum Galilæum nō esse: sed indicāt eum adeo in Christum esse propensum vt si Galilæus esset. Non appellant Galilæum quasi Christi discipulum sicut Iulianus Christianos Galilæos appellabat: sed Galilæum dicunt quia Galilæi partes ageret: vel à Galilæo seductus, vt ait Aug. Quod dicunt, *à Galilæa propheta non surgit*, ideſt nec Propheta extitit vllus, nec secundùm Scripturas vllus extare debet de Galilæa. Certum ergo est cùm hic Galilæus sit Prophetam non esse. Omnes igitur qui eum recipiunt vt Propheta maledicti sunt, & ipse qui se Prophetam facit damnabilis est; nec vlla est opus discussione. Ineptum argumenti genus: nam non constat nullum ante Prophetam Galilæum non fuisse, quia Debora prophetissa existimatur Galilæa ex tribu Nephtalim. Deinde si constaret malè inde concluderetur, nullus ex Galilæa prius Propheta extitit, ergo nullus deinceps extare poterit. Eodem enim concluderetur, nec Eliam prophetam fuisse: nec qui primus in aliquo loco fuit, quia ante illum nemo propheta fuerat: nec locum vbi natus est, sed vbi conuersabatur attendebant ait Alcuin.

53. *Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.*] Multum prodest verbum iustitiæ & veritatis. Ecce breuis Nicodemi sermo totum dissoluit consilium. Etsi non obtinuit vt mutarent,

tarent, tamen effecit vt differrent sententiam: re enim infecta vnusquisque in domum suam se recepit. Hic vers. desideratur in Græco.

CAPVT VIII.

Adulteram mulierem absoluit: Iterum docet in templo, & lapidantium se manibus eripit.

1.2. *Iesus autem perrexit in montem Oliueti: Et diluculo iterum venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos*] Abeunte vno quoque in domum suam vt dixit in fine cap. præced. (erat enim iam diei terminus) Dominus propria carens domo, & à nemine inuitatus in montem Oliueti egressus est. Ibi autem pernoctans diluculo venit iterum in templum, hominum salutem esuriens. Et cùm populus doctrina eius mirè allectus ad eum veniret, sedens eos docebat. Modò stans, modò sedens docet: nam superius magno festiuitatis die stabat; quando aliquid vehementer & insolita voce proferendum erat, stabat. Historia hæc tota adulteræ, in multis olim Græcis & Latinis codicibus desideratur. Itaq; solet inter recentiores interpretes de eius auctoritate disputari. Sed iam non licet post Conc. Trid. in quo liber Ioannis integer prout in consueta editione Latina habetur, sacer declaratur, & canonicus. Igitur hæc historia canonica est censenda. Ians. Mald. & Tol.

3. *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dicunt ei*] Vtrique veniunt vt illi scientiam, hi religionem Christi tentent. Vna enim hæc causa vtrumque complecteba-tur. Turbæ veniunt vt discant, Scribæ & Pharisæi vt decipiant: illæ docentur; hi confusi recedunt. Statuunt in medio tanquam ream fingentes se Christi iudicio stare velle, nō adulterum sed adulteram, fortè vt Christi tentarent pudicitiam: Vel quia facilius erat illis adulteram quàm adulterum capere: Vel quia putarent facilius Christum mulieris quàm viri commiseratione à præscripto legis & recto iudicio recessurum: animaduerterant enim eum nimium esse mitem ait Aug.

4. 5. *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Mosis mandauit nobis huiusmodi lapidare; tu ergo quid dicis?*] Gr. in ipso actu in flagranti delicto, vt inficiari non possit nec opus sit testium prolatione. Addunt Mosis legem Leuit. 20. qua sancitum est adulteros & adulteras vna occidendos seu lapidibus obruendos esse, ex traditione, vt Dan. 13. vbi de Susanna: ac tum demum eius sententiam requirebant. *Tu ergo.* q.d. Tu legem Mosis declaras, tu Sabbato infirmos mederi posse non minus quam circumcisionem fieri, nec legem solui doces, tu Christus esse diceris; cùm ergo hæc facias in hoc casu quid sentias doce. Magistrum vocant vt honorifico verbo fraudem suam tegant: vt Mat. 12. & 22. Ex Ianſ.

6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.*] Discendi gratia finxerant se interrogare & sententiam eius petere: at non

non sic erat sed tentandi gratia veniebant, ideſt experiendi, num eam eſſet contra legem abſoluturus, vt ſi hoc faceret poſſent eum accuſare tanquam manifeſtè cõtrarium legi diuinæ. Viderant ipſius erga peccatores indulgentiam; audierant ipſum dixiſſe quibuſdam *Remittuntur tibi peccata tua.* Rurſum eum dixiſſe aliquoties, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Hinc certò ſibi perſuaſerunt omnino futurum vt hanc adulteram abſolueret: ſicque haberent vnde accuſarent eum. Immo ſperabant futurum vt pro muliere tumultu oborto, lapidibus obruerentur ipſe. Ex Ianſ.

Ieſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.] Neutrum reſpondit, nec lapidandam eſſe, nec non lapidandam: ſed facto ipſo eos non zelo legis, nec ad interrogandum, nec ad iudicium legis in adulteram exequendum motos eſſe reſpondet. Dum enim inclinans ſe digito ſcribebat in terra, illos legis eſſe tranſgreſſores, & cor eorum à Deo receſſiſſe ſignificat, alludens ad illud Hier. 17. *Recedentes à te in terra ſcribentur.* q.d. Vos accuſatis mulierem deprehenſam in adulterio, qui profectò maiora ſcelera commiſiſtis. Vos zelum legis & Dei prætexitis qui grauius contra legem & Deum quàm hæc mulier peccatis. Vel quod ſe humiliando in terra ſigna faceret ait Aug.

7. *Cum ergo perſeuerarent interrogantes eum erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrũ primus in illam lapidem mittat.*] Non intelligentes Chriſti factum, & ſtudio tentandi ſolliciti interrogare perſeuerabant: at Dominus factum ſuum verbis exprimit, & ita prudenter reſpondet vt & legem non offendat, & potentiam

tiam, quam supra legem habebat, mulierem absoluendo exerceat: si enim diceret soluendam, contra legem illis visus esset agere: Si diceret damnandam, nihil supra hominem se habere significaret; vtrumque igitur sapienter coniunxit. *Qui* inquit, *est vestrum sine peccato, lapidem primus in eam mittat*: Indicans eos, aut idem aut non minora peccata habere: Non vetat expressè mittere lapidem, & ideo non habent aduersarij, quod accusent: sed cum qui sine peccato est, incipere iubet, & nemo audet lapidare. Absoluitur mulier, & lex non læditur Mosis. Ex Aug.

8. *Et iterum se inclinans scribebat in terram.*] Dat illis spatium elam & sine rubore discedendi: dum vnusquisque propriam respicit conscientiam. Ex Greg. 9. Moral.

9. *Audientes autem hac vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remãsit solus Iesus & mulier in medio stans.*] Idest, alius post alium. Non simul, ne victi atque confusi fugere viderentur; sed sensim ac sigillatim, quasi suo quisque consilio discederet, sumpto à senioribus initio: vel quod ipsi plura haberent crimina: vel quia priores vim intellexerant sententiæ, quasi prudentiores, & cœperunt sua peccata deflere qui aliena venerant accusare: Relicti sunt ergo duo miseria, & misericordia ait Aug.

10. *Erigens autem se Iesus dixit ei: Mulier vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit.*] Petit non quia ignoraret, sed vt ostendat modum quo illam liberam pronuntiet. Liberatur enim non quia non peccauerat, sed quia accusator deerat.

11.

11. *Qua dixit: nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo, vade & iam amplius noli peccare.*] Non dicit, ego te absoluo, ne illi contra legem feciſſe arguere poſſent, ſed rem eandem aliis exprimit verbis: *Nec ego te condemnabo*, non vt illi qui propria remordente conſcientia iudicium ferre nō ſuſtinuerunt, ſed diuina mea miſericordia & ſimul potentia, quam ſupra legem exerceo, nec legis Moſaicæ præceptis iſtis aſtringor. At ne hæc indulgentia ſit tibi licentia peccandi, vade quidem libera à pœna, ſed deinceps à peccato abſtine. Ergo & Dominus damnauit ſed peccatum, ait Aug.

12. *Iterum ergo locutus eſt eis Iesus dicens: Ego ſum lux mundi qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*] Peracta Iudæorum tentatione & concione propter adulterę quęſtionē, iterum Dominus ſuam doctrinam perſequitur. Particula, *ergo*, aliam cauſam & illationem indicat; nimirum cùm poſt miram illam doctrinam, *Si quis ſitit*, quam die præcedēti docuerat, & turbas ita commiſcuerat, vt alij prophetam, alij Chriſtum eſſe proclamauerint: Phariſæi autem & Scribæ id negauerint, dicentes eſſe Galilæum, nec à Galilæa Prophetam ſurgere: ideo in hac varietate & diſſenſione quis ſit apertè docet dicens: *Ego ſum Lux mundi:* non Iudææ, non Galilææ, ſed totius mundi. Quo ſenſu dicatur Lux diximus cap. 1. Et ad doctrinam ſuam exhortatur dicens: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Et fructum ponit quo allicit, *Habebit lumen vitæ.* Senſus igitur eſt, qui me non ſequuntur in tenebris ambulant, neſcientes æternæ vitę viam:

quia alia non est lux præter me, quæ viam ostendit æternæ vitæ. Ex August. & Chrysostomo.

13. *Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum nō est verum.*] *Ergo*, Ideſt, quia ſe mundi lucem prædicabat, Pharisæi obiiciunt teſtimonium eius non eſſe verum, ideſt, non eſſe legitimum, pro vero non eſſe habendum, cùm de ſeipſo teſtimonium perhibeat: quaſi paralyticus ille natura inſanabilis non fuerit teſtimonium efficax diuinitatis. Et multos teſtes non præmiſerit antequam in carne appareret ait Alcuin.

14. *Respondit Iesus, & dixit eis: etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quò vado.*] Euertit quod dixerant ait Chryſ. Etſi ego, inquit, teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, ideſt, quamuis verum ſit me teſtimonium perhibere de meipſo, tamen verum eſt teſtimonium meum. Et probat, quia ego *Scio vnde veni & quo vado.* Ideſt, ego teſtimonium perhibeo ex ſcientia, non ex ignorantia, non ex opinione, nec ex auditu: certa & aperta loquor. q. d. Principium mei aduentus ſcio. Et quia hæc ſcio propterea dico me lucem eſſe mundi: ſcio enim me eſſe Dei filium qui carnem ſumpſi, vt viam ſalutis facerem hominibus, & eos docerem: ſi enim talis non eſſem, lux mundi non eſſem. At ſum talis, & quia ſcio me talem; propterea teſtificor, & meum teſtimonium verum eſt, quia ex ſcientia loquor. At vos neſcitis hæc: ideo meum reiicitis teſtimonium. Verum eſt teſtimonium luminis ſiue ſe oſtendat, ſiue alia ait Aug.

15.

15. *Vos secundùm carnem iudicatis, ego non iudico quemquam: si ego iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.*] Persequitur probare suum testimonium esse verum, & idoneum, & differentiam inter se & eos ponit. Vos secundum carnem iudicatis, ideſt, secundum sensus & quæ apparent exterius. Supplendum est, ideo vestrum testimonium non semper est verum, nec idoneum, ob id etiam non accipitis testimonium vnius. At ego non iudico, nec ista iudicia exercere veni, sed homines saluare, & à peccato liberare. Quod si iudico nempe dum meipsum profero testem me esse Christum, & lucem mundi, meum testimoniũ est verũ & idoneum: non vt vestrũ quia non carnaliter iudico, sed secundũ naturã diuinam, in qua solus non sum, sed ego & Pater; & in hoc etiã verũ est testimonium & idoneum cum sit duorum. Alij interpretantur non iudicare, ideſt, quamuis iudicandi habeat potestatem, nolle tamen eam exercere vsque ad secundum aduentum suum cùm venerit ad iudicandos viuos & mortuos, nunc non ad iudicandos sed liberandos homines veniſſe, c. 3. ex Chryſ.

17. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater.*] Confirmat sententiam propter illos testimonio Scripturæ Deut. 17. & 19. Ecce duo sumus ego & Pater: & ram ego quàm Pater de meipso testimoniũ perhibemus. Sunt qui ex his verbis colligunt Christum de se nunc tanquam Deum; nunc tanquam hominem loqui; nam tanquam

Deum de seipso, tanquam hominem testimonium perhibere; ratione diuinitatis per opera ipsius diuinitatis propria reddebat testimoniũ de se homine, probando sub illa humanitate Deum latere, vt c. 5. 31. Cumque eumdem se & Deum & hominem esse dicat, de meipso inquit, indicat profectò vnam tantum esse personam, naturas duas. Hic locus contra Sabellium personarum distinctionem conuincit: nec enim duo essent testes, si vt Sabellius volebat sola esset inter Patrem & filium nominum differentia, vt contendit Aug.

19. *Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus?*] Fingunt se carnaliter & sensualiter hæc intelligere, quasi Patrem aliquem allegaret qui simul cum eo testimonium perhiberet. Ipsius testimonium audire velle fingentes, cum tamen scirent Deum appellare Patrem, & ideo interficere studebant. Io. 5. Fingunt verò vt aliquid ab eo clarius elicerent quod traherent in calumniam, vt videlicet apertè diceret Patrem suum esse Deum, vt eum accusarent aut potius lapidarent.

Respondit Iesus, Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.] Respondet prudenter Dominus: suam enim diuinitatem & verum Patrem indicat veritatémque rei sic aperit, vt omnes intelligant, & tamen ex verbis calumniandi occasionem nemo possit accipere. q.d. Oportebat vos priùs scire me, vt me agnito Patrẽ meũ, quem mei testem vobis obtuli, nosse possetis. At vos nescitis me aliam scilicet habere naturã quàm quæ foris videtur; nec ergo scitis Patrẽ meum secundum scilicet hanc naturam quam nesci-

tis, nec creditis. Vnde non est cur interrogetis *Vbi est Pater?* non enim eum agnoscetis nisi prius me noscatis. Si me, quis sim, sciretis, credendo, vtique me esse Dei filium, & me Deum habere Patrem crederetis, neque vobis opus esset interrogare, *vbi est Pater* tuus? me enim agnito agnoscitur & Pater. Illud, *forsitan*, non est dubitantis, sed affirmantis. Vel increpatiuè dicitur ex Aug.

20. *Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.*] Concionis locum notat Euangelista eo consilio vt indicaret Christum ea quæ suprà commemorauerat in maxima hominum frequentia disseruisse, tamen capi ab illis non potuisse, quia nondum venerat hora eius, ideſt, quia noluit capi antequã constitutũ sibi moriendi tempus aduenisset. Significat Euangelista Iudæos intellexisse Christum Patrem suum Deum esse dicẽtem: & cum occasionem apprehendendi haberent neminem ausum fuisse, non quia nollent, sed quia Christus noluit: docuisse igitur nõ in obscuro loco, sed in templo, nec in angulo quopiam templi, sed in loco hominum capacissimo, in gazophylacio, ideſt, iuxta gazophylacium, ideſt, arcam denariorum quæ erat in atrio maiore. Potest etiã accipi pro ipso atrio. Omnibus autem offerentibus oportebat Iesum munera portare quæ erant verba vitæ æternæ ait Orig.

21. *Dixit ergo iterum eis Iesus.*] *Ergo* causam indicat q.d. Cùm Iudæi doctrinam intellectam negligerent, & magis cuperent eum apprehendere, idcirco hæc verba cõminatoria quæ c. 7. pronuntia-

pronuntiauerat contra eorumdem ministros; nimirum, *Ego vado, quaretis me, &c.*

Ego vado, & quaretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado vos non potestis venire.] Frequenter de suo ex cœlo aduentu, déque suo in cœlum reditu loquitur, vt terrorem Iudæis incutiat: vt Mat. 24. & 26. & c. 7. 33. vel quia Iudæi volebant ipsum ante tempus occidere. q. d. Non est quod me vos ad mortem quæratis, ego sponte cùm tempus venerit, quod admodum breue est, iturus sum; itaut etiamsi errabundi quæratis me non inueniatis; sed quod peius est *in peccato vestro moriemini*, incredulitatis, & in iis omnibus quæ vltra hanc incredulitatem perpetrastis, cum nullius peccati venia sine fide in me obtineri possit. Singularis est pro plurali. Quærere Deum est quærere veritatem ex Orig.

22. *Diceba-t ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit; quo ego vado, vos non potestis venire.*] cap. 7. 35. Cum idem diceret, similiter dubitarunt, sed illic iturum ad Gentes, vt eas doceret, suspicati sunt: hic quia viderant coniecturam illam non processisse, aliam ineunt suggerente odio, fore vt seipsum occideret: sic enim euaderet manus illorum. Tanto enim desiderio flagrabant eum occidendi, vt non aliter Christum euadere manus eorum posse crederent, quàm per mortem sibi illatam à seipso. At quo ego vado, dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ipse ibat post mortem vt notat Aug.

23. *Et dicebat illu, Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*] Vos de deorsum estis, ideſt de

de terra, idcóque non nisi terrena sapitis: putabant enim eum de sua occisione loqui, vt patet Chrys. Ego non sum de terra, sed de cœlo: ideóque de meo itu dixi, de reditu in cœlum. Ruper. verò existimat reddi causam, non cur Iudæi non intellexissent, quod Christus dixerat, sed cur non possent ire quò Christus iturus erat, quia terreni erant & nimis graues. Alij dicunt esse continuationem sermonis, & apertioribus verbis exponi illud, *Quo ego vado vos non potestis venire*: quia & natura & affectu mundi huius erant: propterea quo Christus ibat ipsi venire non poterant, ex Aug.

24. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*] Q. d. Propterea dixi vobis fore vt in peccatis vestris moreremini, quia scio vos terrenos esse, ideóque in me non credituros, quia sermo meus non capit in vobis. Dicit, nisi credideritis, quia sũ de supernis. vel absolutè, idest quia ego sum qui sum, quod propriũ est Dei. Exx. 3. Vel simplicius, nisi credideritis quia ego sum Christus, quem me esse profiteor, quem Prophetæ vobis promiserunt. Credo in illa multitudine quæ Dominum audiebat & eos fuisse qui crediturí erant quasi in omnes autem processerat illa seuerissima sententia ait Aug.

25. *Dicebant ergo ei: Tu quis es?*] Quoniam absolutè dixit, *Ego sum*, nec explicauit quis esset, interrogant Iudæi quasi nihil hactenus viderint aut audierint vnde scire possent quis esset: ex Chrys. vel dissimulantes se scire: vel per contemptum q. d. Quid de te magni dici potest? Iansſ.

Dixit

Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor vobis.] Respondet interrogationi, verbi prædicti significationem magis exprimens. *Principium*, inquit, sum. Nomen *principium* positum est Gr. per modum aduerbij, q.d. à principio ego sum, qui nullo concludor tempore: apud quem nō est fuisse & fore, sed semper esse. *Qui & loquor vobis*, ideſt, qui etiam hoc ipsum vobis annuntio & prædico, quando dixi, *ego sum*. Non ergo Iudæis interrogantibus responsionem negat, nec alia ab iis quæ dixerat profert, sed idipsum repetit clariori sermone: qui enim à principio est, semper est, solúsque dicere absolutè potest, *ego sum*. Nec hoc etiam Iudæi intellexerunt. Aduerte ibi à principio intelligendum verbum *sum*. Non solum quia interrogatus, *Quis es?* verbúmque interrogationis solet in responsione suppleri; sed etiam quia Hebr. est. Alij, *ego sum*, id quod vobis à principio loquor, ideſt, quod iam ab initio, quod semper vobis dico, semper dixi vobis me esse Christum, me esse filium Dei, ab eo ad liberandos peccatores missum, panem vitæ, lucem mundi, &c.

26. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.*] ideſt multa habeo quæ possim de vestris moribus dicere, ac iudicare, ideſt, conqueri, q.d. Non tantum doctor & saluator sum, sum etiam iudex & ad me pertinet iudicare vos. Terret eos Christus, ne impunitam putent suam incredulitatem futuram. ex Aug.

Sed qui me misit verax est. Et ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo.] Exponit causam cur modò non loquatur de eis hæc multa, & cur eos non iudicet. q. d. Deus verax est; quæ promittit facit: promisit autem me

priùs

prius vt mundum saluem, non vt iudicem, missurum: cùm ergo verax sit oportet me non iudicare, nec damnare, nec accusare modò, sed saluare, vt quod promisit Pater impleatur, & sit verax in sermonibus suis. Hæc est causa cur modò non loquor, nec iudico multa quæ de vobis habeo. Attende verba, *quæ audiui & loquor*, Christo conuenire ratione diuinitatis. Nam cùm dicit, *quæ audiui ab eo*, insinuat se audiuisse antequam veniret in mundum, tamen in rigore possunt accomodari Christo ratione humanitatis: audiuit enim vt homo à Patre quæ loquebatur. Io. 12.

27. *Et non cognouerunt quia Patrem suum dicebat Deum.*] Christus significauit se Patrem habere Deum, Iudæos verò non intellexisse notat Ioannes, vt significet Christum verè respondisse ad interrogata: non tamen ita expresè & clarè, ne Iudæorum furorem vehementius inflammaret.

28. *Dixit ergo eis Iesus; Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.*] Prænuntiat Christus se ab eis crucifigendum, & tunc eos cognituros quis esset. Quando, inquit, in cruce me vt hominem exaltaueritis, tunc cognoscetis quia ego sum, i. me esse filium Dei: humanitate enim mea pro vos morti tradita tunc velut referabitur diuinitas mea. Et ita factum est: à morte enim Iudæi inceperunt cognoscere filium Dei fuisse quem crucifixerãt ex signis mirabilibus quę in morte operatus est. Luc. 21. & Act. 2. & Matth. 28. Mortem crucis exaltationem vocat. Ex Aug. & Chrys. Quia in altum erigebatur qui crucifixus.

crucifixus erat. Quod sequitur, *& à meipso facio nihil*, sed sicut *docuit me Pater, hæc loquor*, de Christo intelligitur, qui quatenus homo est, audit, quia scientia humanitati infusa est à Deo: vt Deus autem quia vnà cum essentia accepit scientiam ab æterno. Verba hæc magis ad doctrinam referuntur. Io. 7. priora autem ad personam: vt sit sensus. *Tunc cognoscetis & me & doctrinam meam*: rursus ad humilius sermonem reduxit. Ex Chrys.

29. *Et qui misit me mecum est. Et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*] Ne intelligeremus eum sic esse à Patre missum vt ab eo sit destertus, propterea addidit, se sic missum esse à Patre, vt semper sit cum Patre: ita operari vt filium, vt simul Pater cum eo operetur: ac si clariùs dixisset, ego sum filius Dei, vnius & eiusdem potentiæ cum ipso: cuius vna est indiuisa essentia, potentia, & operatio. Ne igitur quia me hominem videtis Patre minorem factum putetis, aut diuinitatis detrimentum passum cogitetis Pater mecum est, mecum operatur. Rursus ne imaginemini diuinitatem diminutam in humanitate: sum enim ita homo vt sim integrè & perfectè Deus cum Patre, sic sum cum Patre vt numquam me solum reliquerit, vt ad tempus sanctos reliquit, Moysem, Dauid, &c. Et ex effectu probat, quia quæ placita Patri sunt facio semper, vt Io. 5. & quæ simul operatur: propterea solus non sum. Aug. Loquitur ratione diuinitatis: vel ratione humanitatis, quia nihil facit vt homo quod non sit operatio diuinitatis, quæ communis est Patri & filio. Ex Euthym.

30. *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.*]

eum.] Non propter signa, non propter argumenta, sed simpliciter docente & tam ardua & profunda tradente, non vnus aut alter sed multi crediderunt, fide adhuc imperfecta & initiata. Numquam desunt apes quæ ex floribus verbi Dei mel sugant, vtcunque inde aranetæ venenum hauriant. Iansſ.

31. *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudæos. Si vos manseritis in sermone meo verè discipuli mei eritis.*] Vt hos in fide iam cœpta Dominus promissionibus confirmaret, tali ad eos exhortatione vsus est: Si permanseritis in ea fide quam sermone meo concepistis, i Eritis verè discipuli mei Hoc dicit propter eos qui crediderant, sed citò recesserant. De quibus Io. 6. Ille enim est verus discipulus qui permanet non qui citò recedit. Iansſ & Tol.

32. *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*] Ne parum putarent esse discipulum eius, adiecit secundò: cognoscetis veritatem, nō quācumque, sed cœlestem & diuinam, in qua hominum est salus, hæc ipse est Christus. Io. 14. & quia ipse est doctor cœlestis doctrinæ, & quia ipse est quem vmbræ & figuræ legis significabant, ipse est in quo & per quem omnes Dei promissiones Patribus olim factæ implentur. Si ergo vos permanseritis in fide sermonis mei, tanquam veri discipuli docebimini, & cognoscetis me, qui sum cœlestis doctrinæ doctor: cognoscetis in me & per me omnia, quæ figuræ & vmbræ legis vestræ significant, & eum in quo sunt Dei promissiones. Et ne quis parū esse duceret cognoscere veritatē, tertiò adiecit Dominus, *& veritas liberabit vos*: vos in libertatem vindicabit vt si non delectat veritas,

tas, delectet libertas. Nam hæc liberatio non est à periculis sed à seruitute, qua credentes à statu seruorum, in statum adoptionis filiorum liberantur. Quod est ingenuum & liberum facere. Gal. 4. Quæ libertas tres libertates continet, nempe à lege veteri, peccato, & corruptione. Ideo Christus dictus est veritas, quia vmbras remouet legis, eius figuras terminat, & promissiones implet. Ideóque ab eius seruitute liberat, i. liberos facit. Ex Aug.

33. *Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus & nemini seruiuimus vnquam; quomodo tu dicis: Liberi eritis?*] Iudæi siue illi qui priùs in Christum credidisse dicuntur, vt intelligamus eorum fidem admodum fuisse infirmam, siue potiùs alij secundum Aug. Qui necdum crediderant, cum propter suam carnalem hebetudinem non intelligerent Dominum loqui de libertate spirituali, sed de corporali, qui propter superbiam, qua sibi placebãt in maiorum suorum nobilitate, non ferrent libertatem sibi tanquam seruis promitti, responderunt indignabundi: *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam*, i. sumus ingenui ex ingenuis prognati. Nec solùm ingenui, sed etiam nobiles, & nullius vnquam serui fuimus: quomodo ergo tu libertatem nobis promittis quasi serui simus manumittendi? Dominus illos duobus nominibus taxauerat, & quod veritatis essent ignari, & quod seruitutem seruirent. Illi verò prius dissimulant, in quo magis eos conueniebat turbari: ad id autem quod leuius erat & minoris momenti, stomachantur. Si quidem veritatis ignorantia mentis vitium est, seruum esse fortunæ malum est, non

animi.

animi. Magis autem ostendit eorum superbiã, quod non verentur falsissimè dicere, *Nemini seruiuimus vnquam*: seruierant enim Ægyptijs olim, seruierũt postea Babyloniis: & tunc cũ ista dicebant Romanis seruiebant. Iansſ. Nisi dicamus non de ista eos seruitute loqui sed de ciuili, quam venalia mancipia seruire solent. Caiet. dicit non de tota posteritate sed de se solis loqui. Multi Christiani his Iudæis similes sunt: si adulteria, si homicidia illis obijcias nihil commouentur,: si genus attingas illic furere, illic ignominiosè cædere, illic occidere. Sunt qui putant Iudæos maligno & captioso animo dixisse, *Nemini seruiuimus vnquam*. Speratantes fore vt Christus responderet. Quid ergo? nonne Romanis modo seruitis? vt ansam acciperent eum accusandi, quasi populi Dei sub Romanis seruitutem approbaret. Sic Ruper. Iansſ. & Mald.

34. *Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.*] Eos docet Dominus de ea seruitute se locutũ fuisse quam ipsi maxime seruirent, minimè verò animaduerterent, quæque omnium miserrima & durissima esset. Dixit, *omnis*, vt nullum cuiuscumque conditionis esset, excíperet: etiamsi filius Abrahæ sit, etiamsi nemini vnquam seruierit. *Qui facit peccatum seruus est peccati*: vt Ro. 6. 14. 2. Petr. 2. 19. Prouerb. 5. 22. Vos facitis peccatum, ergo serui estis peccati. Primam partem probat: Seruus non manet in domo. Illam autem mediam partem, nempe, vos facitis peccatum, confirmat; quia quæritis me interficere sine causa, vt declarabimus. Attende per peccatum arbitrium homi-

nis

nis manere seruum peccati & dæmonis, quia non habet potestatem, nec vires vt resistat peccato & dæmoni: nisi enim diuinum adsit gratiæ auxilium, in eo est statu vt nequeat à peccato se sua virtute purgare, nec valeat omne in posterum cauere peccatum, nec omnem dæmonis vincere tentationem, sed succumbere necesse est nouis peccatis. Hoc est quod dominari & regnare peccatum vocat. Ro. 6.

35. *Seruus autem non manet in domo in æternum; filius manet in æternum.*] Parabola est hic sermo, qua confirmat assertionem præcedentem, Qui facit peccatum seruum esse peccati. Et confirmatio hæc est: Serui est non manere in domo Domini in æternum, aut saltem non habere ius manendi in domo semper. At filij semper manent aut ius habent manendi. Cum igitur peccator non maneat in domo Dei in æternum, quia quamuis ad tempus sit de populo Dei, & de eius Ecclesia, tamen mittendus est in tenebras exteriores damnationis & inferni: filius autem semper manet in domo, quia semper ad populum Dei, & Ecclesiam pertinet, & post seculum hoc in cœlestem recipiendus est domum. Ergo qui peccatum facit seruus est. Attende in Ecclesia Dei peccatores quamuis exterius dominentur: sunt tamen tãquam serui: at iusti vti filij apud Deum. Greg. l. 31. Mar. cap. 10. Vel Christus probare voluit, non posse quemquam nisi filium eos liberare, cum filius maneat in domo in æternum. Sic Leontius.

36. *Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*] Concludit quod s. d. nempe liberandos esse qui credunt in eum. Cùm igitur, inquit, serui

serui sitis, tunc profectò liberamini cùm filius vos liberauerit : filius enim Dominus est, & Domini est liberos facere seruos. Se sub tertia persona filium vocat, Dei, qui potens est à seruitute etiam peccati liberare. Tacitè etiam insinuat à seruitute legis laborandos, & hoc est quod dicit, *Verè liberi eritis*, si vos filius liberauerit, id est eritis filij adoptionis Dei facti per me qui sum filius verus & naturalis. Gal. 4. Dicit *verè*, ideſt perfectè vt indicet 1. libertatem quã iactabant, non quod filij essent Abrahami, veram non esse. 2. non posse eos alia ratione veram consequi libertatem nisi eos filius liberauerit. 3 libertatem humanam & ciuilem esse imperfectam, quæ potest admittere secum seruitutem peccati. Ex hoc loco Christum esse filium Dei naturalem non creaturam, cum ipsius sit à seruitute liberare, probat Athan. ser. 3. cont. Arri.

36. *Scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.*] Supererat illa assertio media, nempe, vos facitis peccatum, hanc nunc confirmat. q. d. Parum vos iuuat esse semen Abrahæ : scio quidem vos esse illius semen, tamen quæritis me interficere, sine culpa, nam nulla alia de causa id facere vultis nisi quia meum sermonem non vultis recipere: hoc autem graue est peccatum: non ergo dixi vos seruos quia sitis filij seruorum, scio enim quia estis filij Abrahæ: sed propter iniquitatem quam perficere paratis & quæritis : hoc autem Abraham non fecit : nec in hoc filij aut semen eius estis : neque hæc libertas impedit, quo minùs serui sitis propter peccatum. Dicit sermo meus non capit in vobis,

bis, i. locum non habet in vobis: pleni quippe estis odij & inuidiæ: ita vt sermo meus nullum locum inueniat in vobis, metaphora ducta ab amphora. Vel vt indicaret sermonis & doctrinæ ipsius magnitudinem. Sic est sermo Dei fidelibus tanquam piſci hamus, tunc capi quando capitur, ait Aug.

38. *Ego quod vidi apud Patrem, loquor, & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis.*] Defendit suam doctrinam, ne in eam non in Iudæos culpam aliquis referret, cur in eis non capiat sermo. *Ego*, inquit, *quæ vidi apud Patrem*, loquor, i. doctrina & sermo meus est cœlestis & diuinus: nam ea loquor quę apud Deum vidi. His verbis ostendit suam diuinitatem, qui filius Dei est, apud Patrem semper existens, & in essentia vnà cum Patre omnia videns quæcumque vt homo loquitur. Non ergo est vitium in doctrina mea. At vos quæ apud Patrem vestrum vidistis hæc facitis: propterea nõ capit in vobis sermo hic meus. Dominus patrem istorum diabolum intelligit: eos autem quæ faciunt vidisse apud diabolum dicit, quia quæ faciebant diaboli instinctu interiori faciebant: vt Io. 13. & eius exemplo: quia sciebant diabolum innocentes persequi: & simul cognoscebant se iniquè persequi Christum, & consequenter illud esse diaboli opus, scire potuerunt. Ex Orig. & Chryſ.

39. *Respondérunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est.*] Non videntur satis intellexisse quem dixisset ipsorum Patrem, cum dixit, *& vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis*: sed tamen suspicati esse alium aliquem præter Abrahamum intellexisse. Ideo repetunt, *Pater noster*

noſter Abraham eſt, partim vt magis affirment, quod antea dixerant, *Nos ſemen Abrahæ ſumus*: partim vt eliciant à Chriſto ecquem alium patrem ipſorum dixerit. Vel prouocabant vt aliquid diceret mali de Abraham ex Aug.

40. *Dixit eis Ieſus: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite, ideſt, Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit.*] Eos redarguit illorummet verbis. Si, inquit, filij eſtis Abrahæ ipſum imitemini: filiorũ eſt enim patres imitari. At non ſic facitis, nam vos quæritis me interficere, hominem innocentem & benefactorem veſtrum, quia quæ audiui à Deo vobis aperui. Tale opus non fecit Abraham: non igitur eſt quod vos Abrahæ innocentia & iuſtitia tueamini, quia contraria ſunt opera veſtra operibus illius. Attende ex conſequentia verborum apertè deduci patrem ſuum appellare Deum. ex Chryſ. Nam præcedentibus verbis dixit ſe loqui quæ vidit apud Patrem, nunc autem quæ audiuit à Deo. Ergo Pater eius Deus eſt. Videre & audire dicitur tũ quia vt homo ſcientiam communicatam habebat à diuinitate, tum quia vt Deus ab æterno omnia accepit à Patre. Prudenter Chriſtus reſpondet, neque affirmans, neque negans patrem eorum eſſe Abraham, ſed rem in medio relinquens. *Si filij*, inquit, *Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, ideſt; probate vos non verbis ſed factis filios eſſe Abrahæ. vt notat Aug. volens ſuperfluam gloriam de cognatione eis auferre, ſed ſpem habeant in ea quæ eſt ſecundum adoptionem ait Chryſoſt.

41. *Vos facitis opera patris veſtri.*] Dicit

alium patrem habere, cuius opera imitentur. Nam Abraham non fecit quæ isti faciebant. Quis hic sit Pater nondum explicat, & prudẽter; si enim statim aperuisset non ita capaces habuisset rationis; ac dum prius eos ab Abraham auellit, quia ipsum non imitantur, & inde colligit alium eorum esse patrem, quem imitantur, fortius & euidentius concludit diabolum eorum esse patrem. ex Aug.

Dixerunt itaque ei. Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrem habemus Deum.] Nouerant ex his Christi verbis non de Patre secundùm carnalem generationem, sed de spirituali patre eum loqui. Et sicut dum patrem secundum carnem intellexerunt se Abrahæ excellentia defenderunt, & iactarunt, ita & nunc spiritualem patrem intelligentes, Deum se patrem habere gloriantur, & dicunt, non sumus ex fornicatione, ideſt, idololatræ Deos falsos sequentes, sed verum Deum adoramus: & hunc patrem imitationis & spiritus habemus. Non igitur habes quod nobis obiicias, neque secundum carnem, neque secundùm Spiritum q. d. Non vt aliæ gentes falsam Deum colimus: nec vt Samaritani Deum verum simul cum Diis gentium. Patrem ergo suum Deum vocant, non solũ ratione creationis (sic enim omniũ Deus erat Pater) sed etiam ratione cultus & religionis, & ab eo instituti erant. Idololatriam sæpe Scriptura vocat fornicationem. Iere. 3. Ozæ. 2. Ezech. 16. De hac fornicatione locutos fuisse Iudæos indicant sequentia verba, Vnum enim Deum colimus, eúmque pro patre habemus ex Ianſ.

42. *Dixit ergo eis Iesus: si Deus pater vester esset,*

esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi, & veni.] Refellit Christus quod Iudæi modò dixerant se patrem habere Deum, probátque eos ex Deo natos non esse, quia si filij Dei essent, se diligerent, qui & ipse filius Dei sit, ab eóque processerit ac venerit. Duo hæc verbo *processi* & *veni*, multi ita distinguunt vt *processi* referatur ad æternam Christi ex Deo generationem, *veni* ad incarnationem, sic Aug. Alij vtrumque ad incarnationem vt Hil. 7. de Trin.

Neque enim à meipso veni, sed ipse me misit.] Hebraismus est, quod affirmando protulit idem negando confirmat. Non à seipso venit, sed missus à Patre, quia ita homo factus est vt à Deo procederet. Docet etiam legationem suam esse à Patre & qui ei contradicunt Deo contradicere: non autem eum vt patrem imitari concludat. Vel dixit propter quosdam à se venientes & non missos à Patre. ex Origen.

43. *Quare loquelã meam non cognoscitis: Quia non potestis audire sermonem meum.*] In eos inuehitur quod non cognoscant se esse Dei filium à Patre missum, cum habuerint multa argumenta cognoscendi. Et est sensus, vos qui non potestis, seu, Non vultis, meum sermonem audire, sed ipsi maximè aduersamini, cur non cognoscitis meam locutionem esse filij Dei à Patre missi? *Non potestis* non significat impotentiam absolutè, sed voluntatem obduratam & aduersantem: quando enim aliquid facere abhorremus dicimus, non possum hoc facere. Sermo ad totam Christi doctrinam refertur quam isti non poterant audire: at loquela & locutio ad hanc singularem sententiam qua se

à Deo processisse & venisse dixit. Particula, *quia* Gr. quare, idest, propter quid? aut cum: vt Ioan. 2. Ita ex Ianſ.

44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*] Postquam Iudæis & patrem Abraham, & Patrem Deum eripuit: nùc quod priùs significauit apertè pronùntiat, quis eorum sit Pater, simúlque causam cur non audiant sermonem eius exponit. *Vos*, inquit, *ex Patre Diabolo estis*, non Abraham, non Deum sed Diabolum Patrem vestrum habetis; quod inde patet quia studia & mores eius imitari quæritis. Hoc est desideria eius facere, dæmonis instinctu moueri, Filij diaboli dicuntur vel quia ab eo iniquitatem didicerunt, vel quia ipsum sunt imitati. ex Aug.

Ille homicida erat ab initio.] A seculi exordio quando sua suasione primos parentes transgredi faciens mandatum Dei, obnoxios eos, & in eis omnes homines, fecit morti corporali & æternę. Quando rursum & Cain impulit ad fratris occisionem, & infinita postea homicidia ipsius instigatione perpetrata sunt, & quotidie perpetrantur: quod isti imitantur necem Christo iusto meditantes. Quamuis autem sit homicida animarum, tamen hic de nece corporum sermo, quam Christo isti inferre parabant. Et in eo erant diaboli imitatores, Ex Origen. & Aug.

Et in veritate non stetit.] In veritate iustitiæ, in vitæ rectitudine, seu iustitia qua fuerat creatus. Vel in veracitate quæ opponitur mendacio. In hac Deus creauit Diabolum, sicut in aliis virtutibus omnibus: sed non permansit in ea, nam ad mendacium se conuertit, & primos

mos homines mendacio decepit. At Dominus huius meminit quia Iudæi in eo diabolum sicut in homicidio imitabantur : quod Dominus probat vt patrem habere eos diabolum conuincat. Aug. 11. de ciuit.

Quia non est veritas in eo.] Probat diabolum in veritate non permãsisse ex ipso effectu, quia veritas in eo non est, ideſt, mẽtitur, & infinita mẽdacia profert, ideo vocatur Spiritus mẽdax: vel causa quod non stetit in veritate ea est, quia quã veritatẽ accepit, in ea iam non est. Aug. ib.

Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est & pater eius.] Sensus est quia dictum est non esse in eo veritatem, seu ipsum mentiri & mendacia disseminare ; exponit quàm proprium sit, & quàm coniunctum mendaciũ diabolo, postquam in veritate non stetit: quãdo enim mẽtitur ex propriis mẽtitur. Quid autem sit ex propriis mentiri ex causa subiuncta à Domino declaratur. Primo, quia mẽdax est; ideſt, cũ loquitur, mẽdacia loquitur, qualis ipse est, vt talis sit sermo, qualis est qui loquitur. Ipse est mendax: mentiri ergo illi est consentaneũ. Vt scriptori scribere, doctori docere, ita mẽdaci mẽtiri. Et significat in hoc Dominus officiũ eius esse mentiri, & hanc consuetudinẽ habere. Nec ipsum mẽtiri quisquã docuit, ipse verò alios docuit. Vel significatur mendaciũ à Deo non accepisse, sed ipsum per se illud excogitasse. Et quamuis non semper mentiatur, tamen semper est Spiritus mendax, & semper ad mentiendum paratus est, & plerumque mentitur. Et cum vera loquitur, studet per ea quæ loquitur homines decipere. Secundò addit, *Et Pater eius*, ideſt, non solum mendax est, sed

simul pater est mendacij, ideſt, primus inuētor, & auctor mendacij, propterea ipsius proprium dicitur mendacium, homo cum mentitur alieno vtitur inuento; at dæmon proprio. Ideo ipse cùm mentitur, ex propriis loquitur: quia mendax est, propter consuetudinem & officium; pater, propter inuentionem, & primam causam mendacij. Tol. Orig. *& pater eius*, ideſt, Diabolus pater vniuscuiusque spiritus mali. Alij mendax est vnusquisque vestrum, & pater eius ideſt, Cain, vel pater sui mendacij ex Aug.

45. *Ego autem si veritatem dico vobis non creditis mihi.*] Q d. Diabolum mendacij patrem imitamini, mendaciis illius credentes & mendacia eius sequentes: ideo vos mihi non creditis, quia ego veritatem dico, quam vos non vultis, quia patrem mendacij sequimini. Diabolus enim Christum non esse Dei filium, nec Messiam, nec à Deo missum, nec vera esse eius miracula, eis suggerebat. Christo autem contraria, quæ vera erant, docenti fidem non habebant, eadem dicentes quæ dæmon suggerebat, & cum ipso mentientes. His verbis eos mendaces esse confirmat, & diabolum in hoc imitari sicut in homicidio. In vtroque ergo mores dæmonis sequebantur. Et hæc est ratio cur sic Christus immoratus est mendacio dæmonis amplificando, nempe vt veritatem suam commendaret, & se diabolo aduersarium esse ostenderet. Est enim veritas mendacio contraria. *Si* Gr. pro quia.

46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*] In eos culpam reiecerat quod nō crederent: hoc prosequitur Dominus explicare & confirmare.

Fides

Fides alicui non habetur aut propter vitam parum honestam, quia indignus efficitur vt ei credatur; aut propter doctrinam, quia falsa est, vel improbabilis; aut propter nequitiam & culpam ipsorum auditorum non credentium. Has causas remouet *Quis arguet*: Græc. conuincet *me de peccat ?* vt Io. 16. tit. 1. Nam sæpe blasphemiæ, sæpe violati sabbati arguebant, sed nunquam conuincere vllius peccati potuerũt. Quod si non potestis, quare non creditis mihi, si veritatem dico vobis. q.d. Non potestis causam vestræ incredulitatis in doctrinam reiicere: veritatem enim dico vobis. Si ergo est in me innocentia, & in doctrina veritas, quare non creditis mihi? in his verbis, *quis arguet me de peccato*, latere tacitam antithesim, sicut ego vos & patrem vestrum modo argui. Notant Aug Beda, Ruper.

47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*] Non igitur Christus, non doctrina eius, sed ipsorum malitia causa est cur non credant, quia ex Deo non sunt. Illos appellat ex Deo esse, quia Dei instinctu aguntur, & ipsius voluntatem facere studeant: vt Rom. 8. 1. Canon. 3. Ex Deo non esse idem est ac ex Diabolo esse. Audire dicit, non solum propter auditum exteriorem, sed propter fidem doctrinæ, & mandatorum eius obedientium: hoc enim est perfectè audire verba Dei. Et his verbis confutat Iudæos dicentes, *Nos Patrẽ habemus Abraham*, cùm potiùs patrem habeant Diabolum, interroget se vnusquisque si verba Dei aure cordis percipit & intelliger vnde sit, ait Greg. in hom.

48. *Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei:*

Non ne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?] Sensus est, hisce tuis verbis, quibus nos patrem habere diabolum, & te innocentem probas, confirmamus quæ alias tibi obiecimus, *Quia dæmonium habes, & Samaritanus es.* Samaritanum eum frequenter appellasse ex hoc tantum loco constat non propter originem, sed propter similitudinem, quod vt Samaritani mistam cum multis Græcorum & aliarum gentium erroribus, religionem non satis castè & religiosè seruabant: ita eam Christus sæpe violaret, & nouas quasdam religiones afferre videretur. Ita Orig. Amb. Alij quia verè eum putabant Samaritanum, quia Samaritani vicini erant Galilæis. Alij quia cum Samaritanis versaretur. cap. 4. Dæmonium autem habere dicunt, quòd cum proprias illis cogitationes patefaceret, putabant id non nisi ope dæmonis posse fieri. Alij modum fuisse loquendi quo aliquem insanire arreptitiorum more dicebant. Alij quòd gloriam Dei in se transferret Christus, quod proprium est dæmonum. Alij propter sublimitatem doctrinæ, quia supra humanum captum loqui videbatur. Alij propter opera mirabilia. Ex Orig.

49. *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum; & vos inhonorastis me.*] Ecce iniuriam susçipiens Deus non contumelioſa verba respondet, vt notat Greg. in ho. & Aug. Duo illi obiecta fuerant, quòd Samaritanus esset & quòd dæmonium haberet. Illud tacitum præteriit quod nihil in eo Dei gloria læderetur. Ad hoc respondet modestè, *Ego dæmonium non habeo.* Vel, vt Tol. ad vtrumque

que respondet. q. d. Falsum imponitis: nam non tantùm dæmonium non habeo, sed etiam honorifico Patrem meum, nihil docendo, nihil faciendo quod non sit in eius honorem & gloriam, & secundum eius voluntatem: non ergo sum Samaritanus: Samaritanus enim non honorificat Deum, qui idola colit, qui falsa dogmata profitetur. At ego nihil tale facio, sed Deum verum, qui Pater meus est, honoro. Samaritanus igitur non sum moribus: & reipsa dæmonium non habeo, qui enim dæmonium habet Patrem non honorificat. Hoc igitur verbo, & confirmat se dæmonium non habere & simul se Samaritanum esse, refellit. Ex Chrys. & Aug.

50. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.*] Q. d. immeritò & iniquè me inhonoratis & iniuriam & contumeliam mihi infertis, cum ego Patrem honorificem. At ego non curo quia non veni vt gloriam meam quærerem & ab hominibus honorater: Veni enim ministrare, & animam meam ponere, contumelias & iniurias pati, non autem repellere & vindicare *Est qui quærat & iudicet*, idest, vindicet, qui vlciscatur. At dictum est Patrem non iudicare quemquam: iudicio finali, & sensibili, quo Christus homo sedebit iudicaturus, non priuato & quotidiano de quo hic agitur, quo solet Pater iniurias filio & omnibus iustis factas vindicare, & vlcisci. Alludit ad locum Deuter. 18. Ex Orig. & Aug.

51. *Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*] Damnationem mortem æternam appellat. Hæc verba spe alliciunt ad fidem sibi haben-

dam : at si à contrario sensu sumantur, qui igitur non seruauerit, mortem æternam experietur, timore & terrore percellit vt credant. Et sermonem inchoatum. *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi* ? continuat, vtilitatem suæ doctrinæ proponens, quæ à morte æterna liberat. Quo modo hic locus intelligatur vide c. 6. Orig. & Aug.

52. *Dixerunt ergo Iudæi* : *Nunc cognouimus quia dæmonium habes.*] Q. d. Nunc reipsa videmus quod ante sola coniectura dicebamus, te dæmonium habere : absurda enim loqueris & blasphemas. Intellexerunt quod Christus dixerat de sola corporis morte, ideo absurdè eum loqui putauerunt.

Abraham mortuus est & Prophetæ : & tu dicis : Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.] Impugnant Christi dictum & probant esse à dæmone non à Deo, quia Abraham & Prophetæ mortui sunt, qui tamen omnes erant à Deo ; quomodo igitur erit is à Deo, qui dicit sermonem suum à morte liberaturum in æternum, quandoquidem omnes illi qui erant à Deo mortui sunt? Non intellexerãt quod Christi sermo erat de æterna damnatione, quam Christi sermonem seruantes nec viderunt, nec gustarunt. Indicauerat Christus ideo non morituros eos qui sermonem suum seruare vellent, quod sermonem suum seruauissent ; proferunt ergo exemplum eorum in medium, qui Dei sermonem maximè seruauerant Abraham & Prophetarum, qui tamen mortui fuerant : vnde colligunt Christum maiorem se facere quam Deum, certè quam Abraham ideoque subiiciunt.

53. Nun-

53. *Nunquid tu maior es Patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?*] Idest Prophetis qui mortui sunt. Hebraïsmus. Secundo argumento idem Christi dictum impugnant: si tuus sermo à morte in æternum liberat seruantes eum, esses maior Abraham & Prophetis, qui omnes mortui sunt. At tu non es maior illis. Igitur non est verum hoc quod dicis sed ex dæmonio loqueris. Consequens erat. *Nunquid tu maior es Deo?* hoc enim ex eius verbis sequi videbatur, sed contenti sunt dicere *Abraham*, quia valdè absurdum putabant esse, quemquam illo maiorem dici. Ex Chrys.

Quem teipsum facis?] Superbiæ & iactantiæ Christum insimulant, qui multò maiora de se loqueretur & iactaret quàm ipse esset. At si fidem eam haberent qualem potuerunt & debuerunt, cum admiratione & veneratione dicerent, *Quem teipsum facis?* cum esses, & sis Deus immensus: quomodo te nostræ miseriæ participem fecisti? At non sic increduli, sed superbiæ eum accusant, & hoc tertio argumento Christi doctrinam impugnant, quasi ex superbia dæmoniaca dictum. q. d. tu qui carpentarij filius es, ait Theoph. & Beda.

54. *Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Pater vester est, & non cognouistis eum.*] Respondet ad obiecta, & primò ad tertium nullam dictis suis inesse iactantiam Et sensus est, Si ego vt homo me glorificarem, profectò parum aut nihil gloriæ consequi possem: quæ enim homo sua virtute facere potest pauca sunt. At quæ ego facio non

sunt hominis meri, sed Dei, qualia sunt innumera signa quæ feci: Non ergo me glorifico nec iacto, qui non vt homo sed vt Deus facio & operor. Addit, *Est Pater meus qui me glorificat.* q. d. Non ego vt homo me glorifico & declaro me esse Dei filium & Christum verum, sed Pater me glorificat, i. diuinitatis operibus, quæ nemo faceret nisi Deus, sic Patri solet tribuere quæ facit vt Deus. Non ergo ambitionis aut iactantiæ me insimulare potestis. Glorificare se vocat, manifestare se esse Dei filium & Christum verum, qualis reuera erat. Subdit, *Quem vos dicitis quia Pater vester est, & non cognouistis eum:* In quo ad alia duo obiecta: respondet autem primò quis sit, explicando quem appellarit Patrem suum. Et est sensus, dixi Patrem meum glorificare me: scitote autem hunc meum Patrem esse eum, quem vos dicitis esse Deum vestrum, & reuera non cognoscitis eum. His verbis declarat se esse filium Dei naturalem: quem enim Patrem suum appellat illorum esse Deum dicit, distinguens inter se & illos, quia ipse erat filius, illi autem serui; & quia se iactabant Patrem habere Deum, eos deprimit: vos, inquit, dicitis esse Deum vestrum, & reuera non cognoscitis eum, i. reuera vester non est: vt 1. Reg. 2. Mat. 5. Osee 1. Ex Chrys. & Theoph.

55. *Ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum, & sermonem eius seruo.*] Distinguit se ab illis: Vos, inquit, non nouistis eum: at ego noui: & si dixero me non nosse, ero mendax sicut vos estis mendaces, dum dicitis vos eum nosse. Et exponit quare se nosse dicat; quia

scio

scio eum rectam & veram cognitionem ipsius habes, & mandata eius seruo, & facio quæ mihi locutus est. Hinc sequitur eos non nosse, quia mandata eius non faciebant. Nam hæc duo sunt necessaria vt aliquis nosse Deum dicatur. Eos igitur mendaces vocat, quia se Deū nosse & habere Deum pro Patre affirmabant, cùm tamen mandata eius non seruarent: vt 1. Canon. 2. & dæmonium eum habere & Samaritanum esse mentiebantur. Ex Chrys. Sermonem Patris tanquam filius loquebatur, & ipse erat verbum Patris quod hominibus loquebatur, ait Aug.

56. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est.*] Respondet ad obiectionem de Abraham, quo de Patre iactabant dicentes. Es tu maior Patre nostro Abraham? Et priusquam diuinitatem suam verbis expressis doceat se non aduersarium Abrahæ sed valde concordem dicit, & tam dilectum ab Abrahamo, vt concupierit videre & nosse diem eius. Eos alienos ab Abrahamo conuincit, qui non sunt gauisi sed persecuti eum. Dies hic, incarnationis est. Orig. Hilar. Cyr. Ber. Quando verbum Dei filius homo factus est. Nouerat ex reuelatione diuina Abraham Dei filium carnem sumpturum de sua progenie. At tempus & diem summopere desiderabat, quando hoc facturum erat, id Deus aperuit ei. *Vidit & gauisus*, animo & corpore. Alij diem suum omnem suam æternitatem appellant. Alij quatenus Deus erat eum cognoscere. Alij tempus quo in hac vita vt homo versatus est. Alij æternitatem quæ tempus incarnationis suæ antecessit. Alij diem suum cru-

cis

cis & passionis, tempus vocare dicunt, vt Chry. Alij diem Christum ipsum interpretantur, qui lux vera & veluti sol quidam sit; tunc eius alicui oritur dies cum ipse illi per fidem reuelatur Sap. 5. Aug. At quomodo Abraham viderit diem aduentus in carnem, & totum tempus quo in mundo versatus est; putant aut sola fide, aut fide & figura, aut Prophetica reuelatione vidisse: aut reipsa; non quod viuus viderit, sed quod mortuus Christum venisse nouerit, tempusque illud exactum esse; quod vsque ad eius aduentum à Deo constitutum fuisse sciebat. Ex Aug.

57. *Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*] Irridentes Christi verbum opponunt: Nondum habes quinquaginta annos, & vidisti Abraham, qui tot retro seculis fuit. Huius numeri annorum potiùs quam alterius casu: vel quia propter iubilæum esset venerabilis meminerunt: non quòd Christus 50. esset annorum qui tricesimum tertium non excedebat; sed vt significarent quantum intercederet temporis inter eum & Abraham, quando etiamsi haberet ætatem multò maiorem eâ quam agebat, Abrahamum vidisse non poterat. Numerum ergo hunc exponunt vt Christi ætati adiungentes annos, adhuc eius verbum falsum fuisse conuincant. Dicendum erat & Abraham vidit te: verum vt magis absurditas appareret, dicunt: & Abraham vidisti. Ex Greg.

58. *Dixit eis Iesus Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*] Vel: nasceretur, aut esset. Non dicit, ego fui, sed, ego sum, Sic superiùs, vt ostenderet Iudæis se eum esse qui

qui olim dixerat Moysi, *ego sum qui sum*, suam diuinitatem palam aperiens. Ex Greg.

59. *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se & exiuit de templo.*] Hanc vocem tanquam blasphemam non ferentes, cucurrerunt ad lapides vt pœna legis cõtra blasphemos statuta eum occiderent. Verum Dominus qui iam verbis suam diuinitatem significauit eandem reipsa ostendit, cum abscondit se ab eis reddendo se illis inuisibilem: sicque exiuit è templo è manibus eorum elapsus, fugit tanquam homo à lapidibus. Sed veh illis à quorum lapideis cordibus Deus fugit, ait Aug.

CAPVT IX.

Cæco nato visum restituit.

1. *ET prætereiens vidit hominem cæcum à natiuitate.*] Statim ac è templo egressus est, miraculum hoc fecit vt sermonem paulò antè de diuinitate sua habitum confirmaret, & hostes confundens opere ipso non vana & mendacia dixisse comprobaret. Quod dicit vidisse cæcum Chrys. ho. 55. rectè interpretatur diligentius oculos in eum conuertisse. Attentè aspexisse apparet ex discipulorum interrogatione. *A natiuitate* positum est, ad miraculi magnitudinem explicandam. Cæcus hic Gentilium populum designat, qui sine lege, sine Dei cognitione veluti cæcus à natiuitate erat. Chrysost. Cyr. Rup. Vel totum humanum genus

genus à natiuitate sua cæcum. Eph. 2. Ex Beda.

2. *Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?*] Discipuli existimantes hanc cæcitatem pœnam peccati alicuius esse, neque scientes an propter peccatum proprium, an propter alienum nimirum parentum, esset inflicta, Dominum interrogant, vtrius peccati, cœcitas hæc pœna fuerit, an proprij, an parentum. Vel fortè sensus est peccatúmne originale quo in Adam peccauit, an actuale parentum eius meruerit vt cœcus nasceretur. At qua ratione hic peccare potuit antequam esset? Cyr. putat discipulos Iudæorum opinione imbutos fuisse qui putarent animas ante corpora creatas peccauisse, ac propter peccata in corpora detrusas, meliora peioráve pro merito cuiusque: quod Theoph. absurdum putat, ob homines præsertim literarum rudes. Leontius ait, non interrogare de præterito, sed de futuro peccato, & putasse Deum futurorum præscium cùm prospiceret fore vt natus peccaret, in futuri peccati pœnam cæcum effecisse à natiuitate. Chrysostom. Theoph. Non dubitantes an antequam natus esset cæcus, peccauisset, sed dubitantes quanam culpa, quáve causa cæcus natus esset, interrogasse, quis peccasset, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur: itáque potius significasse neque cæcum, neque parentes eius peccauisse, vt cæcus nasceretur, quam dubitasse. Ex Greg. Non dubium tamen quin propter parentum peccata filij morbosi sæpe nascantur, & etiam moriantur: quod in Dauide factum legimus. 1. Reg. 12.

3. *Respondit*

3. *Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.*] Instruit discipulos non semper huiusmodi calamitates pœnas esse peccatorum, dicit igitur, *neque hic peccauit, neque parentes eius.* Restringenda sunt verba responsionis per interrogationem: nempe, *Neque hic peccauit, neque parentes eius*, vt cœcus nascereturr: non quòd peccata non haberent, sed quod non propter eorum peccata natus sit iste cœcus. Peccauit igitur hic, peccauerunt parentes, sed non propterea natus est cœcus. Ratio autem cur cœcus natus est, hæc est, vt manifestentur opera Dei in illo, ideſt, vt opera diuinitatis in illa cœcitate curanda appareant, vt cognoscat Deus. Ex vers. sequenti apparet opera Dei appellare opera Patris, quia quæ sunt diuinitatis suæ, solet Christus Patri tribuere. Ex Chrys. & Beda.

4. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari. Quandiu sum in mundo lux sum mundi.*] Subiungit causam cur hæc opera Dei sint manifestanda, quia inquit, oportet dum inter homines sum visibilis, opera Patris mei operari: hæc autem sunt miracula & signa, per quæ diuinitas mea est declarãda: venit enim & instat nox mortis meæ, quãdo non erit opportunitas hæc faciendi. Donec ergo inter eos viuo tempus est opportunum: propterea hoc nunc tempus Patris aggrediar. Addit rationem quare donec dies est, ideſt præsens & visibilis est hæc opera debeat facere, quia, quandiu in mundo sum lux sum mundi, ideſt, dum inter homines viuo, lux sum eorum, docens ea quæ

ad

ad salutem eorum pertinent. Si igitur lux, veni in mundũ vt illuminarem & docerem, dum sum in mundo, opportunum tempus est faciendi opera hæc, per quæ homines instruuntur. Et est metaphorica locutio sumpta à tẽpore opportuno operandi: in die enim homines solent operari, nocte cessant, & vacant ab opere: sic tempus suæ præsentiæ in hoc seculo diem vocat. Ex Aug. Quia opportunum erat tempus docendi & opera ac signa visibiliter faciendi. At post mortem ascensurus est ad cœlos, nec visibiliter amplius cum hominibus conuersaturus: propterea nec per se iam docebit homines, nec miracula edet, sicut antè: non quòd per Apostolos non operetur semper & per prædicatores, sed quòd per se visibiliter non amplius hæc sit facturus, quæ ad redemptionem hominum pertinerent: non passurus, non moriturus, non docturus eorum homines, non præsens miracula facturus. Hoc enim injunctum est ei à Patre vt per seipsum hæc faceret, sicut fecit. Ad hæc autem facienda opportunum tempus erat dum dies & præsens inter nos erat. *Oportet*, non necessitatem dicit sed præceptum, quod vt homo accepit à Patre. Quod ait, non potest operari, idest non est opportunum iam tempus operandi, vltra enim neque fides neque labores neque pœnitentia ait Aug.

6. *Hæc cùm dixisset expuit in terram & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.*] Instructis discipulis tanquam vera lux & mentes & corpora illustrans, pergit ad miraculum: quod nemo iam modo operatus est. Nam & luto ex sputo suo, & puluere terræ confecto, liniuit

liniuit oculos cæci nati. Tria operatur, expuit, lutum conficit tãquam materiam ex qua oculi conficiendi erant, & lutum apponit oculis. Oculos appellat illam imperfectam oculorum partem, quæ erat in concauitate; in qua oculi esse solent; non enim sensorium perfectum & integrum erat. At cur luto sanauit? Vt vis ac magnitudo miraculi appareret, quo nihil magis oculis cõtrarium: vt 4. Reg. 2. & 4. Reg. 6. Theodor. Cyr. Theop. Vt ostenderet se eum esse per quem & homo & omnia initio facta essent, quia eiusdẽ est artificis ex eadẽ materia & opus facere, & reficere. Ier. 13. Gen. 2. Ex sputo verò, non ex aqua lutum fecit, vt aliquid quod de corpore suo exiisset cœci oculos tangeret. Chrys. Theoph. vt ostenderet carnem suam medicam ac salutarem esse, cuius vel sola saliua cœcum sanauisset. Cyr. per puluerem humanum corpus, per saliuam quæ ore expuitur animam significari. Theoph. Alij incarnationis Christi mysterium designari, per puluerem humanam naturam; per saliuam diuinitatem, significari, quæ ex cœlo quasi ex capite processisset. Aug. Beda, Rup. Vel significasse Christum intus se plenum esse luminis. Amb. Ep. 75. Puluerem carnem nostram & carnales cogitationes, saliuam diuinam gratiam significare. Greg. l. 3. in Iob c. 21.

7. *Et dixit ei: Vade & laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo & lauit venit videns.*] Postquam liniuit oculos cœci luto, ad natatoriam mittit Siloë lauandum: non enim priusquam lauaretur, visum restituit. Dices quo modo nouit cœcus hic Christum esse, qui liniebat oculos eius, qui ei hæc præcipiebat? Respon.

Respondeo vel ex turba, vel ex discipulis intellexisse Christum adesse, & ad eum accessisse, & locutum esse, quamuis Euãgelista non narret. At cur ad lauãdum in piscinam mittit cœcum quem statim curare poterat? Chrys. Vt in longa via quæ per mediam vrbem erat conficienda quamplurimos & cœcitatis & curationis testes colligeret. Euthy. vt appareret nõ puluere, sed Christi virtute sanatum, cùm iuberet puluerem statim lauando abstergere. Alij postquam nos Christus tetigit opus esse baptismo vt illuminemur, vt peccata nobis remittantur, vt experiretur huius cœci fidem, vtrùm iret, vtrùm in via hæsitaret; vt consequeretur præmium obedientiæ: lauit enim & venit videns. Ex Chrys. & Euthym.

8. 9. 10. *Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij: nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?*] Recenset Euangelista varium hominum de eo miraculo iudicium, alios negasse, alios concessisse & affirmasse eum esse qui paulò ante in oculis totius ciuitatis mendicasset: in primis verò cœcum ipsum publicè professum se esse, qui priùs cœcus cùm fuisset, iam videret. Quod eo consilio Euangelista narrauit vt doceret non temerè miraculum creditum fuisse examinatum, exagitatumque etiam ab aduersariis Christi priùs, negari tandem non potuisse. Ex Chrys.

11. *Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe & laua, & abij, & laui, & video.*

videō.] Breuissimis verbis exponit interrogatus cœcus rei gestæ historiam : idque simpliciter, & sine vlla significatione gratiæ, quò maiorem fidem faciat : quæ causa fuit vt Christū minùs honorificè, quàm fortè cupiebat appellauerit. *Ille*, inquit, *homo qui dicitur Iesus*; quasi de alieno & sibi ignoto loquens. Theoph. Hominem vocat, quia nōdum sciebat esse Deum. Ex Chrys. & Theoph.

12. *Et dixerūt ei: Vbi est ille? Ait: nescio*] Quia Dominus paulò antè declinauerat Iudæorum furorem inuisibilis factus, ideo requirunt, *Vbi est ille?* non animo recto vt audirent & crederent, sed vt deferrent & ad Pharisæos adduceret. Leōtius, vt eum quasi reum violati Sabbati accusarent, ideo cùm Christum quem quærebant non inuenirent, cœcum ipsum loco illius ad Pharisæos adducunt, vt ab eo diligentiùs ac subtilius examinato exprimatur confessio veritatis. Ex Chry. Ait *nescio.* inuicto similis erat: nondum videnti, prædicat, & nescit quid prædicet ait Aug. & Beda.

14. 15. *Adducunt ad Pharisæos eum qui cœcus fuerat. Erat autem Sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi. Quo modo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui & video.*] Hoc obiter Euangelista notauit vt calumniæ occasionem declaret. Non dicit fuisse Sabbatum cum Christus cœcum ad piscinam misit, sed cùm lutum fecit, cùm oculos eius aperuit. Nam ad piscinam ire in Sabbato & lauari licebat, sed lutum facere & oculos aperire videbatur illis nequaquam licere, quòd opus esset in Sabbato prohibitum. Ideo

videtur

videtur fuisse aliquem post Sabbatum diem, cùm hæc quæ nunc narrat acciderunt, cum vicini, & alij cum cœco disceptarunt, cùm eum ad Pharisæos adduxerunt. ex Mald. Non respõdit, *Lutum fecit*, sed *lutum posuit*, quia illud ex coniectura sciebat; hoc autem sensu percipiebat. Certum relicto incerto prudenter respondet, ne ei, à quo beneficio tanto affectus fuerat, ex indiscreta responsione aliquo modo noceat & lædat.

16. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam; non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quo modo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.*] Iam inungebantur quidam ait Aug. Non enim omnium Pharisæorum hæc erat sententia; quamuis non omnes crediderint, tamen in diuersas sententias distracti sunt. Attende malitiam: Duæ erãt in hoc casu illationes, vna est, visum cœco à natiuitate restituit; ergo hic à Deo est, altera in Sabbato parum luti confecit ad sanãdum; ergo non est à Deo. Prior consecutio fortior est posteriore. Nam ex tanto facto multò verius concludebatur esse à Deo, quàm quia parum luti confecit, non esse à Deo; quod etiamsi non ad tantum opus faciendum confecisset, non propterea sequebatur esse contra Sabbati obseruantiam, cùm sit minimæ considerationis ex saliua parum luti conficere. Et esto fuisset in maiori quantitate, licebat medicis propter sanitatem incertam & dubiam cuiuis, medicamenta etiam Sabbato conficere. At malitia excœcabat eos, vt relicta via certiori & veriori veritatis, ad vanas rationes se conuerterent. Magis sapiebant qui argumenta

mentabantur non posse hominē peccatorem, idest qui a Deo nō esset ea edere miracula, quæ Christus edidisset. Non quòd non possint, sed quòd rarò faciant, vt diximus Mat. 7. 22. Itaque efficax argumentum istorum erat, futurum omnino necessarium, si adiecissent, neminem posse ea signa facere quæ Christus faciebat, & eo modo quo faciebat, propria virtute, suóque imperio, nisi à Deo, atque à Deo Deus esset. Ex Chrys.

17. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Illi autem dixit: Quia Propheta est.*] Cum inter se dissentirent, illi pro Christo: ambiguitatis iudicem cæcum ipsum constituunt, sperantes eum qui Christi virtutem erat expertus, illis patrocinaturum, quod probat Chrys. Hom. 57. Quia non dicunt, quid dicis de eo, qui Sabbatum soluit? sed, de eo qui oculos tibi aperuit. Præterea qui contra Christum sentiebant, non ad eum qui beneficio erat affectus se conuerterunt, quem bene de benefactore sensurum & locuturum putabant. *Ergo*, tacitam causam & illationem indicat, nempe quia dissentiebant, idcirco ad cæcum ipsum se conuertunt, vtri parti faueret scire cupientes. Cæcus autem Propheram esse dicit, quo verbo à Deo esse, & diuina virtute miraculum editum confitetur. Quamuis autem nondum perfectam tunc fecerit confessionem, fuit tamen vera, & recta, licèt cum articulo Propheta ponatur. Dicit *iterum*, quia primùm fuerat interrogatus à vicinis & aliis ciuibus Hierosolymitanis. vers. 10. Deinde secundò à Pharisæis: nunc iterum, idest tertiò ab eis, sed non iisdem interrogatur: adhuc inunctus in

corde

corde nondum Dei filium confitebatur ait Auguſt.

18. 19. *Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat: & interrogauerunt eos dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt, quo modo ergo nunc videt?*] Illi ipſi qui antè dixerant, *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit*; Illi qui contra Chriſtũ ſentiebant: vt notat Euthym. non crediderunt, illum hominem cæcum natum fuiſſe. Et notanda particula *ergo*. Nam ex ſuperioribus deducit ſequentia, vt ſit ſenſus, illi qui à Deo eſſe Chriſtum negabant, audientes cæcum illi fauere parti à Deo eſſe dicentium, cum non haberent aliud refugium, negarunt factum. Nam eo admiſſo non ſupererat quo ſe tuerentur, ſed à Deo eſſe factum conſentire cogebantur. At quò magis veritatem oppugnabant, eò veritas magis vt ſolet confirmabatur. Chryſ. Ho. 57. Parẽtes hominis aduocant vt ab eis veritatem inquirant, quo facto ſeipſos condemnant: ſi enim veritas conſtabat, vana erat parentum aduocatio: ſi autem incerta cur ſententiam protulerunt dicentes, *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit*? Præterea, quod valde annotandum eſt, ſi iudicarunt Sabbati eſſe tranſgreſſorem quia lutum fecit, cur non crediderunt, illum hominem cæcum fuiſſe, cùm potius id credere deberent, vt anſam accuſandi haberent quod lutum fecerit? At ſenſerunt reuera plus poſſe miraculum ad confirmandũ eſſe à Deo quàm lutum illud ad probandum à Deo non eſſe. Ideo miraculum occultare voluerunt. Varia & cæca & inconſtans, malitia.

Hebra

Hebraismus est; Hic est filius vester, & si est filius vester, est ne cæcus natus, & si cæcus natus est, quomodo igitur nunc videt? Tria interrogant. Forsan sperabant Iudæi parentes timore perculsos aliquid contra veritatem dicturos, quo miraculum obscuraretur. Vel experiri voluerunt ecqua in re parentes à filij testimonio discreparent, vt ansam inde arriperent dicendi rem esse compositam, aut non fuisse natum hominem illum cæcum, aut non miraculo sed magica arte curatum esse: vt ait Chrys.

20. 21. *Responderunt eis parentes eius, & dixerunt eis; Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc videat nescimus. Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.*] Ad tria respondent. ex Chrys. se scire filium suum esse, natumque fuisse cæcum, tertium quomodo videat, respondent se nescire. Timore autem Iudæorum inquisitionem in ipsum filium conuertunt, ætatem legitimam, vt in iudicio inquiri possit, habere affirmantes: quo verbo eius confessionem legitimam fore testificantur: quod etiam Iudæorum animos magnopere confundit. Tol. Credibile est audiuisse iam parentes à filio suo, quo modo à Christo curatus fuisset, sed quia id non nisi ex eius testimonio sciebant, & aliquid periculi in ea re esse videbatur, cautè verèque respondent se nescire, ætatem habere vt pro se respondeat. iuste cogeremur loqui pro infante, quia pro se loqui non potest ait Aug.

22. 23. *Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra*

Synagogam fieret : propterea parentes eius dixerunt : quia ætatem habet, ipsum interrogate.] Reddit causam Euangelista cur ea cautione parentes in loquendo vsi sint, quia Iudæos, ideſt Phariſæos & Iudæorum principes timebant, quos ſciebant aduersùs Chriſtum conſpiraſſe, ideſt communi conſenſu decretum ſtatuiſſe, vt quicumque confiteretur Chriſtum eſſe, excommunicatus extra Synagogam eiiceretur, ideſt publicis conuentibus interdiceretur. Iam non malum erat, fieri extra Synagogam, illi expellebant : Chriſtus ſuſcipiebat ait Aug.

24. *Vocauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei : Da gloriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.*] Parentum teſtimonio conuicti ſunt, vt crederent cæcum natum eſſe, nec amplius dubitarunt de facto. Vocant ergo iterum, ideſt tertio cæcum accerſunt, fingúntque ſe ex eius parentibus, aut ex ſeipſis, aut aliunde certò ſcire, Chriſtum hominem eſſe peccatorem, proinde eum fruſtra veritatem negare, conuictum certis argumentis priùs mentitum eſſe, rémque omnem à Chriſto ſubornatum compoſuiſſe; meliùs conſulturum ſibipſi, ſi ſponte quod res eſt confiteatur. Solent iudices vt à reis confeſſionem exprimant veritatis, fingere ſe aliunde rem ſcire, multos eius rei ſe teſtes habere. Dicunt : *Da gloriam Deo.* q. d. nega quod accepiſti ait Aug. Hoc tu confitere, & noſtro teſtimonio crede. Modus eſt loquendi Hebræis vſitatus, quo ſolebant rei tanquam per Deum adiurati ſolemni ritu interrogari, admoniti his verbis ſe ſtare coram Deo, reuerēdam ſibi eius eſſe maieſtatem: ne ergo coram illo mentirentur qui omnia probè

probè sciret: vt Ios. 7. Ex Chrys.

25. *Dixit ergo eis ille: Si peccator est nescio; vnum scio quia cæcus cùm essem, modò video.*] Sentit Chrys. hoc cæcum illum ex animo non dixisse, nec tamen mentitum fuisse. Sciebat enim profectò Christum peccatorem non esse, quem Prophetam, id est virum sanctum confessus fuerat, vers. 17. Sed dicit se nescire, id est nolle se de ea re disputare, nolle id magis dicere, quàm si nesciret, nolle verbis agere sed rebus, si dixerit eum non esse peccatorem nihilo magis illos esse credituros, hoc se vnum scire se cæcum fuisse. Euthym. verò putat hæc non nescientis, non dubitantis, sed Pharisæorum nugas irridentis esse verba, quasi non tam dicat se nescire, quàm se mirari quod id illi nesciant, quod id interrogent. Potest & hic esse sensus, nescio, id est non debeo ego de ea re iudicare, non est meum officium, nec vos de ea re quærere debetis, nec ego respondere magis volo quàm si nescirem. Et reus non debet ad ea quæ iudex ineptè & præter ordinem iuris interrogat, respondere. Vel voluit Christum à rei testimonio, & non à sua voce ab incusatione eripere ait Aug.

26. 27. *Dixerunt ergo illi; Quid fecit tibi: Quo modo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis eius discipuli fieri?*] Iam audierant ab illo quod sibi fecisset vers. 15. sed interrogant iterum quid sibi Iesus fecerit sperantes se aliquid audituros quod in calumniã rapere possent, & vnde offendere possent modum miraculi non fuisse diuinum, aut ex re aliter narrata falsitatem comprobare posse,

aut aliquid grauius quo Sabbatum omnino violatum videretur. Nam digito ex puluere & sputo lutum fecisse, linisse oculos, nimis leue ad accusationem videbatur. Ille ineptam & pertinacem quæstionem indignatus, acerbiùs quam antè respondit, pungens simul illos & irridens: *Nunquid & vos vultis eius discipuli fieri?* Nihil inflatis scientiæ opinione Pharisæis dici potuit contumeliosius, quàm eos posse aut velle discipulos fieri. Indicat quid si saperent facere deberent. ex Chrys. Deinde se eius esse discipulum: hanc enim vim habet particula, *Et vos.* q.d. Sicut & ego discipulus eius sum. ait Aug.

28. *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus.*] Q. d. Esto tu, vt es discipulus illius. ex Chrys. Nos Moysem meliorem habentes præceptorem eius discipuli esse nolumus. *Tu*, per conuitium est dictum.

29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus, vnde sit.*] Causam afferunt cur se Moysi discipulos iactent, & Christum auersentur, quia sciunt Moysi locutum Deum esse, & illum esse à Deo missum: at vnde sit Christus, ideſt an à Deo sit missus nesciunt. Profectò & maiora & efficaciora signa habuerant vt intelligerēt Christum esse à Deo, quàm vt scirent Moysi locutum esse Deum: & tamen impij & incredulj illud scire, hoc se nescire dicunt. Cum dicunt, *hunc*, contemptum de illo loquuntur, & cùm addunt, *nescimus vnde*, significant ex adulterio, ignoto patre natum. Leontius.

30. *Respon*

30. *Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit oculos meos.*] Arguit modestè affectatam aut dissimulatam eorum ignorantiam, quia dixerunt, *Nescimus vnde sit*: Et est sensus, Valde miror quomodo vos ignoretis vnde sit homo, à quo missus, an sit ex Deo, aut vnde, ideſt qualis sit, iustus an peccator; cùm ex tanto miraculo facilè cognosci possit vnde sit. *Mirabile.* q. d. Vix credi potest vos ignorare, vnde hic homo sit. Est enim ignorantia nimis indigna vobis, qui tantam scientiam profitemini: aperire enim oculos cæci nati opus est clarè indicans à quo sit homo, qui eos aperuit. Ea quæ per visum cognoscitis, auditu minoris æstimatis, ait Chrys.

31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatē eius facit, hunc exaudit.*] Exponit cur mirabile sit eos ex tanto opere id ignorare. Nam tritum est, & ego idiota, & omnes mei similes scimus, Deum peccatores non exaudire, sed eos qui colunt eum, & voluntatē eius faciunt. Si igitur iste exauditus est à Deo, cùm tantum opus nō nisi à Deo sit, profectò peccator nō est sed cultor Dei, & voluntatem eius facit. Nota duas partes hominis iusti vt sit cultor Dei, quantum ad fidem & religionem, & vt impleat diuina mandata. Fides & charitas faciunt hominem iustum, & à Deo. Tol. Quærunt quomodo in vniuersum verum sit Deum peccatores non exaudire. Aug. & Beda putant cæcum illum tanquam catechumenum aut neophytum locutum esse, qui non satis institutus à Christo, ge-

neraliter pronũtiauit quod generaliter verum non est. Abutebantur hoc loco Donatistæ, putantes irrita esse Sacramenta per peccatores administrata, & S.Cyp. docens baptismum ab hæreticis datum esse repetendum. At cùm peccator Sacramentum administrat, non est peccator, sed Christus qui exauditur. Et videmus aliquando audiri peccatores non solùm cum veniam à Deo suorum peccatorum petunt, qui Deus semper paratus est dare; sed etiam cùm alia petunt bona, quæ non ad corpus sed ad animam pertinent. Theoph. & Leontius: Non sic Deus audit peccatores vt per eos ad declarandam eorum sanctitatem miracula faciat: de hac enim re agebatur. Tota ratio duobus principiis nixa est, quæ quamuis cæcus non expresserit, intelligi tamen voluit. Alterum est omnes homines qui miracula faciunt precibus facere, ideſt non propria auctoritate, sed impetrata precibus à Deo faciendi potestate. Alterum, Christum tanquam purum hominem miracula facere. Illud quidem verum est; in hoc secundo cæcus errabat. Ex Mald.

32.33. *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati; nisi esset hic à Deo non poterat facere quicquam.*] Probat à Deo exauditum ex opere quod à seculo nemo fecit: quod indicat opus esse Dei: & non qualecumque, sed quod nemo Propheterum, qui à Deo sunt missi, fecit. Concludit ex hoc esse à Deo. Agnoscе spiritum Domini, quo idiota doctores conuincit, libertatem qua Christum confitetur & defendit, cùm ab omnibus etiam parentibus esset derelictus. Hoc afflatus spiritu iam non dicit, Nescio an peccator sit, sed palàm

palàm à Deo esse confitetur. Ex Chrys.

34. *Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?*] Cum ferre non possent tam manifestam & conuincentem redargutionem, ad cõuitia furore perciti se conuertunt, superbiam suam detegentes. Tu, inquiunt, natus es totus in peccatis, & nos doces? Natum totum in peccatis dicunt, quia non solum quantùm ad animam natum in peccato existimabant, vt Psalm. 50. Sed quia perculsum cæcitate natiua corporis propter peccatum putabant: peccatum ergo culpa animam, corpus verò pœna affecerat. Ideo dicũt totum in peccato natum, quasi ipsi toti in peccatis non essent. Vel *totus* idest à prima ætate in peccatis es ait Chrys.

Et eiecerunt eum foras.] E Synagoga eiiciunt, eum excommunicant, & à consortio Iudæorũ, qui tunc fideles habebantur, separant. Alij extra templum. Alij à loco iudicij. Mald domo priuata, ex loco in quo erat, tanquam hominem stultum, & indignum cum quo tanti magistri disputarent quem magistrum ipsi fecerant ait Aug.

35. 36. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine vt credam in eum?*] Non destituit Dominus, qui propter confessionem eius conuitia & contumelias passus erat, & adhuc pœnam eiectionis sustinebat; sed eum excipit, nec casu sed consilio & misericordia quæsitum inuenit, & quod ei ad perfectam fidem deerat, cumulatissime donauit. Cùm dicit, *Tu credis in filium Dei?* cum artic. in illum, vt de vero & naturali,

se loqui significet. Interrogatio non tam ad intellectum quam ad voluntatem refertur, vt sit sensus, vis tu in filium Dei credere? semper enim Deus arbitriũ hominum quærit, ex Tol. in eorum salute & fide concilianda. Ille se paratum exhibet modo sciat, doceri petit. Quis est Domine filius Dei? eum si mihi demonstraueris, credere in eum paratus sum. Dum Christus exterius hominem interrogat, interius operatur, vt possit & velit agnoscere Dei filium. *Tu credis*, i. vis & paratus es credere? vt Io. 13. Tu mihi lauas pedes? Io. 10. Propter quod opus me lapidatis? ideſt, vultis lapidare. Tol.

37. *Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*] Quod petit cæcus ostendit Christus. Et vtitur artificio diuino. *Vidisti*, inquit, *eum*. Non dicit, ego aperui tibi oculos, nec, ego sum: sed modestè & efficaciter opus factum ei proponit: *Vidisti*, inquit, *eum*. q. d. qui cæcus natus es, iam vidisti eum à quo illuminatus es: ex tuo ipso visu recepto facilè cognosces, quis sit filius Dei, nempe ipsemet à quo visum recepisti, & qui tecum loquitur. Seipsum in tertia persona indicat: non tam propter modestiam, quàm vt in illa carne quæ videbatur, diuinitatem filij Dei latere doceret: quasi non id tantum esset quod exterius videbatur, sed id quod per se latebat: & per illud quod exterius apparebat videbatur, & loquebatur. Chrys.

At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum.] Efficacia Christi illuminantis: interius credit, ait Chrys. & exteriori verbo profitetur. *Credo*, inquit, *Domine*; nempe te esse Dei filium

filium verum. Nec contentus verbo ipso, facto & cultu vt Dei filium reueretur & colit; procidens enim adorauit eum. Illuminatus perfectè corpore, sed perfectius anima, non vt Prophetam, sed vt Dei filium recipit & veneratur. ait Beda.

39. *Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*] Pronomen, *ei*, non habent Græca; sed tantum, *Et dixit Iesus:* vt intelligatur non ei tantum Dominum hæc dixisse, sed omnibus audientibus & præsentibus. Adorante igitur homine illo, eius Dominus fidem contemplans profert hanc sententiam: Cuius sensus est, Meo in mundum aduentu hoc vnum consecutum est, nempe iudicium & discretio multorum in partes contrarias, vt illi qui non videbant, & simplices & ignorantes erant, visum mentis receperint credentes; qui verò videbant, quia scientiam legis & scripturarum profitebantur, cæci facti sunt per incredulitatem. Hoc propter cæcum illum dixit, cui cum simplex & idiota esset, datum est in filium Dei credere, & eum cognoscere, cuius etiam multi similes fuerunt. At illi legis doctores & Pharisæi sapientes & scripturas tota die scrutantes visum mentis, quem habebant, perdiderunt, & incredulitate excæcati sunt. *Vt* nō causa sed consecutio est. Tol. Simile est Luc. 2. *Hic positus est in ruinam & resurrectionem*, quod dictum est ad Pharisæorum terrorem & confusionem, vel in iudicium, ideſt, in maius supplicium. Ex Chryſ.

40. *Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui eum ipso erant, & dixerunt: numquid & nos cæci*

sumus?] Deridentes hæc opponunt, & sensus, ore tuo audiuimus nos esse cæcos, & ecce videmus nunc, nec cæci fuimus, sicut iste, vt nunc videremus. Quod de cæcitate spirituali dixerat Christus, de corporali interpretantur per irrisionem & contemptum. Illud, *& nos*, copulant cum illo cæco. q. d. Fuimus nos etiam cæci, sicut iste, cum nunc videamus? tu enim dicis cæcos visuros, & videntes cæcos aduentu tuo futuros. Ex Chrys.

41. *Dixit eis Iesus: Si cæci essetis non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus: peccatum ergo vestrum manet.*] Sermonem irrisorium Christus ad serium sic conuertit: Si fuissetis cæci ea cæcitate, qua ego intelligo nunc, i. ignorantes & simplices, nõ haberetis peccatũ, nempe infidelitatis. At vos dicitis videre, i. esse de numero videntium: idcirco cæci estis, i. infideles, & peccatum vestrum infidelitatis manet. Illi dicebant se videre corporaliter: tamen Christus applicat verbum visioni mentis, quia reuera existimabant se sapientes & doctores, & propterea excæcati sunt, quia potuerunt cognoscere veritatem & noluerunt. Illud autem, *Si cæci essetis*, intelligendum est de numero eorum, de quibus dictum est, *Veni vt qui non vident videant*: tales enim visum receperunt: non autem de numero eorũ qui cum vidissent cæci facti sunt: hi enim peccatum habent. Dicit autem, *peccatum vestrum manet*, non tantũ propter peccata cætera vltra infidelitatem, quorum remissionem non obtinuerunt, infidelis enim in sua infidelitate nullius peccati obtinet remissionem, ideo eius peccata manent: sed etiam propter ipsum peccatum infidelitatis

delitatis & excæcationis culpa ipsorum contractum, in quo adhuc perseuerabant. Si cæcos vos, i. peccatores esse sentiretis non haberetis peccatum, quia peccati remedium quæreretis, quia ad spiritualem medicum veniretis, quia accederetis ad Agnum Dei, qui tollit peccata mũdi, & à peccato vos liberaret: sed quia dicitis apud vos, i. putatis Hebr. vos videre, peccatum vestrum manet, i. non curamini, sed in cæcitate vestra permanetis. Vel *si cæci* esletis, ideſt, inscij scripturarum, tam grande peccatum vobis non incumberet. Ex Theoph.

CAPVT X.

Disserit de vero Pastore & ouibus.

1. 2. AMen, *amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium pastor est ouium.*] Hæc cum præcedentibus à Domino, continuò sunt dicta. Notandum Pharisæos illo facto impio quo cæcum à Christo illuminatum, propter eius confessionem eiecerunt, duo mundo significasse. Vnum est, eos Christum, non verum Messiam, sed pseudoprophetam ac seductorem reputare, & talem ab omnibus esse habendum, quales tunc proximis diebus aliquos experti erant seditiosos & seductores: de quibus Act. 5. & Ioseph. lib. 30. antiq. c. 4. Alterum est, quod ex priori sequebatur, omnes eos qui ipsum confitebantur, & in eum credebant, esse seductores, &

errantes, quales apud nos sunt hæretici, aut apostatæ à fide. Idcirco eos à Synagoga veluti à fidelium numero separatos eiiciebant. Dominus ergo ob causam hanc, has impostoras repellere decreuit. 1. eorum cæcitatem redarguit, quod non videant nec agnoscant veritatem quam idiotæ & humiles erant assecuti. Et contra eorum impostoras duas statuit veritates, vna est, se non solũ seductorem & pseudoprophetam non esse, sed potius eos omnes esse seductores qui per ipsum non intrant, tanquam verum ostium ouilis: illos verò esse veros & legitimos pastores, & Prophetas, qui per ipsum intrant. Altera est, eos qui in ipsum credent & ipsum recipiunt, non solum non esse extra numerum fidelium, imò neminem esse de ouili Dei, nec inter oues, & fideles computandum, qui in eum non credit, nec per ipsum intrat. Parabola igitur de fure & pastore & ostio, priorem veritatem ostendit, quæ quia erant magni momenti dicit, *Amen, amen dico vobis.* Ostium ouilis discernit oues à furibus & latronibus: fures quia latere & securè rapere quærunt, ostium fugiunt ne in eos pastores insurgant; latrones aditum facilem per ostium non sperantes ab ostio diuertunt. Vtrique ergo viam sibi facientes septa aut maceriam trãsiliunt: ideo ascendere aliunde dicuntur. At pastor ingressum facilem habens, nec latere quærens, cùm nihil timeat, non ascendit aliunde, sed intrat per ostium. Fures insidiantur, & occulta fraude decipiunt latrones, audacter aliena diripiunt: fures rebus, latrones etiam vitæ insidiantur. Ex Chrys.

3. *Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt,*

diunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.] Pastoris conditiones prosequitur, vt à fure & latrone adhuc magis secernatur: vt se esse verum pastorem & Christum manifestet. Nam primus & princeps pastorum aliqua habet communia cum pastoribus suis, quos vt ministros & vicarios in ouili constituit. Prima conditio pastoris est ingressus per ostium. 2. ostiarius aperit. 3. ab ouibus ex voce cognoscitur. 4. nominatim vocat eas. 5. ex ouili ad pascua educit. Chrys. Hom. 58. Ostium sunt diuinæ scripturæ, legis, & Prophetarum: per eas intrat Christus, per eas agnoscitur. Ostiarius verò est Moyses. Vel Christus ipse est ostiũ, quatenus per ipsius fidem ingressus patet in ouile Ecclesiæ. Spiritus sanctus ostiarius, qui aperit sensum scripturarum: vel Deus generaliter. Ex Aug.

4. 5. 6. *Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.*] Sexta conditio boni pastoris est quod ante oues emissas vadit viam dirigens ad pastum, & oues sequuntur eum ante euntem, quia vocem agnoscunt. Non debet pastor Ecclesiasticus gregem sequi, sed ducere ad veritatem, ait Chrys.

7. *Dixit ergo eis iterum Iesus, Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium.*] Cum non intelligerent Pharisæi allegoriam sententiæ præcedentis, assueranter se ostium ouium esse dicit: vt enim per ostium aditus & ingressus patet in ouile, sic per Christum & fidem in ipsum ingrediendum est in Ecclesiam Dei, & in regnum

regnum cœleste : qui enim de Christo non recte sentit, ab ouili hoc excluditur, nec ei patet ingressus. Quibus verbis significat Pharisæos esse extra Dei, & Christi Ecclesiam ; cæcum verò ab eis iectum, non esse exclusum ab hoc ouili, hic enim per ostium verum intrauit. Illi autem ostium hoc, per quod ingredi oportebat, respuerunt. Nec obest quod infra dicatur pastor, hîc ostium. Nam si se pastorem hic dixisset, non videretur eos excludere ab ouili sicut manifestè excludit, quando se ostium dicit ; qui enim non intrant per ostium fures sunt. Et cum dicit, *ouium*, significat se non tãtum esse ostium pastorum, sed etiam ouium: & rursus omnes intrantes, esse oues, siue pastores sint, siue tantum oues. Ostium ergo Christus est per quod oues & pastores oportet in Ecclesiam Dei ingredi. Aug.

8. *Omnes quotquot venerunt fures sunt, & latrones : sed non audierunt eos oues.*] Clarius parabolæ explicationem aperit contra pastores falsos, quos ait esse latrones, quia se ostium ouilis & ouium faciebant, & eas à vero Christo auertebant, sibi pastoris officium vsurpantes. Sic autem restringenda est sententia per præcedentem : Omnes qui venerunt se pastores ouium dicentes, aut Christum se esse iactantes, quia per ostium verum non intrarunt, fures fuisse & latrones, cum non aliud sit ostium præter Christum : & qui per eum non intrant oues non sunt, multo minus pastores: qualis fuit Theodas & Iudas, Act. 5. Hi enim sunt fures & latrones. At Christus est verum ostium ; & qui per ipsum non intrat de ouili non est. In Græco est, *venerunt ante me.* Veri

Prophetæ

Prophetæ non venerunt, sed missi sunt. Ier. 23. Philosophi etiã excluduntur qui falsa dogmata tradiderunt, se hominum magistros & doctores facientes. Alij limitant sic: quotquot venerunt se Christum esse seu Messiam annuntiantes. Alij extendunt ad eos etiam qui quod Christo erat proprium modo aliquo vsurpabant: de quibus Act. 5. Et quamuis aliqui eos receperint, tamen cum ipsis perierunt. Electi autem & fideles veri non audierunt eos. Et si fuissent veri pastores, oues vocem eorum audiuissent. Nam nouit Dominus qui sunt eius vt notat Aug.

9. *Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.*] Repetit se esse ostium: prius dixerat se esse ostium pastorum: nunc ouium & omnium qui in ouile intrant. Qui per me, inquit, introierit vitam habebit, & saluabitur. Et sumitur similitudo ab ostio ouilis: sicut enim oues in ouile per ostium intrantes, ibi conseruantur a lupis: sic qui in Ecclesiam intrant, vitam habent, & ab hostium potestate liberantur: extra quam Ecclesiam salus, & spiritualis vita non est; nam perierunt qui fures secuti sunt Act. 5. Quia erant ostium macelli, non ouilis. Non solùm qui per Christum in ouile Ecclesiæ ingreditur, salutem & vitam consequitur: sed in omnibus suis actionibus, & operibus, siue occultis, siue manifestis, dirigitur & prosperatur. Et est metaphora ab ouibus quæ siue ingrediantur, siue egrediantur, quocumque se conuertunt pascua inueniunt, tanta est fœcunditas & vbertas ouilis Christi, quæ est sancta Ecclesia, Hebr. Egressus & ingressus

dicuntur

dicuntur omnia negotia, & opera hominis: vt 2. Reg 3. & 3. Reg. 5. Sic dicitur, quocumque se vertat reperiet spiritualem refectionem, seu escam doctrinæ diuinæ & gratiæ. Psalm. 22. Ezech. 34. Vel ingressus intelligitur in Ecclesiam; egressus autem è mundo in cœlum. Aug. & Beda Ingredi homines intra seipsos cum contemplationi, egredi quodammodo extra se cum actioni vacant. Chrys. coniunctim legendum ingredi & egredi, & nihil aliud esse quàm securitatem quouis eundi, quiduis pro Christi gloria agendi, patiendique significare. Vel ingredietur ad fidem, egredietur ad spem. Ex Greg. sup. Ezech. Ho. 13. Vel ingredi dicitur cui est curæ homo interior, egredi vero qui hominem exteriorem, idest membra quæ sunt super terram mortificat in Christo. Ex Theoph.

10. *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat: ego veni, vt vitam habeant & abundantius habeant.*] Ostendit se esse verum ostium, non autem illos qui ante venerant, quia illi in ruinam & destructionem venerunt, Act. 5. At ipse venit vt vitam habeant gratiæ in seculo & abundantius in futuro æternam cõsequantur. Sic Aug. & Chryl. ho. 58. Adhuc in hoc seculo vita gratiæ datur, & abundantius datur, quia iustus in gratia augetur, & magis ac magis crescit. 1. Thes. 4. *Sic & ambuletis vt abundetis magis.* Rursus, *vt vitam habeant*, i. liberentur à malis Et *abundantius habeant*, i. fruantur bonis: venit enim vt qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Rursus, *vt vitam habeant*, quam per fidem in me venturum habebant. *Et abundantius habeant*: nam maior & copiosior

copiosior est Euangelij quàm quæ in lege datur gratia. Vel abundantius pro abundanter, ideſt, in dies perfectiorem. Gr. non ſolum vitam habeant, ſed ſanæ etiam, vegetæ & pingues ſint. Qua meraphora bonum fœlicémque eorum qui in ipſum credunt, aut præſentem aut futurum ſtatum declarat.

11. *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis.*] Ne quis putaret Chriſtum ſolum eſſe oſtium, quaſi alius eſſet paſtor, qui per eum intraturus eſſet, adiunxit ſe etiam eſſe Paſtorem, & quidem bonum: non quemcumque, ſed illum verum, & principem paſtorum. Paſtorem autem bonum ſe dicit, vt non ſolum ſe à latronibus & furibus ſeparet, ſed ab aliis qui curam veri paſtoris nõ habẽt, & mercenarij dicuntur, & ab iis etiam qui boni ſunt, per ipſum tamen intrant in ouile ouiũ. Cum ait duplici, ego ſum ille paſtor, ille bonus promiſſus à Prophetis, Ezech. 34. Zach. 13. 1. Pet. 5. & 1. Pet. 2. Proprius ouium paſtor, ideo pro illis vitam pono: quod non faciunt mercenarij. ex Greg.

12. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues.*] Non ſic ſe habet mercenarius, ſed vitam propriam ab omnibus periculis liberã conſeruat, etiam cum detrimento ouium. Non ſic Dauid 1. Reg. 17. Per lupum omne periculi genus intelligit. Quod dicit lupum rapere & diſpergere oues, ſi ad oues Chriſti accommodetur intelligendum eſt, quantum in ipſo paſtore eſt, qui eas in medio periculo & in faucibus lupi relinquit, ſi non rapiuntur, ſi non diſper-

dispergunturt, non mercenarij, qui fugit, sed Christi boni pastoris, qui nunquam gregem suum deserit, sit diligentia. Christus enim est qui dicit, *& nō rapiet eas quisquam de manu mea.* Lupi hæretici sunt, vel diabolus. Ex Aug.

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.*] Græc. Quia non est illi cura de ouibus: non quod nulla illi cura sit, sed quod non tanta, quàm de vita sua. Vel quia ipse mercedem solam quærit, ideo quando pereunt, oues ipsi non pereunt, nec datum ei referunt, quia solam mercedem ex custodia ouium habet; propterea fugit & vitæ propriæ consulit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet ait Greg.

14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.*] Reperit eandem sententiam non solum vt magis affirmet, sed etiam vt postquam se distinctum à mercenariis & furibus esse probauit, ab aliis omnibus etiam bonis pastoribus secernatur, sēque illum vnicum & verum promissum pastorem ostendat. Quod probat 4. argumentis à signo sumptis. Primū est, & cognosco oues meas. & pro quia. Pastores non cognoscunt oues suas distincte nisi aliquo signo notentur. At Christus verus & proprius pastor nouit oues suas, etiam nullo signo distinctas. Multi enim sunt & fuerunt inter infideles & peccatores, qui oues sunt Christi, nullum in se, quo ab aliis dæmonis ouibus secernantur signum habentes: tamen nouit eas Christus & ad se trahit. 2. Timot. 2. Cognoscit Dominus qui sunt eius, etiam antequam fiant: & non tantum exteriora ouium, sed intima

cordis

cordis perspicit. Et notandum quamuis generaliter oues Christi sint credentes in eum, tamen particulariter hic loquitur de electis, & prædestinatis, qui oues in æternum sunt futuræ. Illas nouit sed particulari modo, quia intellectu & affectu in eas fertur, quæ nunquam sunt auellendæ ab eo licet ad tempus errent. Secundum argumentum à secundo signo est, oues etiam meæ me cognoscunt. Electi & prædestinati Dei infallibiliter cognoscunt etiam pastorem Christum, quia licèt ad tempus errent, tamen tandem suum verum agnoscent pastorem, & cognoscent sicut etiam cognitæ sunt. 2. Tim. 2. Rom. 11. Est autem hæc nota effectus prioris, propterea enim oues cognoscunt me, quia ego cognosco eas. Ac si dicat diligo oues meas & ipsæ me diligentes obsequuntur. ait Greg.

15. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.*] Explicat quales sint cognitiones præcedentes. Cognosco oues meas sicut cognouit me Pater, & cognoscunt me meæ, sicut ego noui Patrem: loquitur vt homo. *Sicut*, non æqualitatem sed proportionem significat: vt Mat. 5. Pater sic nouit filium vt Deus est, quia intelligendo & cognoscendo totam suam eidonauit & communicauit substantiam & vitam; vt homo autem est, sic Christus à Patre cognitus est, vt non fuerit sterilis & inutilis cognitio, sed simul effectiua & factiua, quia eam humanitatem summis donis & perfectionibus & vita spirituali affecit, sic & Christus nouit suos, non sterili cognitione & speculatiua, qua etiam inimicos nouit, sed affectu & efficientia quia pluribus beneficiis & virtutibus insigni-

tus.

tus ac donis suos repleuit & replet electos eósque viuificat. Sicut igitur nouit me Pater, sic ego oues meas. Consideremus rursus quomodo Filius nouit Patrem: vt enim Deus est recognoscit, quod accepit à Patre, & redamat ipsũ, non tamen vitam aut aliquid ei communicat, quia Pater à filio non accipit quicquam in se: vt homo autem Christus nouit Patrem voluntatem eius in omnibus implendo, ipsius honori in omnibus consulendo, nomen eius celebrando. Sic etiam oues, & electi cognoscunt Christum amando, reuerendo, obediendo, colendo & celebrando; at nihil ei vitæ aut perfectionis addunt, nihil in se accipit ab eis Christus. Luc. 17. *Postquam feceritis hæc, dicite: Serui inutiles sumus.* His igitur propositis verbis declarat Christus, non qualemcumque se esse pastorem, sed Messiam & verum Christum Dei filium: nemo enim alius sic cognoscit aut cognoscetur ab ouibus. Quis enim oues viuificat vti Christus? quis seipsum dat ouibus? quis eas, vt ita dicam, deificat & consortes diuinæ naturæ facit, sicut ipse? Rursus est alia similitudo: sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem, vt nec à Patris cognitione & affectu diuellatur Filius, nec Pater etiam ab ipsius filij cognitione & affectu: ita erit firma & certa hæc cognitio inter me & oues, quæ in æternum manebit. Tol. & Chrys.

Et animam meam pono pro ouibus meis.] Hoc est 3. argumentum à signo discernente mercenarios à propriis pastoribus, & multò magis fures & latrones, qui non solum vitam propriam non exponunt pro ouibus, sed potius ipsarum vitæ insidiantur. Christus autem verus

&

& proprius pastor vitã pro ouibus suis exposuit. Et hoc etiam signo à bonis Pastoribus Christus secernitur, quia nõ quouis modo Christus animam posuit pro ouibus, sed eo quo nemo alius posuit nec ponere potuit: vt hoc argumento esse verum Christum & principem pastorum probet, quod in quatuor maximè apparet. Primò Apostoli & Martyres vitam expoluerũt pro ouibus Christi: sed eorum mors ouibus in redemptionem & remissionem peccatorum nõ profuit: sola enim mors Christi peccatum delere potuit, gratiam restituere & cœlum aperire. Ipse ergo est qui maximè pro ouium salute animam põsuit, & ratione effectus, quia maximè profuit. Secundò, hi qui pro aliis vitam exposuerunt, erant morituri etiamsi pro aliis eam non exposuissent. At Christus non sic. Ex vnione enim ad verbũ caro illa immortalis futura erat, & ei impassibilitas & immortalitas debebatur: at pro nobis & ouium salute, se passibilem & mortalem fecit: dispensatiuè impediendo, ne eius gloria ad carnem se extenderet; se ergo mortalem & patibilem pro ouibus fecit. Idcirco ipse solus est qui pro eis vitam verè exposuit. 2. Cor. 8. 5. Homines potius pro se moriuntur quàm pro aliis, quia plus sibi prosunt quàm illis. Mors enim martyrum plus eis profuit, quia gratiæ & gloriæ pondus illis cõtulit; nobis autem ad exemplum & satisfactionem pro temporalibus pœnis profuit. Maius autem est gratiæ & gloriæ bonum quod sibi per mortem conciliarunt vnde Aristoteles gentilis docuit, qui pro amico moritur plus amare se; quàm amicum, quia sibi bonum honestũ comparat, amico autem vitam temporalem: pro

cuius

cuius defensione vitam exponit. At Christi mors nobis plus profuit, ad peccati remissionem, ad gratiam, ad gloriam, advitam æternam. Horum nihil sibi per mortem comparauit, ex vnione enim omnia sibi debita erant. Isa. 7. 4. Nullius vita in totum alteri profuit: multum tempus vitæ intercedit inutile aliis. At Christus ab instanti suæ incarnationis nobis profuit, nam & tunc nostram redemptionem sua dilectione meruit. Ipse igitur est qui propriè & perfectè animam suam posuit pro ouibus suis. Isa. 53. ex Tol.

16. *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.*] 4. Argumentum est à quarto signo boni pastoris & proprij hoc est errantes oues quærere & reducere. Eze. 34. Habebat Dominus multas oues errantes inter gentes, quę non erãt de ouili Synagogę, has per suos Apostolos quæsiuit, reduxítque ad ouile suum. His verbis vocationem gentium significat. Basil. Greg. Aug. Chrysost. Adduxisse Christus dicitur, quia per Apostolos ad eos missos eas oues reduxit & conuocauit. Illud *oportet* Patris mandatum indicat. Oues erant non solum propter prædestinationem, sed quia aliquando oues futuræ erant, oues per anticipationem appellat. Dum dicit quæ non sunt ex hoc ouili, indicat aliud esse ouile præter synagogam, de quo loquebatur. Ouile enim vocat multitudinem hominum iisdem legibus viuentium. Qua ratione totus populus Iudęorum erat vnum ouile, omnes verò gentes alterum. Quamuis enim inter gentes maxima ex parte Ecclesia perierat quia idololatria & veri Dei ignorantia vbique regnabat: tamen non

in

in totum periit: non enim deerant aliqui quãuis rari & pauci, in quibus veri Dei fides & mandatorum obseruantia vigeret. Iob enim qui fuit ab Abrahamo quintus, fidelis & rectus erat, & huiusmodi alij tunc & postea inuenti sunt. Hi ad Ecclesiam gentium pertinebant. Ex Aug. & Chrys.

Et vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.] Apostolorum & prædicantium voces, quos ad gẽtium oues conuocandas misit, hoc loco significat. Audient, inquit, hæ oues tam errantes, quàm si quæ intra ouile illud fuerint, vocem Christi, per Apostolos clamantis non solum auditu aurium, sed cordiũ, quia fide & dilectione & obedientia conuertentur ad pastorem suum verum, & fiet vnum ouile ex vtroque. Nam ex synagoga Iudæorum & gentium Ecclesia, vna vniuersalis & Catholica fiet Ecclesia, extra quam non est salus, vbi iam non est distinctio Iudæi & Græci, sed vnũ est ouile, vnus populus, vna fides, vnica religio, eadem sacramenta, vnum sacrificium. Et sicut erit vnum ouile, erit etiam vnus pastor, vnum caput religionis, & vnicus supremus gubernator. Hoc non solum ad Christum Dominum refertur, sed ad suos vicarios, quos in ouili visibili militantis huius Ecclesiæ habet, vnus enim est pastor Petrus post Christi ascẽsionem, vnicus etiam pastor successor Petri Romani Episcopi, qui vices Christi in terris gerẽs vnius ouilis pastoris munere fungitur: sub quo inferiores militant multi: non toti ouili vt ille, sed singuli singulis ouilis partibus præsidẽtes. Et attende artificium: Ecclesia vna à principio per millia aliquot annorum vsque ad Abraham processit,

processit, diuisus est in eo postea populus vt duo essent ouilia: per Christum autem sublata diuisione ad vnitatem redacta est Ecclesia, in qua in æternum manebit. Hæc vnio & conuocatio prædicta est per Ezechiel. 37. 34. vt notat Theod.

17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.*] Respondet taciturnæ obiectioni, Quomodo si animã tuã pones, poteris postea adducere oues has, vt vocem tuam audiant, ac eris vnus pastor vnius ouilis? Respondet, quia ita Pater voluit me ponere animam meam, vt rursus eam assumerem; ita mori me decreuit, vt cito resurgerem. Et hac ratione dicta mea constant, nec inter se pugnant. Ponam enim animam, & verum erit, me pro ouibus animam ponere. Iterum sumam illam & resurgam, & sic adducam & congregabo oues meas, & audient vocem meam. Et erit vnum ouile & vnus pastor. Quòd morior & resurgo; propter hoc sibi Pater in me cõplacet, me diligit. Tol. Chry. verò & Theop. putant ideo Christum hoc subieciisse vt ostenderet se non esse seductorem, & corruptorem animarum, quin potiùs, eas tantopere amare vt animã suã ponat pro eis, ideóque à Patre suo diligatur. Alij voluisse se officium illud pastoris non vsurpasse, sed à Patre iniunctum suscepisse: nec stolidam esse temeritatem quòd pro ouibus suis mori velit, id sibi à Patre præceptum esse: & propterea se à Patre diligi quòd eius præceptum seruet, non quod ante, & ob alias causas, non diligatur, sed ob eam diligi. Ex Chrys.

18. *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam*

à meipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.] Explicatio est superioris sententiæ. Et docet se non mori vt cæteros homines, qui necessitate naturæ moriuntur, nec in potestate est animam in corpore detineri, sed expellitur etiam ipsis nolentibus. Rursus animam expulsam à corpore non possunt reuocare: at Christus non sic, nemo animam illius à corpore separare valebat; nisi ipse separaret: & post separationem ipse potestatem habuit iterum coniungendi eam corpori. Nam diuina persona vnitã sibi habebat animam & corpus, quãdo autem voluit, inuicem separauit, & quãdo placuit, inuicem ea coniunxit: à se tamen nũquam remouit. Tol. Ad modum hominis habentis ensem in vagina, qui quãdo vult exerit ensem: tamen quia vna manu vaginã, altera ensem tenet, potest quando voluerit iterũ mittere in vaginam.

Hoc mandatum accepi à Patre meo.] Exponit cur dictum sit, Propterea dilexit me Pater; causa est, quia hoc mandauit mihi Pater, vt ponerem quidem animam, sed tamen iterum eam sumerem. Et idcirco hoc illi in me placet, quia secundùm eius voluntatem & mandatum est. Vel hoc addit vt doceat se non temere officiũ illud pastoris & animam suam pro ouibus ponendi vsurpasse. Ex Chrys.

19. 20. 21. *Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos: Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?*] Iterum dissensio facta est inter Iudæos, qualis illa cui-

ius cap. 9. facta est mentio. Hæc dissensio ex verbis & mira doctrina Christi; illa verò ex mirabili facto quo cæcum illuminauit orta est. *Dæmonium habet & insanit*, idest, dæmonium habet, quo arreptus insanit, & sermones non ex propria mente, sed ex diaboli agitatione effundit. Qua blasphemia cæteros ab audiendo verbo arcebant. *Quid*, inquiunt, *auditis eum*, qui verba dæmonis ipsum insanire facientis, loquitur? Alij contra argumentabantur rectè: Cuius opera dæmonio non possunt adscribi, nec verba. At hic cæcum natum illuminauit, quod dæmonium non potest facere. Ergo verba eius non sunt dæmoniũ habentis. Quæres cur Christus nihil eis respondit, sed discessit eos in sua contentione relinquens. Respondetur quia sic eos contempsit, eorum vtilitatem & fidem desperans: vel quia iam respondisset cap. 8. cùm idem sibi obiiceretur: vel quia indigni essent responso qui post tot miracula dicerent eum dæmonium habere: Vel quia maluerit per eos illis responderi qui illis contradicebant, quasi per homines qui carerent omni suspicione gratiæ. Ex Chrys. & Theoph.

22. *Facta sunt autem Encœnia in Hierosolymis, & hyems erat.*] Non continuò hæc quæ modò narrantur facta sunt, sed aliquot dies intercesserunt. Quæ enim in cap. 9. & huius 10. parte superiori gesta describuntur, acta sunt paulò post festum tabernaculorum seu Scenopegiæ, quod fiebat mense Septembri, vt constat ex cap. 7. & 8. At hoc in die 25. mensis Nouembris quãdo festum Encœniorum, idest, renouationis celebrabatur: quando tempore Machabæorum altare holocausti quod sacrificandi

candi causa constructum erant, à Gentibus profanatum, destructum est, & nouum ædificatum. 1. Mac. 4. Vel quando totius vrbis Hierosolymitanæ dedicatio facta est, cùm eius muri assiduis bellis & sub regibus Babylonis & sub Antiocho labefacti, sunt restaurati. Theod. Vel quãdo templum dedicatum est. 3. Reg. 8. Cyril. Vel quando templum sub Zorobabel restauratum est. 1. Esd. 6. Chrys. Theoph.

23. *Et ambulabat Iesus in porticu Salomonis.*] Quamuis à Babyloniis illud templum fuerit funditus euersum, tamen reædificatum & restauratum est postea, & in memoriam veterem idem Salomonis nomen porticus hæc retinuit. 3. Reg. 6. Cum notauit Euangelista quia hyems erat, causam voluit reddere quia re Christus in porticu ambulauerit: nec enim decebat in templo ipso ambulare. Dicitur Salomonis, quia Rex ille ad orandum stare consueuerat ait Alcuin.

24. *Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebãt ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palàm.*] Ambulantem circumdant: vel Iudæi, vel Iudæorum principes, vt stare faciant & commodius eum alloquantur. Particula *ergo* hoc indicat. *Quousque animam nostram tollis?* Quandiu nos suspensos & incertos trahis? nimium te nobis manifestare differs. Mentiuntur. 1. Si enim anxij & suspensi fuissent non dixissent toties, *Dæmonium habet.* 2. cùm dicunt illum esse in causa: *Quousque*, inquiunt, *tollis?* Nam Christus iam satis illis declarauerat, quis esset. Dum dicunt, *Si tu es Christus, dic nobis palàm*, in mendacia peiora ruunt: nam indicant Christum non palàm, liberè, & aper-

tè locutum: quod falsum est ex cap. superiorib. Et quod innuût se credituros, si palàm loquatur, vt patet ex sequentibus, fraus etiam erat præter mendacia. Nam si se Christum diceret occasionem calumniandi arripuissent, quod se Regem faceret, & contradiceret Cæsari. Putabant enim Christum Messiam Regem futurum, & sessurum in solio Dauid. Idcirco frequentiùs se dicebat esse Dei filium, & à Patre missum, & promissum in scripturis, quæ aperta erat confessio quòd esset Christus; idque Iudæi intelligebãt. At nomen dissimulabat, quia illi non vt intelligerent, sed vt accusarent quærebant, quasi regiam potestatem sibi arrogaret. Ex Aug.

25. *Respondit eis Iesus: Loquor vobis & non creditis: Opera quæ ego facio in nomine Patris mei hæc testimonium perhibent de me.*] Mirabili artificio vno verbo se esse Christum confitetur, & fraudem illorum declinat, & simul mendacia eorum reuincit: *Loquor*, inquit, *vobis*. q.d. Ego nihil aliud facio quàm loqui & manifestare quod petitis. Græ. dixi iam vobis. Ecce fatetur se esse Christum, & tamen verbo non exprimit. dixi, & tamen non creditis: non igitur verum est quod dicitis me non esse locutum palàm. Adiungit vt amplius eos conuincat, non solũ verbo manifestaui quis essem, sed operibus: nam opera quæ ego facio in nomine Patris mei, idest, virtute diuinitatis, vel decreto, autoritate, & voluntate Patris, ostendunt me esse Dei filium: quomodo igitur dicitis me nõ esse locutum palàm, quandoquidem me manifestaui vobis & verbis & miris operibus, & tamen adhuc non creditis? Ex Chryſ.

26.27. *Sed*

26.27. *Sed vos non creditis quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.*] Q. d. Non sum ego causa vestræ incredulitatis, quod non sim palam locutus, sed vos ipsi & nequitia vestra, quia vos non estis de numero ouium mearum. Nam oues meæ vocem meam audiunt, mihi fidem habent & voci obediunt, & sequuntur me mandatis meis obedientes. Si tales essetis, vtique crederetis: at non creditis, quia ex ouibus meis non estis. Vide vers. 4. Aug. has oues electos esse ait, seu prædestinatos. Act. 13. Alij iustos, & bonos viros. Theoph. Vel, oues vocat per anticipationem, idest omnes animo paratos ad credendum; quamuis nondum crederent, vt sup. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili. Et ego cognosco eas*, idest, eligo. Ex Alcuin.

28. *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*] Magna est hæc potentia, & Dei propria vitam dare æternam, & magnum est præmium ouibus Christi. Quod si hoc non allicit, terreat quod sequitur: Si oues non sint in æternum peribunt. Nemo dicat, ouis non sum, mihi æterna solum vita negabitur, malum inde nullum mihi impendet. Decipitur profecto, in æternum peribit. Dicit *do* in præsenti; quia certissimè dabit suo tempore: vel quia dat in spe, per gratiam, in hac vita perceptione Eucharistiæ vt s. d. cap. 6. reipsa per gloriam in in altera vita. Procurabant Iudæi auertere homines ne in Christum crederent. Tyrani idem sunt conati tormentis. Dæmon idipsum tentat, innumeris artibus. Sed de Christi manu & po-

testate nemo oues tollet, nec impediet, quominus ad vitam æternam perueniant, & ad ipsum conuertantur. Ex Aug.

29. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.*] 1. Probat Dominus quod dixit, non rapiet oues meas quisquam de manu mea. Nã Gr. lectio habet. Pater meus qui dedit mihi maior omnibus est. Ideóque cùm sit fortior & potentior omnibus, nemo poterit è mea manu rapere oues meas, quas dedit mihi Pater: quia ego & Pater vnum sumus natura & potentia. Sic Iansſ. Vel loquitur vt homo, & sic Patrem dediſſe ei id quod maius eſt omnibus dicit, quod ſit verbum eius vt ſim ſplendor lucis eius; quia diuinitatem illius humanitati coniunxit, & fecit vt homo ille Deus eſſet. Aug. Eccleſia quam mihi regendam tradidit, oues quas paſcendas dedit, maius quiddam eſt, ideſt, charius pluriſq; re faciendum, quàm quiduis aliud. Mald.

30. *Et nemo poteſt rapere de manu Patris: Ego & Pater vnum ſumus.*] Idem confirmat, Nemo poteſt de manu Patris rapere cùm Deus ſit: igitur nec de mea manu rapere poterit, quia *Ego & Pater vnum ſumus*, vnius eſſentiæ & poteſtatis. Si igitur nemo poteſt rapere de manu Patris, nec de mea poterit. Expreſſis verbis ſe Dei filium conſubſtantialem Patri declarat. Hanc ſecundam ſubiunxit rationem vt prior fortior eſſet. Nam poſſet aliquis exiſtimare accepiſſe à Patre maius omnibus, nempe, contradictoribus & perſecutoribus: tamen nõ abſolutè maius omni re creatã, quòd ſit maius omnibus quæ ſunt, non quæ fieri poſſunt. Præterea non exprimebatur hoc maius

omni

omnibus ita esse à Patre datum, vt non esset à Patre diuisum. Propterea rationem hanc verbis sequentibus addidit, se accepisse à Patre maius omnibus, id nempe quod supra totum; quod creari potest, est, & ita accepisse vt indiuisum maneat in Patre, & filio, quia vnica est diuinitas, & essentia vtriusque: secundum quã Pater & filius vnum sunt. Nemo ergo de manu Christi rapiet oues, quia vt homo est, habet à Patre diuinitatem cui est vnita humanitas: vt Deus, est vnum cum Patre. Catholici omnes qui contra Arianos disputauerunt, dixerunt, *Vnum* essentiam significare. Hil. Epiph. Greg. Naz. Basil. Amb. Cyr. Ariani contra dicebant Patrem & filium esse quidem vnum non natura atque substantia, sed concordia & voluntatis consensu: vt cap. 17. Act. 4. v. 10. 5. Ait saris ex his quæ diximus conuincuntur: & ex S. Aug. qui l. 3. c. 22. contra Maximum Arianorum Episcopum, air, omnia quę vnum dicũtur esse, eiusdem esse naturæ, nec exemplum vllum in sacris literis contrarium reperiri. Deinde ex ipsis Iudæis Christi aduersariis discere Ariani debuerunt Christum non voluntate sola, aut accepto à Patre auxilio aliquo; sed etiam potestate atque natura significare se vnum esse cum Patre: vt notat Atha. l. quod Deus de Deo sit verbum, & Cyr. l. 12. Thes. cap. 15. Ad hoc enim verbum Iudæi lapides sustulerunt intelligentes Christum se paris cum Patre fecisse potestatis. Lapides isti clamant aduersùs Arianos. Deinde non solum factis sed etiam verbis Iudæi declararunt quamobrem Christum lapidare vellent. vers. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia quia cùm homo sis,*

facis teipsum Deum. Denique Christus non respondet se non vocasse seipsum Deum, sed probat merito se ita vocasse. Iansen. & Mald. Alio præterea modo Ariani hunc locum eludere solebant, non dixisse Christum, ego & Pater vnum sum; sed, vnum sumus Non ergo vnam esse naturam, qui dicere possunt, sumus. Respondet Idacius duobus verbis Sabellianos simul atque Arianos refutasse, Sabellianos cum dicit, *Sumus*, indicans se & Patrem duas esse personas; Arianos, cum dicit *Vnum*, docens non duas sed vnam esse naturam. Ex Hil. 8. de Trin. & Aug.

31. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi vt lapidarent eum.*] Se Dei filium, Patri æqualem, verumque Deum esse, Christus visus est Iudæis affirmasse, nec in hoc sunt decepti: at cum hominem merum putarent, tanquam blasphemũ iudicantes lapidare eum voluerunt. Particula, *ergo*, causam lapidandi indicat; nempe quia dixit, *Ego & Pater vnum sumus.* Ex Aug.

32. *Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostẽdi vobis ex Patre meo, propter quod horum opus me lapidatis?*] Sedat eorũ animos furore turbatos, simulque veritatem dictam confirmat. Et est sensus, multis bonis operibus vos cumulaui, sanatis multis vestris infirmis, & mortuis suscitatis, quæ omnia opera ex Patre meo sunt, idest virtute Patris sunt facta, & simul me filiũ eius ostendunt: propter quod opus eorum me lapidare vultis? q.d. Non minùs operibus bonis in vos collatis me esse filium Dei affirmo, nõ minus factis quàm verbis loquor: propter quod ergo opus bonum & beneficium me lapidatis? Hebr. ostendere bona, idem est quod afficere beneficia

beneficiis : vt Psalm 4. & 59. & 70.

33. *Responderunt ei Iudæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis facis teipsum Deum.*] Fatentur. q. d. Nullum bonum opus habes propter quod te lapidemus, aut si quod bonum opus feciſti, quod modo non diſputamus, propter illud te non lapidamus. Vel fatentur Iudæi ſe bona opera accepiſſe à Chriſto, tamen negant ſe pro vllo bonorum illorum opere eum lapidare: ſed propter blaſphemiam hanc, nempe cum ſit homo affirmet ſe eſſe Deum. Miſeri iſti Iudæi hominem eſſe impedimento quo minus Deus eſſet, reputabant, quaſi vtrumque ſimul eſſe non poſſet, nempe Deus & homo. Hil. 7. de Trin. & Aug.

34. 35. 36. *Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra : Ego dixi, dy estis ? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?*] Blaſphemiæ notam ſibi inuſtã Dominus repellit, & infirmitati illorum ſe accommodans vtitur argumento à lege eorum ſumpto : Si Scriptura homines communes appellat Deos, quia ſermo Dei ad eos factus eſt, nec vlla eſt blaſphemia tales appellare Deos, multò profectò minus erit blaſphemia, & multò verius ſine blaſphemia is dicetur Deus, quem non ſermo Dei ſanctificauit, ſed quem Deus miſit in mundum. Et ſi Scriptura ſolui nõ poteſt, i. mendax aut irrita eſſe non poteſt: ſi igitur hoc verum eſt, & falſum aut irritum eſſe non poteſt, quomodo vos dicitis me blaſphemare dicentem : filius Dei ſum, qui ſermo

Dei sum, & innumeris partibus illos excedo? Nam me Pater sanctificauit, & misit in mundum. Profectò non hæc est blasphemia, sicut nec illa quam Scriptura profert. Sanctificatum esse à Patre & in mundum missum, idem est quod filium Dei esse naturalem. Vel gignendo sanctificatum fuisse. *Sanctificauit* est Hebraismus, idemque significat quod designare, destinare ad aliquod officium: vt Ier. 1. Hilarius 7. de Trin.

37. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.*] Quia dicere poterant illi, vnde scimus, seu probas te à Patre sanctificatum & missum? adiungit se non verbis tãtum, sed etiam ipsis operibus id ostendere. Et est sensus, si non facio opera Patris mei, i. quæ ostendunt me esse Dei filium, & Patrem habere Deum, qualem verbis profiteor, nolite credere mihi, idest, aliquam excusationem haberetis mihi non credendi. Si autem facio opera Patris, & vos mihi verbis asserenti, non vultis habere fidem, saltem credite operibus: si sermo meus non vobis persuadet, persuadeant opera, vt cognoscatis ex eis, quis sim, & tunc credatis me vnum esse cum Patre, vnius naturæ & essentiæ: ratione cuius Pater in me, & ego in Patre sum. Verba hæc eundem sensum habent cum illis: *Ego & Pater vnum sumus*: vt notat Athan.

39. *Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.*] Quia repetiit se esse verum Dei filium, rursum Iudæi eum apprehendere & lapidare quærebant. Hoc indicat particula,

particula, *Ergo*. At Dominus sua virtute diuina euasit de manibus eorum, eo modo quo suprà c. 8. se inuisibilem reddens: & nemo potuit eum detinere. Non apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt, ait Aug.

40. *Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mansit illic.*] Ioannes baptizare cœpit in Bethabara, seu Bethania, vt dictum est in c. 1. postea recessit in Ænnon, iuxta Salim, c. 3. modò Dominus furori Iudeorum cedens in Bethabaram abijt, vbi prius Ioannes baptizabat. Alij exponunt *primum*, ideſt, priusquam in carcerem coniectus esset. Iansſ. & Tol.

41. 42. *Et multi venerunt ad eum, & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Ioãnes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.*] Videtur in hoc verbo duplex argumentum simul implicatum esse. Alterum est: Ioannes nullum vnquam miraculum fecit, & tamen illi credidimus: multò ergo magis huic credere debemus, qui tot miracula fecit. Alterum: omnia quæ Ioannes de isto prædixit vera sunt: ergo illi credere debemus. Quibus commoti argumentis, inquit Euangelista, multi crediderunt in eum, Iudæis interim in sua cæcitate obduratis: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Ex Chryſ. & Aug.

CAPVT XI.

Lazarum resuscitat.

1. *ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius.*] Incertum quanto tempore post Christi ingressam ad Iordanem fugam, quę superiore capite narrata est, hæc acciderint quæ hoc capite narrantur. Tamen ex vers. 55. colligitur duobus plus minúsve mensibus accidísse, fuga enim contigit post festum statim Encœniorum, idest, ineunte Decembri: hæc autem facta sunt Pascha iam appropinquante. vers. 55. An semper Christus in eodem loco illo fuerit, & quid interim fecerit Euangelista non dicit. Credendum est otiosum non fuisse: quidam ea referunt facta quæ Lucas à cap. 15. vsque ad 19. commemorat. Mald. Verùm vtcũque sit: narrat hoc c. Ioannes historiã illius insignis miraculi, quando Lazarum suscitauit, quando & impij Iudæi Christum interficere animum obfirmarunt. Incipitque personas & loca describere. Quo igitur tempore erat Dominus trans Iordanem, erat quidam languore laborans Lazarus nomine de Bethania, quę erat Castellum & vicus Mariæ & Marthæ sororum eius, vt diximus Mar. 11. Illud, *de Castello*, est per appositionem dictum. Erat de Bethania, Castello nempe Mariæ & Marthæ. Tol.

2. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis.*] Quia plures

plures Mariæ erant, quæ Dominum sequebantur Mat. 26. & 28. voluit Mariam Lazari sororem insigni illo miraculo & publico facto, à cæteris Euangelista distinguere, quòd pedes vnxisset Christi. Solet à multis quæri quam vnctionem intelligat, illámne quam apud Luc. c. 7. factam legimus, an eam quam idem Ioannes c. sequenti describit: sæpe enim vnctum fuisse à muliere Christum Luc. 7. & Mat. 26. & Mar. 14. & Io. 12. manifestum est. Quæstio pendet ex alia q. an eadem fuerit mulier, quæ & apud Lucam & apud cæteros Euangelistas Dominũ vnxisse dicitur, de qua apud Mat. 26. disseruimus, & diximus vnam & eandem fuisse, & ex hoc loco colligitur. Nam non satis Euangelista hanc à cæteris distinxisset hoc signo quòd vnxisset pedes Domini: nam & aliæ similiter vnxerant. Mald.

3. *Miserunt ergo sorores ad eum dicentes.*] Qui sanare poterat. & distabat Bethabara à Bethania iter duorum fere dierum. Non veniunt ipsæmet, quia satis cognitam habebant Christi benignitatem, confidebantque satis esse vt illi fratris mortem significarent: & quia fratris luctu & cura prohibebantur. Chrys. Cyr.

Domine ecce quem amas infirmatur.] Ecce nuntium à sororibus missum plenum fide, spe, & charitate. Nam fidei fuit, credere Christũ impedire, quamuis absentem, posse quominus ægrotus frater moreretur. Ideoque non rogant vt veniat, vt festinet. Cyril. Et spei fuit confidere fore vt non longiori ad exorandum Christum oratione opus esset. Et charitatis reuocare in mentem Christo eius erga Lazarum amorem. Admirationem etiam quandam hęc verba præ

bá præ se ferunt. q. d. Qui fieri potuit vt quem amas infirmaretur? Ex Chrys.

4. *Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.*] Propterea dixit non esse ad mortem, quia etsi Lazarus ex ea moriturus erat, sibi tamen qui suscitare poterat, non erat moriturus: vt Mat 9. Et indicat Lazarum quidem illis mortuum esse, sibi verò dormire. aut quia ita moriturus erat vt mansurus non esset mortuus, sed duobus diebus suscitandus. Theoph. Chrys. monentque dictionem, *pro*, & *vt*, non causam & finem, sed euentum aut consequentiam significare. Nec enim propterea Lazarum ægrotasse vt filius Dei glorificaretur, sed cùm ægrotasset, ac mortuus esset, consecutum inde esse vt glorificaretur filius Dei. At non fuisse infirmitatem ad mortem, quia finis mortis Lazari non ipsa erat mors, sed gloria Dei, quæ ex ea erat consecutura. Aug. Beda, Rup. Rectè probant ex hoc loco veteres Christi diuinitatem, nam seipsum Deum appellat. *Pro gloria Dei*, idest, mea: aut Patris quæ mea est. In eo enim gloria posita erat, quòd Christi diuinitatem multi essent cognituri, ex suscitato Lazaro: aut quòd miraculum diuulgandum esset per totum orbem terrarum, vnde Patri & filio magna erat accessura gloria. Ex Aug.

5. *Diligebat autem Iesus Martham & Mariam sororem eius, & Lazarum.*] Hanc dilectionem Christi exponit Euangelista 1. ne quod statim ad sanandum ierit, sed duobus expectatis diebus, vllus adscriberet voluntati, quasi noluerit: sed mysterio vt maius miraculum fieret;

ret : tum vt verum esse quod dixerant sorores cõfirmaret, *Ecce quem amas*: tum etiam vt amorem hunc quo sorores prosequebatur notum relinqueret fidelibus. Demum quia notitia dilectionis huius aliqua, quæ narranda sunt, efficiuntur manifestiora. Cyr. vt doceat non mirum si quos diligit Dominus castigat cum Lazarum, quem diligebat, morbo afflixerit. Qualis verò hæc dilectio fuerit; not. quod quatuor dilectionis genera erant in Christo : vna dilectio est, qua vt Deus ab æterno dilexit hominem, hæc enim causa fuit, vt homo fieret : Altera est humana; qua vt homo diligebat, sed naturalis: dilectio autem & amor naturalis est qui alicui vinculo naturali innititur, vt quando amamus vel quia sanguine coniunctos, vel quia familiares, vel quia benefactores, vel simili vinculo naturali nobis colligatos habemus. Tertia dilectio est etiam humana, sed moralis, quę innititur virtuti & bonis moribus. ac honestis, qua virtuti deditos & probos diligimus propter honestatem: quam etiam Christus habuit vt homo. Quarta est spiritualis qua diligimus propter Deum : itaut ratio amandi sit Deus ipse, qui finis est supernaturalis noster: & hæc est dilectio charitatis. Hæ tres Christo inerant vt homini, prima vt Deo, quæ erat æterna, tres reliquæ temporales. Illa quæ charitatis est fuit ab instanti incarnationis, cæteræ temporaneæ saltem quantũ ad actus. Naturali enim quadam dilectione acquisita prosecutus est aliquos, qui sibi familiares fuerũt, vel à quibus aliquod temporale recepit beneficium, erat enim mortalium gratissimus. Lazarum ergo & sorores his omnibus 4. modis diligebat.

Particularem

Particularem autem amorem & dilectionem Euangelista voluit significare, nempe naturalem & honestam seu moralem, qua vt familiares & amicos & studiosos tanquam homo diligebat. Ex Tol.

6. 7. *Vt ergo cognouit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: deinde post hæc dicit discipulis: Eamus in Iudæam iterum.*] Diximus duos dies expectasse vt illustrius foret miraculum. Computandi hi duo dies sunt eo numerato in quo perlatum est nuntium, quando etiam Lazarus est mortuus, post quos proficiscens die quarto peruenit Bethaniam, & suscitauit quatriduanum. Et illis duobus diebus transactis, inuitat discipulos vt iterum veniant secum in Iudæam. Erat enim Bethania in Iudæa: sciebat enim timiditatem eorum, ideo id prædicit vt eorum ignauiam tacitè arguat; & ne re insperata turbarentur postea, quando in Iudæam peruenissent. Tol. & Mald.

8. *Dicunt ei discipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*] Nunc, i. paulò ante: Nam in festo Encæniorum proxime elapso Iudæi lapidare Christum voluerunt: quamuis vt alij putant duo ad minus menses interfuissent, vt t. d.

9. *Respondit Iesus: Non duodecim sunt horæ diei? si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.*] Dominus metaphora quadam seu prouerbiali modo loquendi timiditati eorum medetur, ostendens nondum esse suæ mortis & passionis tempus: & idcirco non esse adhuc timoris causam.

Metaphorâ

Metaphora hæc est: dies duodecim horas habet, & qui ambulat in vna harum, etiamsi vltima sit, quia adhuc iux est, & nondum tenebræ superuenerunt, securè potest ambulare sine offensionis periculo, nam in quæ impingi solet manifesta sunt, & declinare vnusquisque potest. At quando nox aduenit, minùs securè homo ambulat: cùm enim deficiente lumine offendicula non videantur, facilè impingit. Duodecim horis diei tempus vitæ suæ Dominus significat, quãdo nemo ei nocere nec eum comprehendere potuit: quia quæ disposuerat secundum diuinum beneplacitum, omnia erat complexurus. Noctem verò tempus passionis appellat de quo dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Erat quidem iam vicina nox, quia imminebat passionis tempus: tamen adhuc erat hora diei, quando nemo ei nocere poterat; nec in eum manus iniicere. Simile est apud Luc. 13. Vel est prouerbialis locutio cùm significare volunt, quòd vna hora non fiet, alia fieri posse: mutari posse ludæorum animos, vt qui paulò antè se interficere volebant, nunc libenter excipiant. Lyra. Vel tempus vitæ Christi diem appellari, nondum esse tempus pœnas de Iudæis sumendi, adhuc beneficia etiam inuitis conferenda, quandiu in hac versaretur vita. ex Cyr.

11. *Hæc ait; & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitẽ eum.*] Docuerat nihil sibi imminere periculi si in Iudæam reuerteretur, quod nondum sua venisset nox, sed adhuc in die, & lucẽte sole ambularet. Nũc causam aperit cur eat; Lazarus, inquit, amicus noster dormit, vado autem vt à somno excitem.

excitem eum. Somnum vocat mortem. Illam breuem, tum quia suscitandus citò erat, tum etiam vt facilitatem indicet, qua mortuos suscitat, qualem si à somno excitaret. Amicum communem appellat. Noster, inquit, amicus; vt discipulos amicitiæ communione ad commiserationem, profectionémque, & ad viam faciles redderet. Chrys.

12. *Dixerunt ergo discipuli eius: Domine si dormit saluus erit.*] Adhuc timentes sibi, Domino in Iudæam reditum dissuadebant. Et dicunt, si dormit non amplius indiget medicina, saluus erit: somnus enim salutis recuperandæ signum & causa est: vt vulgò dici solet, quamuis sit sæpe indicium mortis. Sic Chrysostomus.

Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.] Declarat Euangelista verbum Christi, quod tunc discipuli non perceperũt, Dominus enim mortem somnum appellauerat, at illi hunc somnũ dormitionem esse conceperant. Mirum tamen quomodo concipere potuerint Christum tam longum iter, & cum tanto vitæ periculo suscipere voluisse, vt Lazarum dormientem excitaret à somno: fortè quia adhuc rudes putabant Christum de noxio somno locutum, responderunt: *Si dormit saluus erit.* Ex Chrysostomo.

14. *Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est.*] Particula, *ergo*, illationem ex præcedentibus indicat, nempe quia non intellexerunt apertè sensum verborum præcedentium, ideirco verbis claris idem exprimit, *mortuus est.* Ex Aug.

15.

15. *Et gaudeo propter vos, vt credatis quia non eram ibi.*] Gaudeo quia non eram ibi: & hoc propter vos, vt credatis: si enim adfuissem aut sanassem eum, occasio tanti miraculi sublata fuisset, fidésq; vestra minùs promoueretur; aut si non sanassem, vestra periclitata esset fides: nam me sanare non potuisse putassetis. Gaudeo ergo me non adfuisse vestri causa, quia videbitis quatriduanum adhuc fœtentem excitatum ad vitam. Gaudere licet in malis quæ à Deo immittuntur, non propter eorum malum, sed propter eorumdem, aut aliorum spiritualem salutem, quando per ea ad Deum conuertuntur, vel in melius proficiunt. Ex Theophyl.

Sed eamus ad eum.] Quamuis tamen mortuus sit, eamus ad eum. Homines solent infirmos amicos visitare, mortuos destituere: nihil enim visitatione sua eis præstare valent: At Christus etiam mortuos visitat, sicut & viuos: tam facile enim est eis vitam conferre quàm infirmis sanitatem. Significat se eum resuscitaturum.

16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus ad condiscipulos: Eamus & nos & moriamur cum illo.*] Particula, *ergo*, illationem indicat, quæ fit partim ex verbo Christi *Eamus ad eum*: partim quia ægrè ferentes condiscipulos videns, hæc protulit, *Eamus & nos.* Verba sunt dilectionis, quia sine Christo vitam propriam contemnebat; & fortitudinis, quia à periculo quod animo conceperat non retardabatur, quominus sequeretur magistrum: sed tamen fides erat imperfecta; nondum enim satis potentiam Christi agnoscebat, qua quos vult liberat à quouis

quouis periculo: nam Gr. habet, vt moriamur cum illo. Thomas dictus est à Græcis Didymus, quod apud Latinos Gemellus. Tol.

17. *Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.*] Quo die mortuus est Lazarus, eodem in monumento positus videtur. Erat autem dies à morte & monumento quartus, quo Dominus Bethaniam peruenit, & quo etiam eum à monumento suscitauit: vt notat Chrys.

18. 19. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim: multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam vt consolarẽtur eas de fratre suo.*] Huius paruæ distantiæ ideo Euãgelista meminit, vt facilè Iudæos ad consolãdas sorores è Hierusalem venire potuisse ostenderet, quæ duobus solum distabat miliaribus. Et quia nobiles erant hæ sorores, ideo multi ad eas consolandas venerant. Ex Chrys.

20. *Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi, Maria autem domi sedebat.*] Curam domus & rei familiaris habebat Martha, idcirco prior aduentus Domini nuntium audire potuit. Nam Maria sedebat consolationes aduentantium excipiens. Priùs autem Martha audiuit quàm vidit: celeberrimi enim hominis aduentum fama tacere non potuit, sed gressus eius ad aures Marthæ peruenit, nam quæ læta sunt quisque enititur prænuntiare. Ex Chrys. & Theoph.

21. *Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*] Particula, *ergo*, taciram illationem indicat, nempe quia ipsa prior venerit, ipsa prior Dominum alloqui

alloquitur. Habuit fidem sed imperfectam: nondum enim sciebat Dominum absentem sanare potuisse: fidebat enim & certa erat de clementia Christi, quod si adfuisset sanasset fratrem: sed hæc erat imperfecta: Nam aliquando maior est clementia hæc temporalia bona negare: habuit dolorem animi, conqueritur enim de Christi absentia, quasi illa fuerit causa mortis Lazari. Erat & hoc imperfectum: nam absēs scire & sanare poterat: noluisse tamē quia non expediebat, non adeo doluisset. Modestiam tamen Marthæ quia non eiulatibus vsa est: sed modestè dolorem animi exprimit, laudat Chrysost.

22. *Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo dabit tibi Deus.*] Maior est fides hęc quam præcedens: plus enim erat confiteri Christum posse suscitare mortuum quàm infirmum sanare, & facere ne moreretur: tamen est adhuc imperfecta fides, quia nondum Christū confitetur Deum, sed cum eo loquitur quasi cum viro sancto, qui non propria potestate sed precibus suscitare posset: si enim perfectam habuisset fidem, dixisset Scio, quia quæcumque volueris facies. Ex Chrysost. homil. 61.

23. *Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus.*] Non dicit, Poscam à Deo: se potestatem habere significat, suámque diuinitatem exprimit, vt non necesse sit orare Deum, cum ipse Deus sit. Ex Aug.

24. *Dicit ei Martha: Scio quia resurget in nouissimo die.*] Martha existimauit verbum Christi esse communem quandam consolationem, qua homines solent in similibus casibus mœstos cōsolari,

solari, resurrectionem futuram in memoriam reuocantes: maximè quia tunc erat Saducæorũ secta negantium resurrectionem : vt patet Mat.22. q.d. Scito veram & certam esse mortuorũ resurrectionẽ; ideóque tristitiã depone, quia resurget frater, vt Thes.4. In hũc sensũ interpretata est Martha adhuc imperfectæ fidei: ideo respõdet, Scio quia resurget in die vltimo. Vel hoc fingit, quia spes quam conceperat de fratris suscitatione ex verbis Christi, erat ea adhuc obscura & ambigua. Ideo voluisse certo cognoscere an de proxima fratris resurrectione locutus esset; nã si de vltima, nullum priuatim sibi fratríque conferri beneficium. Verebatur enim ne quemadmodũ nuntius respondens morbũ non esse capitalẽ, ambiguo responso fefellisse videbatur: ita nunc quoque in illius dictis aliquid lateret quod spem illius eluderet. Iansſ. & Mald.

25. *Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita.*] Apertis verbis eam instruit, & imperfectã eius fidem corrigit, docétque se nõ indigere poscere quicquã à Deo, sed se esse Deum qui mortuos vitæ pristinæ restituere possit. His igitur verbis quis sit aperit; sequentibus autem ad veram hanc fidem exhortatur. *Ego* inquit *sum resurrectio & vita*, ideſt, Ego ipse sum qui suscitare & viuificare possum, & suscito & viuifico eos, quos volo. Et qui suscitabo quotquot sunt suscitandi, & viuificandi: non opus est mihi poscere à Deo, qui sum ipsemet Deus. Gr. Ego sũ ipsa resurrectio & ipsa vita, ideſt, fons & auctor resurrectionis & vitæ. Iansſ. & Tol. Christus vt Deus est causa prima resurrectionis: Et cùm duo sint genera hominũ, mortuorum atque

que viuētium, vt homo fuit causa meritoria qui morte sua liberationē omniū hominū à morte obtinuit. 1. Cor. 15. & causa instrumentalis: humanitas enim erat instrumentum diuinitatis: per carnem cæcum illuminauit, Lazarum suscitauit, & omnes in die nouissimo suscitabit. 5. Est causa exemplaris: ad exemplar enim ipsius, caro iustorum resurget gloriosa. Mortuorum se dicit resurrectionem esse, viuentium verò vitam. q.d. Per me & mortui resurgunt & viuentes viuunt. Ex Alcuin.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.] Explicat fidem hanc perfectam & dicit, omnis qui credit in me si mortuus fuerit morte corporali, viuet iterum, si autem adhuc inter viuos est, non morietur in æternum: quia quamuis temporaliter mortem subibit, ad viram reuocabitur æternam. Non hic de ea vita loquitur ad quam omnes etiam mali surgent: sed vita quæ verè vita est, illa nimirum beata. Illud autem, *qui viuit*, idem significat ac qui nondum est mortuus: vt sit generalis sententia: Omnes credētes in me, siue mortui sint, siue adhuc viuant in seculo, non morientur in æternum, sed ad tempus: restituendi tamen postea in æternam & glorioſam vitam. Quibus verbis ad fidem allicit tanta facta promissione. De fide firma & perfecta id intellige. Hilar. lib. 6.

27. *Credis hoc? Ait illi: vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*] Ad hanc fidem perfectam hortatur Martham. *Credis*, inquit, *hoc?* non quod ignoret, sed vt ad fidem hanc perfectam

ctam prouocet: significans si quæ dicta sunt, crederet, facile eã posse & fratris credere futurã resurrectionem, ac fide illã maximè impetraturã resurrectionem: quemadmodum fide in Iesum Christũ fideles cõsecuturi sũt in nouissimo die beatã resurrectionẽ, Ianſ. Martha autẽ mysteriũ tantũ non assequens, ad fidem quã de ipso conceperat recurrit, dicens: ego Domine credidi. Gr. quia tu es Christus ille filius Dei, qui venturus erat in mundũ. Existimauit Martha se credidisse omnia quæ Christus dicebat, dũ credidit ipsum esse verũ Messiã promissum; & verè credebat, sed implicitè: vt si quis diceret, credo sanctã Ecclesiã. Ita nunc Martha, ego credidi te esse verum Christũ, & omnia quę dicis vera esse. At non distinctè ea percipiebat, nec filiũ Dei appellat, intelligens esse filiũ Dei Patri consubstantialẽ, qui carne assũpta homo factus est, sicut nos credimus & confitemur; sed filiũ Dei supra omnes Prophetas & iustos, non discernens qualis esset filius Dei. Iudæi enim Messiã, filiũ Dei futurum etiã expectabant: at non omnes huius mysterij distinctã habebant notitiã. Tol. Ianſ. Cyr. putat significare vnicũ, & naturalẽ Dei filium, ex art. Gr. Ille filius Dei.

28. *Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.*] Verisimile est Martham iussam à Domino vocare sororẽ, & vt iussa erat vocauit silentio, idest, clam & suppressa voce, ne Iudæi qui eam consolabantur audirent, & fortè ne circumsedentes Iudæi, quorũ plerosque sciebat iniquiores animo esse Iesu, impedirent eã vt non accederet Dominũ. Non fuissent egressi si eam præsciissent occurrere Iesu. Ianſen.

29.

29.30. *Illa vt audiuit, surgit citò & venit ad eum. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha.*] Vt ergo Maria audiuit sororis nuntium, surrexit subitò & venit ad eum, quia Christus nondum intrauerat castellum: sed manebat in loco vbi cum Martha collocutus erat, expectans Mariam. Non est autem ingressus quia ad locum monumenti Lazarum resuscitaturus venire decreuerat: erat autem locus ille inde vicinior quàm si in castellū intrasset. Vel foris expectat vt aliquos fortè doceret: vt ait Euthym. Vel ne testes miraculi faciendi & gloriam humanam colligere velle videretur: siue quia sciebat extra oppidum sepultū esse oportere, vt mos apud Iudæos erat, vt Chrys.

31. *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi.*] Iudæi nesciebant Christum adesse, & vocasse Mariam; ideo repentinos & ita celeres eius passus, vt nec vllum verbum præsentibus dixerit, non alteri causæ tribuerunt, quàm quod dolore tacta nimio, ad monumentum, vt ibi ploraret, profecta esset. idcirco secuti sunt eam, qui fortè mansissent, si sciuissent eam occurrere Iesu: vt notat Iansen. Mansio igitur Christi extra castellum multos conuocauit Iudęos, coram quibus gestum est miraculum. Ex Aug.

32. *Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus.*] Maria agnoscebat pedes quos vnxerat, & lacrymis rigans consecuta erat remissionem

suorum peccatorum. Ad hosce pedes dolore oppressa prosternitur, & verba quæ soror protulerat enuntiat : quia eadem erat causa mœstitiæ,& non dissimilis fides. Nihil morata,nihil reuerita Iudæos eo tempore , & loco quo minus factura videbatur. Ex Chrys.

33. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem & Iudæos qui venerant cum ea plorantes , infremuit spiritu , & turbauit seipsum.*] Omnibus omnia factus , & dolentibus condolens , & patientibus clementissime compatiens, infremuit spiritu, idest, fremitum edidit intra se non inaliquem circunstantium conuersus.Rursus etiam seipsum turbat : excitauit enim in parte sensitiua affectus , & propassiones corporeas, quibus motus & turbatus interius vsque ad exteriorem vultus commotionem prorupit. Illud indignantis, hoc condolentis,& compatientis fuit. Indignabatur enim contra Iudaicam infidelitatem, propter quam Lazarus mortuus,& sororibus his sanctis afflictionis causa data est : nam mors hæc acciderat vt filius Dei manifestaretur , quæ manifestatio necessaria non erat , si Iudæi tot iam signis & miraculis conuersi credidissent. Compatiebatur autem præsentium dolori. Tol. Chrys.verò & Cyr. *Infremuit spiritu*, idest, erumpentem humanum in lacrymas & passionem affectum cohibuit, ne quid parum compositum & rationi minùs cõsentaneum ostenderet. Theoph. *Spiritu*, idest, diuinitate sua erumpentem affectum repressisse. Alij ἐμβριμᾶσθαι pro *irasci* accipientes putant spiritu, idest, diuina virtute sua sese excitasse , sese parasse veluti ad committendum cum morte , & mortis auctore, idest, diabolo certa

certamen. Alij non tam fremuisse verè & turbatũ fuisse, quàm se fremere turbariq́ue simulasse: vt ad futurum homines miraculum excitaret. Spiritus hoc loco anima est, aut intima hominis pars. Itaque idem est, *infremuit spiritu*. q.d. Infremuit intimis animi sensibus. Fremere autem in semetipso est angi animo intimo: idq́ue verbo aliquo vel signo foris ostendere: vt cum præ dolore dicimus, Heu, heu. Ergo infremuit spiritu & turbauit semetipsũ; hoc est in semetipso turbatus est: non solum foris, sed etiam intus, non solum simulatè, sed etiam verè. Certum est ita turbatum vt nihil rectæ rationi contrarium fuerit in eo. At cur infremuit? Alij cogitatione peccatorum vnde nata mors. Alij indignatum in mortem ipsam & mortis auctorem diabolum. Alij præuidisse mortem quam Iudæi occasione ex eo sumpta miraculo, sibi essent illaturi.

34. *Et dixit: Vbi posuistis eum?*] Non quod ignoraret: qui enim sciuit esse mortuum antequam quisquam ei indicasset, sciuit & vbi sepultus esset: sed se vt hominem verum gerere voluit, vt ab aliis deductus ad locum sepulturæ veluti sibi incognitum à miraculo secluderet omnem suspicionem fuci. Iansen. Chiys. verò ne mortuus fingeretur, & sic crederetur suscitatus. Propter mysterium autem vt se non causam mortis hominum dedisse ostenderet.

Dicunt ei: Domine veni & vide.] Intellexerunt sorores Dominum interrogasse vbi positus esset; animo ad monumentum eundi, idcirco respondent, *veni & vide*: non ad verba, sed ad intentionem interrogantis. Quod si perfectam fidem habuissent, dixissent, Tu omnia

nosti. Epiph. Maldon. verò putat in spem erectas miraculi futuri hoc respondisse. Itaque auidè inuitasse vt veniat & videat. Vel ad flendum amicum suum ad sepulchrum ire voluisse; qui aderant hoc putauisse: non ad faciendum miraculum. Ex Chrys.

35. *Et lacrymatus est Iesus.*] Accepto responso iter ad monumentum direxit & lacrymas effudit: turbauerat enim se interiùs commiserationis & compassionis affectu; & ad lacrymas vsque cõmotionem & turbationem erumpere siuit, vt plorans cum plorantibus, argumentum præberet suæ misericordiæ. Tol. Alij non propter adstantes, sed propter Lazarum ipsum, quem suscitaturus erat & à portu quietis in quo erat, ad locum miseriæ & tempestatibus plenum mare reuocaturus. Alij propter Iudæos qui aderant, quorum sciebat incredulitatem, & viso miraculo non esse credituros. Alij communem deplorasse infirmitatem propter peccatum. Vtebatur non solum miraculis sed ipsis etiam lacrymis ad diuinã gloriam, ostendebat se Deum esse, qui mortuos suscitaret; hominem, qui lacrymaretur. Euthym. Mald. Ostendit rem non esse compositam, verè mortuum esse, quem fusis lacrymis fleret. Ostendit se illum & sorores singulariter amauisse. Et vt mortuos flere doceret ait Aug.

36. 37. *Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?*] Intelligentes Iudæi lacrymas illas esse veræ dilectionis testes; sed non intelligentes ob alias etiam causas Dominum dispensatorie lacrymari, dixerunt, *Ecce*

quo

quomodo amabat eum? ideſt, multum certe amabat Lazarum, quando tantus propheta, & tantorum operum factor quaſi homo communis propter eum lacrymatur. Vox eſt admirantium magnitudinem dilectionis Chriſti erga Lazarum. Et admiratio procedebat ex magna opinione quam de Chriſto conceperant. Eis enim videbatur indignum tanto homine flere, niſi grauiſſima ex cauſa. Ideo amoris magnitudini tribuunt. Erant autem qui has lacrymas in calumniam verterent, illi amoris magnitudinem; hi impotentiam mirantur, exiſtimantes eum non potuiſſe impedire ne Lazarus moreretur. Mirum eſt cùm aperuerit oculos cæci nati, cur non potuerit facere vt hic non moreretur: quod minus illis videbatur. Sic enim argumentabantur: lacrymatur: ergo dolet de morte; non igitur potuit ne moreretur impedire. At errarunt iſti: nam potuit efficere vt non moreretur, ſed non fecit vt mortuum ſuſcitaret, quod maius eſt. Et in hoc filius Dei glorificatur. Tol.

38. *Ieſus ergo rurſus fremens in ſemetipſo venit ad monumentum.*] Q. d. quia iſti incredulí in ſua perfidia manebãt, impotentiæ tribuentes quòd Lazarus mortuus fuerit: iterum infremuit & indignatur, quaſi fremitum ingeminans, quòd & Iudæi infidelitatem ingeminarent. Hoc facto venit ad monumentum, in quod Iudaica perfidia Lazarum detruſerat. Tol. Ter commotum legimus Chriſtum. 1. cum Mariam & Iudæos, qui cum ea venerant, flentes vidit verſ. 33. Deinde cum in conſpectum ſepulchri venit verſ. 34. Poſtremò cum ad ſepulchrum acceſſit hoc loco, vt diſcas quod

verè naturam noſtram induit, ait Chryſ.

Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.] Deſcribit Euangeliſta monumentum. Erat inquit ſpelunca quædam, in qua iacebat mortuus. Et lapis erat ſpeluncæ ori ſuperpoſitus, quo ſpelũca claudebatur, quale Chriſti ſepulchrum fuiſſe legitur. Mat. 28.

39. *Ait Ieſus: Tollite lapidem.*] Potuit virtute propria lapidem tollere qui potuit mortuum ſuſcitare. At vt miraculum fieret manifeſtius ipſis iubet vt tollant. Et quia non ſolebat niſi in rebus neceſſariis, & in quibus humana non ſufficit induſtria miracula facere. Ex Cyr.

Dicit ei Martha ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim.] Vt reuerentiam quandam prætendebat erga Dominum, cuius nares verebatur ne cadaueris fœtor offenderet: ita de miraculo futuro non ſe ſecuram & ſatis confidentem declarabat. Ianſ. Permiſit Chriſtus hæc verba à Martha proferri, vt adſtantibus quatriduana mors innoteſceret, vt tanto illuſtrius fieret miraculum.

40. *Dicit ei Ieſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris videbis gloriam Dei?*] Verba ſunt reprehenſionis. q. d. Tantò magis reprehenſione es digna, quanto plus es à me edocta: dixi enim tibi, Si credideris videbis gloriam Dei, ideſt videbis miraculum inſigne diuinitatis meæ; in quo mea diuinitas comprobabitur & innoteſcet: hoc eſt videre gloriam Dei, nempe opera diuinitatis magnifica videre, quibus oſtendebat Chriſtus ſe eſſe filium Dei. Quæritur quãdo hęc dixit. Reſpondeo quando

ei

ei occurrit: tamen hoc Euangelista non narrat breuitati studens, quia iterum repetendum erat, sicut superiùs fecit cùm dixit, *Magister adest & vocat te.* Tol.

41. *Tulerunt ergo lapidem.*] Adhuc perseuerante Domino in suo præcepto ministri tulerunt lapidem suspensi animo ad rei euentum, & cupidi cognoscere quid euenturum esset. Ex Aug.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit.] Oculos attollit in cœlum, vt significet se virtute diuina facturum, quod facturus erat, séque eius esse filium qui in cœlis habitare dicitur, qui est glorioſus Deus: quem etiam alloquturus oculos conuertit, vt fieri solet quibus cum loquimur. Locuturus ergo cum Patre erigit oculos in cœlum. Vel quasi in patriam suam, vt inde se veniſſe significaret. Andr. Cret. Vel vt formam orandi nobis traderet. Damasc. & Orig.

Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.] Patrem appellat vt Deus, gratias agit vt homo, pro hoc beneficio. Nam Deum annuere voluntati humanæ, vt quod homo vult Deus velit & faciat, beneficium est homini collatum, gratiarum actione dignum. Videtur ita loqui quasi priùs inter fremitus illos, quos Euangelista narrauit, aliquid à Patre poſtulaſſet. Alij non oraſſe ante, quia oratione non indigebat, sed gratias tantùm egiſſe Patri quòd se audiſſet, ideſt, quòd voluiſſet à se fieri quod ipse facere volebat, ac cogitabat vt Lazarum reſuſcitaret. Mald.

42. *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circunstat dixi, vt cre-*

dant quia tu me misisti.] Docet se quæ siue precando siue gratias agendo dixerat, non ideo dixisse quòd de Patris erga se dubitaret voluntate: sed vt qui aderant intelligerent exauditū se ab eo esse. Sed dubium quid dicat se dixisse cum ait, *Sed propter populum qui circumstat.* Respondetur vel ea quæ in ea oratione dixerat: vel hoc ipsum quod gratias egerit. q.d. Dixi me tibi gratias agere. Mald. Duos errores præcauet Christus propter adstantes. 1. Suspicari possent, nesciebat ergo se auditum iri à Patre. Idcirco gratias agit. 2. dicere, non igitur semper auditur, ideóque quando auditur gratias agit. Priorem præcauet in verbo *sciebam*, posteriorem in verbo *semper*. Tol. & Hil. 3. de Trin.

43. *Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras.*] Clamat vt omnes sciant se esse qui Lazarum suscitat: Et quia illius resurrectio typus erat futuræ, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, imperando dicit, *Veni foras.* Non dicit, In nomine Patris Chrys. Sed tanquam potestatem habens Deum se esse indicans cõtra Arian. Et nomine proprio vocat vt suo imperio illum suscitari indicaret: vel quia amicus erat. Loquitur tanquam cum viuente, quia illi tanquam Deo omnes etiam mortui viuunt. Ex Aug.

44. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis. Et facies illius sudario erat cooperta.*] Itaque secundum iussionem Domini non tantum reuixit, qui mortuus fuerat, sed & statim prodiit non solum à sepulcro, sed etiam à spelunca vbi sepulcrum erat.

erat. Itaque non solum surrexit sed etiam ambulauit, vt exiret, cum tamen manus ac pedes ligatus esset. Ianſ. & Mald. Hoc nouum fuit miraculum & distinctum: apertis enim oculis & ligatis manibus & pedibus de spelunca egreditur. Ex Basil. orat. de trist.

Dixit Iesus: soluite eum & sinite abire.] Non dubium quin ipsismet Iudæis qui aderant, præcipit vt soluant, vt suis ipsi manibus quodammodo factum miraculum tangerent. Iubet non solum vt soluant, sed vt etiam abire sinant: vti ea quoque re, resurrectionis eius veritatem confirmet: verè enim suscitatum esse, qui suis pedibus ingredi posſit, & sine duce redire domum. Chryſ. Ne humanam gloriam quærere videretur. Aug. *Quid est, soluite & sinite abire? quæ solueritis in terra soluta erunt in cœlo.* Et Greg. l. 12. mor. c. 9. & Beda & Rup. idem dicunt.] Non est ergo quod rideant Hæretici, si hoc non tanquam fundamento, sed tanquam ornamento aut exemplo vtimur ad probandum confeſſionem faciendam esse ſacerdotibus Christi miniſtris, qui eos soluant. Ex Mald. Aug.

45. 46. *Multi ergo ex Iudæis qui venerant, ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.*] Quam variè factum miraculum homines affecerit docet Euangeliſta, alios credidiſſe, alios ad Phariſæos quod Chriſtus fecerat retuliſſe, ij forte qui ante murmurauerant, verſ. 37. Qui quo conuerti debuerunt peiores fiunt: plures tamen fuiſſe credentes, quam deferentes calumniatores, indicat Euangeliſta, dum eos

multos, hos verò quosdam fuisse dicit. Deferūt autem vel odio quo Dominum prosequebantur, vel timore ne viderentur esse ex numero credentium. Nam vt s. d. Iudæi iam conspiruerant, vt si quis eum Christum confiteretur, extra Synagogam fieret: vel vana quadam gloria, vt se legis zelum habere ostenderent; & à Pharisæis pluris fierent. Et probabile est eos neque miraculum, neque in Christum credidisse. Ex Aug.

47. *Collegerunt ergo Pontifices & Phar sæi concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.*] Particula, *ergo*, causam cur conueniant indicat, nempe propter ea quę de Christo eis narrata fuerunt: mortem ei inferre amplius non esse differendum: idcirco conuocant concilium, vt constat ex ipsa consultatione. *Quid*, inquiunt, *facimus*. Vox hæc est mutuo se accusantium, & insimulantiū negligentiæ. q. d. Cur in futurum non prouidemus? Gr. ipse non cessat multa signa facere, & maiores semper in suis operibus progressus facere, quibus homines trahit. Nec tamen dicunt credimus, ait Aug.

48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.*] Idest, si negligamus negotium istud, omnes credent eum esse expectatum Messiam regem Iudæorum. Id vbi euenerit, Romani quibus iam subditi sumus, venient contra nos cum exercitu, audientes scilicet Iudaicam Gentem, deserto Cæsare, proprium aliquem regem profiteri & sequi, & sæuientes in nos tanquam rebelles, locum sanctum occupabunt, & gentem nostram alio transferent:

Vel

Vel tollent locum nostrum & gentem, i. euertent ciuitates nostras & totum Iudaicum genus internecioni dabunt. Non igitur negligendum est hoc negotium. Ianſ. Cæca conſultatio excæcat eos inuidia. Nam ex hoc principio, *Hic homo multa facit*, non erat inferendum, ergo inuehamur in eum, ſed potiùs, recipiamus eum & credamus ipſi. Aug. tr. 49. & Chryſ ho. 63. Alter diſcurſus cæcus fuit. Si, inquiunt, dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, profectò decepti ſunt: imò quia non dimiſerunt ſic, ſed occiderunt, omnes crediderunt in eum. Hoc prædixerat Iſa. 53. *Si poſuerit animam pro peccato videbit ſemen longæuum.* & Io. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum.* Tertius diſcurſus eſt. Si crediderint omnes in eum, venient Romani, & tollent gentem & locum. Ratio recta non hoc inferre dictabat: ſed, venient Romani & credent in eum etiam. Nam qui cæcos illuminabat, mortuos ſuſcitabat, & Iudæos ad ſe conuerterat, Romanos etiam potuiſſe ad ſe trahere. Iſa. 2. & 60. Quod ſi Romani non crederent, & vi eos opprimere vellent, profectò eius qui mortuos ſuſcitabat auxilio fidere debuerant, ſe contra Romanos præualituros. Quartus diſcurſus eſt tacitè inſinuatus. Si non dimittimus, ſic Romani non venient: nec tollent locum & gentem. Decepti ſunt etiam in hoc & errarunt. Imò quia non dimiſerunt, ſed occiderunt, venerunt Romani & tulerunt locum & gentem. Tol. Ex Dan. 9. Luc 19. Iſa. 65.

49. 50. *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine cum eſſet Pontifex anni illius dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus*

moriatur homo pro populo & non tota gens pereat.] Quomodo Caiphas anni illius Pontifex esset vide apud. Mat. 26. & Luc. 3. *Vos nescitis quicquam.* q. d. Vos homines priuati non intelligitis quid facto opus sit. Ego Pontifex, cuius Deus mentem magis illustrat facilè prospicio. Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Verba sunt partim ab ipso, qui loquebatur Caipha, partim à Deo magna arte composita. Expedire etiam sine vlla culpa, hominem innocentem interficere: pro populi peccatis, vt ait. hoc Dei consilium. Ex Theoph. & Orig.

51. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.*] Notat Euangelista hæc verba non ab illomet profecta esse, sed à Spiritu sancto, qui per os eius prophetauit, quod futurum erat; nempe mortem Christi vtilem futuram, & expedientem saluti hominum. Causa autem cur Dominus per eum prophetare dignatus est indicatur, quia erat Pontifex anni illius; quamuis enim iniquus & scelestus, tamen dignitas sancta erat. Aug. Chrys. 64. ho. nempe non tolli dignitatis sanctitatem per vitam malam, ea fungentis. Hoc ergo quatenus vaticinium, erat Christi pro peccatis morituri, à seipso non dixit, i. non proprio atque humano, sed diuino dixit spiritu. Addit, *anni illius*, vt significetur non solum quia Pontifex erat, sed etiam quia anni illius, quo de Christo interimendo agendum concilium fuerat, Pontifex erat, prophetasse. Ex Orig.

53. *Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.*] Decretum & sententiam Caiphæ omnes ratam & gratam habuerunt. Idcirco ab eo die firmiter constituerunt eum interficere. Particula, *ergo*, indicat propter Caiphæ consilium, quod ab omnibus est firmatum. Omittunt etiam vnum quod maximè consultatione dignum, nempe quomodo eum comprehendere possent, quem sæpe comprehendere & lapidare voluerunt nec potuerunt: quo modo occiderent eum, qui cæcos illuminabat, & mortuos suscitabat: posset enim videntes eos excæcare, vt Helias fecit, & occidere viuos. Orig. Aug. & Greg.

54. *Iesus ergo non iam in palam ambulabat apud Iudæos: sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.*] Cognito hoc nefario Iudæorum proposito, quia nondum erat suæ passionis tempus, recessit in regionem iuxta desertum in ciuitatem paruulam, quæ dicitur Ephrem. Gr. Ephraim, vbi Iudæorum frequentia non erat. Quidam Bethleem appellari alio nomine putant. Alij Ephrem. 2. Par. 13. 19. Et ibi expectabat tempus suæ dispositionis. Tol.

55. *Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi de regione Hierosolymam ante Pascha vt sanctificarent seipsos.*] Vltimum intelligit Pascha quod Christus cum discipulis suis post paucos dies celebrauit, vt patet ex sequentibus. Quia ergo Pascha Iudæorum proximum erat, scribit Ioannes multos ex omni circa regione Hierosolymam ascendisse, vt ante Pascha sanctificarent seipsos, i. vt se, si forte polluti.

polluti re aliqua essent, quod frequenter illis accidebat, vt Num. 6. votis vel sacrificijs purgarent, vt Pascha mundi celebrarent: nemo enim immundus agnum Paschalem celebrare audebat, ex c. 18.

56. *Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes; Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.*] Particula, *ergo*, causam indicat cur eum quærerent: cùm enim multi venissent, Iesum etiam venturum sperabant. Idcirco quærebant, quia non erat solitus expectare ipsum Paschatis diem. Cum autem colloquebatur inter se stantes in templo, quò multitudo conueniebat, inuicem interrogabant: Quid, putatis ne non venturum ad diem festum hunc? Alij exponunt quid causæ putatis cur non venerit? Hoc quærebant illi fortè qui venerant vt sanctificarentur, moti fama miraculorum Christi, & doctrinæ. Chrys. ho. 64. malo animo hos quæsisse putat. De mandato apprehendendi Christum, vide Mat. 23.

CAPVT XII.

Christus vngitur à Maria, & insidens asino intrat in Hierusalem.

1. *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.*] Venit Dominus tanquam agnus

agnus ad victimam : venit autem Bethaniam, vt inde solemni pompa in Hierusalem locum supplicij ingrediatur. Notanda particula, *ergo*, causam enim cur non in Hierusalem sed in Bethaniam primò venerit, significat: vt sit sensus, Pontifices mandatum dederant contra eum vt apprehenderetur, à Hierusalem diuertit ac Bethaniam venit, vbi Lazarum suscitauerat, & multos beneuolos habebat, ac securè poterat agere. Tempus autem quo venit Bethaniam fuit ante sex dies Paschæ, i. sexto die ante Pascha. Dies hi sex sic intelligendi sunt vt excludantur dies Paschæ primus, & dies quando venit, vt sex dies interceſſerint inter diem aduentus eiusdem, & primum Paschæ diem : dies enim aduentus eius in itinere cõsumptus erat, nec computatur in numero dierum aduentus eius in Bethaniam. Iuxta hanc computationem peruenit Bethaniam die Veneris, & vsque ad diem Veneris sequentem, qui fuit primus Paschæ, sex interceſſerunt dies. Aliqui die Sabbati peruenisse putant ; sed verba sequentia aliud facilè admittant videat lector. Tol. Totam hanc historiam, & totum hunc locum explicaui, ex Mald. apud Mat. c. 26. vsque adverſ. 9.

9. *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantum sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.*] Iudæi, i. Hierosolymitani ciues cognouerunt Dominum adesse Bethaniæ, veniuntque non tantum vt Christum post tantum editum miraculum, sed vt etiam Lazarum suscitatum viderent. Subtilis est humani ingenij curiositas, per omnia & mala & bona opera sese insinuat.

nuat. Fortè turba hæc multa conuenerat tunc primum Hierusalem: ideirco audiens rei nouitatem, & Christum & Lazarum adesse, certatim veniebat Bethaniam. Et qui erant ciues Hierosolymitani, tempus commodum habuerant Lazarum videndi, iam enim dies aliquot intercesserant ab eius resurrectione. Particula, *ergo*, relationem habet ad superiora verba ante historiam vnctionis huius, ad quam Euangelista describendam diuertens, non potuit narrare quod ex aduentu Christi in Bethania factum est. Modò autem describit, dicens: Cum venisset Bethaniam proximo tempore Paschatis, quando multa turba conuenire solet: cúmque turba nouisset eum ibi adesse simul & Lazarum (erat enim locus vicinus Hierusalem) venit miraculi magnitudine tracta, vt videret mortuum suscitatum, & Christum miraculi autorem. Tol.

10. *Cogitauerunt autem Principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.*] Multi ex ijs qui veniebant conuertebantur ad Christum propter tantum miraculum. At principes sacerdotũ in peius prolapsi cogitauerunt non solum Christũ quia Sabbatũ violaret, sed & Lazarum interficere ex sola inuidia. Inuidebant enim non solum autori beneficij, sed ijs etiam qui beneficium acceperant. Ideo & cæcũ foras eiecerunt, & Lazarum volunt interficere. Mordebat etiam eos quòd instante festo multa turba illud relinqueret & ad eum accurreret: vel etiam vt potiùs memoriam miraculi abolerent interfecto Lazaro. Quæ sequuntur vsque ad vers. 17. apud Mat. 21. 7. explicata.

explicata sunt ex Mald.

17. 18. *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.*] Causam explicat Ioannes, propter quam mota est tanta multitudo vt Iesum ita honorificè exciperent; nempe quia turba quæ adfuit Bethaniæ & audiuerat vocem illam magnam Christi Lazarum vocantis, viderátque mortuum suscitatum, reddebat palàm testimonium omnibus Christum tale ac tantum opus fecisse, vt indicat particula, *ergo*.

19. *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit.*] Q. d. videtis & experimini necesse omnino esse vt faciamus quod authore Caipha à nobis decretum est, vt hominem istum de medio tollamus, alia enim ratione, siue persequendo eũ, siue eius facta & dicta improbando, siue populum dehortando, siue comminando fore vt extra synagogam eiiciatur quisquis eum confessus fuerit, nihil proficimus. Sic suam fatentur impotentiam. Vnum illud remedium superest vt ipsũ occidamus. Verba sunt istã indignantium & egrè ferentiũ, vt constat ex Luc. 19. & accusantium suam segnitiem, quòd iam nuper non illũ simul & Lazarum occiderint, vt Cyr. aut certè quòd diligentiores non sint, vt quamprimum occidatur, vt Theod. vel vocem eorum qui crediderant, aut certè qui beneuoli erant Christo, esse qui ipso euentu rerum conatus iniquos persequentium reprimere studebant, putat Chrys. Turba turbauit turbam ait Chrys.

20. *Erant autem quidam gentiles ex his qui ascen-*

ascenderant, vt adorarent in die festo.] Gentiles multos venire solitos Hierusalem deuotionis gratia, vt adorarent in templo Deum Iudæorum, certa res est Act. 8. de Eunucho Candacis Reginæ. & 2. Mach. 3. Heliodorus adorauit & obtulit oblationem: & Cyrus, & Darius reges dona miserunt 1. Esdr. De horum numero erant isti, qui aderant quando Dominus tanta pompa est exceptus. Chrys. ho. 65. hos gentiles esse ait, qui fieri proselyti volebant. Interlin. proselytos iam & circumcisos fuisse dicit. Alij affirmant hos fuisse Iudæos, sed ideo gentiles dici quia inter gentiles habitabant. Sic Tol. Maldonat.

21. *Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre.*] Particula, *ergo*, aliqua ex parte explicat qui essent hi gentiles. Nam ex præcedentibus deducit quæ sequuntur. q.d. Erant gentiles, & propterea accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ Gentium, prope quam gentes habitabant, & quam multi gentiles incolebant: de quorum numero hi erant. Exponunt igitur Philippo suum desiderium videndi Christum, & aditum quærere id assequendi. Perpende gentilium reuerentiam: non audent per seipsos Christum accedere. Probabile est non interfuisse cum exceptus est cum pompa, sed postmodum venisse. Ideo quærebant eum videre, Iudæi vero occidere vt notat Aug.

22. *Venit Philippus & dixit Andreæ, Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu.*] Philippus Andreæ refert tanquam maiori, vt ait Chry. ho. 65. aut maioris apud Christum auctoritatis, quod primus

primus omniū vocatus. At nec ipse solus est ausus, sed ambo referunt Domino, quia audierant à Christo, *In viam gentium ne abieritis.*

23. *Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora vt clarificetur filius hominis.*] Magnum mysterium hic aduētus gentilium significabat, quod Apostoli tunc non intellexerunt: nouit tamen quem nihil latuit Christus. Erant enim gentes ad eum venturæ & conuocandæ, post mortem tamen & resurrectionem suam: dū enim in terra erat non missus fuerat nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At morte sua gentes omnes congregaturus erat ad se, & nomen suū toti orbe manifestaturus. Hic igitur venientes gentiles erant velut oratores totius gentilitatis, significantes tempus iam imminere mortis & passionis, vt per eā gentes videant tandem saluatorem. Idcirco ad Apostolos isti accedūt, quia per eos verbum Christi prædicandum eis erat. Dominus ergo quando adesse gentiles quærentes eum videre, audiuit, futurā conuersionem gentium & mortis suæ imminentis indiciū & velut prognosticum agnouit. Ideo de sua morte & gentiū vocatione copiose locutus est, dicens: *venit hora.* q.d. gentiū hic aduentus adesse iam horam & tēpus, quando filius hominis clarificandus est, & notificandus non Iudæis solùm sed gentilibus & populis. Promissio enim gentiū implenda erat post Christi mortem. ex Aug. Dicit autem, *Clarificetur filius hominis*, ideſt, qui apparet filius hominis, noscatur simul verus Dei filius, & mundi salus, vt eum omnes venerētur & adorent. Tol. Alij clarificationē dicunt esse Euangelij prædicationem, per quam glorificandus erat Christus apud gentes.

gentes. Alij ascensionem in cœlũ, qua consedit in dextera Dei Patris, quæ summa est claritas ex Mald. Omnia in idem redeunt.

24. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit multum fructum affert.*] Similitudine explicat hanc claritatem, qualiter futura sit, nempe per mortem. Vt enim granum frumẽti seminatum nisi corrumpatur & mortificetur, non multiplicatur, sed vnũ, & solitarium manet: at si mortuũ fuerit multiplicatur, granáque multa facit: sic Christus granum cadens in terram, ideſt filius Dei homo factus, si non mortuus fuisset, in sua perfectione solus mansisset, at per mortẽ suam multiplicẽ fructum attulit fidelibus, vt Isa. 53. Mors ergo eius non ex absoluta necessitate erat, quia vnico opere meruit salutem hominum: sed ex ordinatione diuina: sic enim Deus disposuit. Attende rursus aliud esse cadere in terram, & aliud mori. Cadere in terram significat ipsius incarnationem, cui adhuc mori opus fuit vt nos saluaret: nihil enim nobis nasci profuisset, nisi mortuus esset. Ex Beda.

25. 26. *Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam.*] Extendit sententiã præcedentem, quam de morte sua pronuntiauit, ad omnes eos qui in ipsum crediturí erant & ipsũ secuturi; nempe vt necesse sit eos prius mortificari quàm fructum afferant, vt explicauimus apud Mar. 10. 31. & 16. 23.

27. 28. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horã hanc. Pater, clarifica nomẽ tuum.*]

Aduen

Aduentus horum gentilium duo repræsentarunt Christo; Vnum, gentium vocationem & conuersionem ad fidem eius: alterum mortem ipsius imminentem postquam erant vocandæ & venturæ gentes. Occasione igitur aduentus & repræsentationis huiusmodi Dominus duo etiam effecit: vnum est de fructu isto per mortem suam futuro tractare, & hoc verbis præcedentibus fecit. Alterum est ad mortis & passionis suæ iam iam imminentis cõsiderationem se conuertere: & hoc nunc Ioannes describit. Præ desiderio autem subeundæ mortis, per quam tot & tanti fructus erant ferendi, modo quodã eam præuenit, excitans in se timorẽ & horrorẽ ipsius, vt vel sic iam pati incipiat. Turbat ergo se timore mortis & passionis, & turbatus verba hæc & sequentia profert: *Nunc turbata est anima mea.* q. d. Isti gentiles nunc prænuntiant & significant mihi suo aduentu mortẽ meam proximã. Ideirco nunc turbata est anima mea: Illud, *nunc*, significat voluntarias & spontaneas Christi passiones. q.d. Nunc quando volo: vel nunc cum mortẽ meam proximam esse video. Quod ait *& quid dicam?* verba sunt Christi hominis timore & turbatione, quã ipse voluntariè & sponte assumpsit, commoti, quæ explicatione indigent. Sciendum Christum præter diuinam, etiam humanã habuisse voluntatem, quæ in naturalem & deliberatã diuiditur: non quod duæ sint voluntates cùm sit vna potentia tantum, sed ratione obiectorum diuersorum modo naturalis modo deliberata dicitur. Naturalis dicitur quæ fertur in rem secundum se consideratã; deliberata verò quæ fertur in rem cum circunstantiis suis per intellectum

ctum propositã v.g. Mors ipsa & passio consideratur dupliciter: vno modo vt mors & passio est, & sic habet rationem mali, est enim malum pœnæ, nec secundum se appetibile est. Voluntas igitur quæ in hanc rem sic consideratam fertur naturalis dicitur: & quia in hac consideratione mors quoddam est malum, voluntas auersatur mortẽ & renuit eam. Potest iterum considerari apposita circunstantia, nẽpe esse hanc mortem secundùm diuinã voluntatem, eámque esse mundi redẽptionem: & hac ratione habet rationẽ boni, & voluntas eã acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis; hæc deliberata, sæpéque contingit vt quæ nolumus voluntate naturali, velimus voluntate deliberata. Christus igitur vt in affectu suo non tantum sensitiuo, sed etiam rationali pateretur, & timorem, pauorem, tristitiam propter nos in se excitaret, vtebatur hac volũtate naturali, idest, sibi proponebat res tales quæ timoris & tristitiæ causæ, & obiecta erant, & hac ratione contristabatur, pauebat, & timebat: vt autem patri se conformaret, deliberata vtebatur: sícque volebat & prosequebatur quę voluntate naturali auersabatur. Hanc autem luctam & agoniam in se exercebat propter nos. Verba igitur præsentia sunt ipsius hominis in hac agonia positi. Turbat se timore & dicit: *Quid dicam?* Verbum est hominis positi inter duas voluntates, in contrarias partes tendentes. Naturali enim voluntate mortem auersabatur, at deliberata, acceptabat. *Quid dicam?* quasi inops consilij hæret, anima mea hinc inde agitata. *Pater salui fica me ex hac hora.* Vox est ex naturali volũtate procedens, qua mortem & passionem horribilem

ribilem in se consideratam auersabatur & timebat. Idcirco petit à Patre liberari à morte. Saluum, inquit, me fac ne in hanc horam veniam. At voluntas deliberata in aliam trahebat partem: proponit enim ratio mortẽ hanc esse pro humana salute, & missum esse à Patre, vt morte sua saluet mundum. *Propterea*, inquit, *veni in horam hanc*, ideſt, mors hæc est redemptio hominum, ad hoc veni & missus sum à Patre. Sequitur voluntas deliberata: *Pater clarifica nomen tuum*, ideſt, mortem accepto, mori volo, pati placet. Clarifica nomen tuũ in morte & passione mea, quam libens subeo. Ostende me esse filium tuum, sicut ante mortem innumeris miraculis clarificasti. Quam clarificationẽ petit nõ propter se, sed propter nos, quorum salus est ipsius clarificatio, vt innotescat nobis nomen eius. Hęc oratio simillima est illi Mat. 26. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*: vt S. Aug. Beda & Rupert. notarunt. Illic antequam orare inciperet dixit discipulis, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, hîc dicit, *Nunc anima mea turbata est: & quid dicam?* Illic dixit *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste*, hîc dicit, *Pater saluifica me ex hac ora*. Illic quasi corrigens & moderans quod dixerat addidit, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, hîc addit, *Sed propterea veni in horã hanc*, scilicet vt moriar: itaque nolo mortem detrectare. Clarifica ergo nomen tuum, clarificando me, & & ostendendo me tuum esse filium. Ex Augustin.

Venit ergo vox de cœlo dicens: Et clarificaui & iterum clarificabo.] Particula, *ergo*, indicat consecutionem quandam, nempe quia filius petiit

à

à Patre clarificari, idcirco vox de cœlo venit significans clarificationem, dicens: *Et clarificaui & iterum clarificabo*, ideſt, ſicut ante mortem & paſſionem clarificaui, nempe dum operibus potentiæ & virtutis diuinæ, inquit Pater, oſtendi te eſſe filium; ita etiam in morte clarificabo. Quod factum eſt, tum in ipſa morte in qua ſigna miranda facta ſunt in ſole, & terræ tremore, lapidum concuſſione, veli ſciſſione, & aliis quibus multi commoti reuertebantur & filiũ Dei confitebantur: tum etiam poſt mortem: nam ſuſcitauit eum Pater poſt triduum glorioſum. Quomodo ea vox facta, per Patrẽ ipsũ, an per Angelum, an per aërem, & quare de cœlo, vide Mat. c. 3. 17. Attende Patris & filij moderationem: nam cum idem eſſet, clarificari filium, & clarificari nomen Patris; tamen filius non dicit, clarifica me: ſed, clarifica nomẽ tuũ, & Pater contra non dicit, clarificaui & iterum clarificabo nomen meum: ſed, clarificaui, & iterum clarificabo te. Neuter ſibi, vterque alteri gloriam attribuens. Quæres quæ præterita quæ futura clarificatio. Aug. Bed. Rup. 1. hanc clarificationem ad æternam referunt, quòd antequam mundus fieret fuerit in forma Dei. 2. ad tempus quod mortem & reſurrectionẽ Chriſti conſecuturum erat. Cùm reſurrecturus à mortuis, cùm ad cœlos euehendus, cùm ad dexterã Patris ſeſſurus erat, & ad eam rediturus gloriã, quam habebat antequam homo fieret: vt c. 17. *Clarifica me tu Pater, apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret.* Alij priorem: ad mundi initium, poſteriorem ad mundi reparationem referunt. Col. 1. 16. 17.

29. *Turba ergo quæ ſtabat & audiebat, dicebat:*

bat : tonitruum esse factum. Alij autem dicebant: Angelus ei locutus est.] Non omnis turba vocem distinctè percepit : quidam enim sonitum magnum tantum audierunt : idcirco tonitruum esse existimarunt. Alij distinctiùs percipientes, voces humanas cognouerunt, & significationem non intelligentes Angelum ei locutum putauerunt. Nam legerant Angelos prophetis locutos esse. Ex hoc loco deducimus quando Christo relatum est à duobus discipulis adesse Gentiles vt viderent eum, non eum fuisse in loco manifesto vt videri ab omnibus posset: tamen egressum esse foras, vocémque de cœlo tunc emissam, argumento est id quod sequitur: turbis enim dixit, *Non propter me hæc vox venit.* Theod. Mops. putat vocem fuisse non adeo claram & distinctam, vt turba sensum intelligere potuerit. At Theod. Heracl. ideo sensum non intellexisse, sed tonitru esse existimasse, quòd vox esset insolita, & minimè aliis humanis vocibus similis. Alij in ipsis auditoribus fuisse culpam, qui adeo stupidi ad intelligendas diuinas voces essent, vt alij tonitru, alij Angeli vocem esse putauerint, cùm satis distincta & articulata esset. Chryf. Cyr. Rup. verò ait omnes quidem omnia intellexisse, sed propter vocis magnitudinem persuadere sibi non potuisse veram esse vocem : sed aut tonitru esse, séque falli qui humanam vocem & articulatam audiuisse viderentur sibi : aut certè vocem esse Angeli. Atque hoc ipsum indicabat esse vocem diuinam: nam & tonitrua voces Dei dicuntur. Ps. 17. 21. 45. 67. 76. Apoc. 1.

30. *Respondit Iesus, & dixit : Non propter me*

hæc vox venit sed propter vos.] Paucis verbis turbæ errorem remouet: dum enim vocem affirmat, tonitruum esse negat: dum non propter se venisse docet, sed propter eos, Angelum esse, qui ei locutus sit, inficiatur. Non enim, inquit, Angelo ego indigeo, qui mihi aliqua nuntiet, quia noui omnia: non venit propter me sicut venit propter prophetas, ad annuntiandum eis quæ Deus volebat: at hæc vox non propter me venit, sed propter vos, vt me esse Dei filium, & de cœlo descendisse credatis. Ita Chrys. Ho. 66.

31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*] Exponit Dominus hanc clarificationem suam futuram per mortem & passionem, quæ in tribus illustribus operibus consistit. 1. est quia iam adest tempus quando morte & passione ferenda est sententia pro mundo contra dæmonem, & iusto iudicio eripiendus est homo, qui priùs traditus fuerat dæmonis potestati, ab ipsius dominio: qua liberatione ego à Patre clarificandus sum, dum mundus me suum agnoscet liberatorem, & saluatorem. Chryſ. Vel iudicium mundi est mundi condemnatio, quòd se innocentem condemnasset: Theoph. Vel reprobatorum ab electis discretio. Aug. Alij sic interpretantur: Nunc mundo optio datur, nunc illi iudicandum relinquitur vtrùm velit in me credere nec ne. Mald. 2. opus quo Christus clarificandus est à Patre, est, quòd ex hoc iudicio mundi nũc, idest, mea iam passione imminente futuro, fiet vt princeps mundi huius diabolus, qui sub suo dominio mundum detinebat eo priuetur, & mundus eripiatur, & in pristinam libertatem, quam ante peccatum habuit, restituatur, vt valeat

leat iam Deo, non autem principi mundi inseruire: hoc est principem eiici foras. Nomine mundi omnem hominem intelligit. Quantum est ex parte Adæ peccati, omnes sub diaboli potestate & principatu fuerunt, nemóque potuit se à peccato liberare, nec diabolo tentanti resistere, nec mortem in quam diaboli inuidia inciderat, superare. Christus morte sua hoc iugum confregit, hunc principatum destruxit, à tam misera seruitute mundum eripuit. Tol. Vel loquitur de mundo tanquam de arce aut domo aliqua, quam per tyrannidem diabolus occupasset: vt Luc. 11. At dices adhuc tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. 1. Pet. Epist. 5. Eiectus foras dicitur, non quòd in mundo non sit & in multis etiam dominetur nunc: sed quòd quantum in Christo fuit eiectus fuerit, itaut si homines vellent nihil amplius haberet potestatis. Homines illi postea arcem aperuerunt, & proditione quadam in suam quisque domum admittit. Itaque etiam nunc regnat & operatur, sed in filios diffidentiæ. Eph. 2. Apoc. 12.

32. *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum: Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.*] Hoc est 3. opus quo Christus est clarificandus: & est sensus, diabolo per iudicium eiecto, & à suo principatu expulso, ego traham ad me omnes, & mundum ipsum in meam potestatem, & principatum conuertam: vt iam non ille, sed ego sim mundi huius princeps. Ex morte processit iudicium, ex iudicio dæmonis expulsio, ex hac verò mundi ad Christum attractio. Suam exaltationem à terra, suam in cruce mortem appellat,

vt cap. 3. Gr. omnes, ideſt, non ſolum Iudæos, ſed etiam Gentiles. *Omnia*, cœlum & terram, homines, Angelos, ac dæmones. Rup. vt Phil. 2. Theod. traham, ait non ſignificare inuitos à ſe homines, ſed inuito diabolo, trahendos. Et hoc verbum ſignificat poteſtatem Chriſti, cui nemo reſiſtere poteſt, adeo eſſe potentem, vt ſi velit & opus ſit vi poſſit homines trahere. Significat etiam eandem cum Patre poteſtatem. Vel alludit ad ſerpentem in deſerto exaltatum. Vel vim ſuæ paſſionis declarat; loquitur enim de ſe tanquam de milite cum diabolo pugnante, qui, vt aquila, in ſublime prædam trahit. Qualiter ſupra dixit quoniã Pater trahit quaſi à tyranno detentos ait Chryſ.

34 *Reſpondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Et quis eſt iſte filius hominis?*] Intellexit turba de morte ſua loqui Chriſtum. Ideirco obiicit ei contraria de ſe loqui. Et ſenſus eſt, Tu dicis te Chriſtum eſſe, & ex alia parte exaltandum & mortem ſubiturum affirmas; hæc ſimul eſſe non poſſunt; nam ex lege habemus Chriſtum in æternum manſurum; lex autem vera eſt. Quòd ſi reſpondeas quando dicis oportere exaltari filium hominis, te non eſſe hunc filium hominis, quis igitur iſte ſit aperi nobis: modo enim dicis te exaltandum, modò filium hominis, diuinam Scripturam complectentem legem & prophetas: vt cap. 10. Multis autem in locis Chriſti æternitas prædicta eſt. Pſalm. 72. & 109. Dan. 6. Sed iſti cæci non conſiderarunt hæc teſtimonia, neque etiam exaltationem eius prædictam, Pſal. 21. Iſa. 53. Dan. 9. Nec intelle-

xerunt

xerunt hanc mortem non repugnare eius æternitati, nec regni perpetuitati: nam citò surrexit morte in æternum victa. Nec nouerunt hunc filium hominis esse simul filium Dei: & exaltari secundùm humanam naturam, non secundùm diuinam: nec morte ipsam personam eius perire, quæ semper erat. Vna igitur veritate intellecta, cæteris ignoratis, mentes eorum confusæ erant. Tol. Vel per contemptum hoc & cõtumeliosè dixerunt; quasi mutum & elinguem Christum reddiderint triumphum agunt, victo illudunt: *Quis est iste filius hominis*, vt Iudæi capto Christo dixerunt, *Ave Rex Iudæorum*. Ex Chrys.

35. *Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: Et qui ambulat in tenebris nescit quò vadat.*] Noluit eorum soluere obiectionem, sed ad simplicem fidem sibi & verbis suis præstandam hortatur, terrorem eis incutiens, citò ipsis defuturum magisterium, & doctrinam veritatis, periculóque expositos esse incidendi in tenebras spirituales ignorantiæ & erroris. Se Christus lumen vocat, quia veritatem & viam salutis docet: Modico tempore in illis futurum lumen dicit, quia per mortem proximam amplius eum visuri non erant; nec vocem eius audituri. Et quamuis magisterium non defuit, quandoquidem Apostoli prædicarunt & multos docuerunt, & cõuerterunt; tamen id non impedit quominus ipsi se exposuerint periculo incidendi in tenebras, & errores. Et multi etiam ex his, quia lumen hoc neglexerunt, in cæcitatem & errorem mentis abire permissi sunt, seductique à

suis Pontificibus in sua cæcitate perierunt. Et hoc est quod eis prædicit, & vt præcaueant monet. Quod sequitur, *Et qui ambulat in tenebris nescit quò vadat*, redditio causæ est. q. d. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Nam qui ambulat in tenebris nescit quò vadat. *Et*, pro nam, vel etenim: vt 32. Timendum in tenebras mortis labi. Ex Chrys.

36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.*] Q. d. Dum lucem ante oculos habetis credite lucem esse, quam videtis: quo enim modo credetis esse lucem, cùm non videbitis? Lux oculis iudicatur: qui solem oculis medio intuens die, solem esse non credit, quomodo noctu eum nõ videns, solem esse credet? Explicat quod dixerat, *Ambulate dũ lucem habetis.* Vel prius timore, nunc amore suadet vt sibi credant ex fructu lucis, dum, inquit, lucẽ, ideſt, me inter vos habetis, in lucem credite, eritisque filij lucis, ideſt, videntes quò & quà ambuletis. Filium lucis appellat videntem, qui oculos habet lucidos vt videat, & tenebras expellat: non enim satis est habere oculos nisi lumen adsit. Filius ergo lucis est qui videt, seu qui lucis est particeps, vt filij huius seculi qui hoc seculo fruuntur. Luc. 16. Vel lucem vocat vitam beatã. Insinuat etiam hoc verbo credentes in se filios Dei fieri vt Io. 5. Si igitur Christus Deus, & lux est, qui in eum credunt filij Dei, & lucis sunt, eámque lucem participabunt, quam Christus habet. Sic Chrys.

Hæc locutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis.] Matth. 21. explicat quod abierit in Bethaniam; Luc 21. interdiu in templo, noctu

secc-

secedebat in montem Oliueti, vbi Bethania sita est. Ex Mald. Nam his paucissimis diebus Dominus extra ciuitatem nocte recedebat ne ante tempus à Iudæis comprehenderetur, mane autem reuertebatur. Nam Iudæi metu turbæ propter miraculum Lazari non audebant in die eum comprehendere. Similiter quia conati erant alias eum capere in die & non potuerunt, ideo noctem vt pote filij tenebrarũ quærebant. Tol. Non expectauit vt in opus exiret concepta sæuitia. Ex Chrys.

37. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.*] Euangelista finem impositurus miraculis narrandis Christi, quæ coram Iudæis fecerat, exaggerat eorum infidelitatem, cùm tot & tantis signis adhuc in eum non crederent. Aliquos credidisse certum est, multò plures tamen incredeli permanserunt. Ex Alcuin.

38. *Vt sermo Isaiæ Prophetæ adimpleretur, quẽ dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?*] *Vt*, non finem sed consequutionem & euentum significat. q.d. Ex Chrys. Non crediderunt in eum cùm tot & tanta signa fecisset, ex quo fit vt verum fuerit testimonium propheræ cap. 53. de eorũ incredulitate, quæ tanta erat vt tot seculis eam ante prædixerit, & abominatus fuerit. Citat etiam hoc testimonium, ne Iudæi suam perfidiam occultarent negantes se perfidos esse. His verbis Isaias paucitatem eorum Iudæorum, qui erant Christo crediturí, non solùm ante mortem sed etiam post Apostolorum prædicationem prædicit: vt Rom. 10. Cum Patre loquens Christus inquit: *Domine quis credidit*

auditui nostro, ideſt verbis noſtris: erant enim verba Chriſti, verba Dei, & Pater in ipſo & cum ipſo loquebatur: ſermones ergo ſuos cum Patre facit communes, & raritatem & paucitatem credentium miratur. q.d. Rari ſunt crediturí verbis, quamuis ſint verba Dei. Sermonem autem appellat, quia auditu percipitur, vt ſignificaret ſe locuturum carne aſſumpta ad aures exteriores Iudæorum, & ſenſibiliter. Non igitur ſermonem ſuum vocat auditum ſuum, quia ipſe audiat; ſed quia alios audire faciat: vt 1. Theſ. 2. Vtitur autem verbo præteriti, *quis credidit,* loco futuri: tum quia commune eſt Prophetis ad certitudinem exprimẽdam futurorum, vti præterito: tum quia Prophetæ vident futura in Dei præſcientia: in qua iam præſentia, & facta ſunt. Auguſt. Quibus etiam verbis Chriſtus ſe vnũ cum Patre ſignificat, dum communem vtriuſque dicit ſermonem: Quis auditui & verbis noſtris credet? Séque Brachium Domini appellat in tertia perſona, prænuntians raros futuros qui brachium Domini, nempe ſe, cognoſcent in carne. Per brachium enim potentia ſignificatur: Chriſtus autem non ſolum eſt virtus & potentia Patris per quam omnia facta ſunt, ſed etiã venit ad nos in virtute, & potentia, operibus multis, & magnis diuinitatis. q. d. Rari ſunt qui meam diuinitatem agnoſcent, & confitebuntur ex Iudæis, quamuis opera diuinæ potentiæ multa & magna ſim effecturus apud eos. Ex Aug.

39.40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.*] Probauit Ioannes incredulita-

dulitatem Iudæorum testimonio Prophetæ: nunc causam incredulitatis altero eiusdem testimonio confirmat. Et sensus est, propterea isti non poterant, i. nolebant vt Gen. 37. 4. credere, quia Isaias dixit, *excæcauit oculos eorum.* Idest, quia excæcati sunt, sicut Isaias prædixit; non enim est causa incredulitatis prædictio Isaiæ, sed id quod Isaias prædixit nempe excæcatio & obduratio populi: quia enim excæcati & obdurati erãt propterea nõ crediderunt. Particula igitur illa, *quia*, causam indicat sed non ipsam prædictionem Propheræ, quia ipse dixit, sed id quod prædixit. Chrys. Non tam est dicere non potuisse credere, quàm Prophetam non potuisse mentiri: Quod vno verbo Theologi dicunt, verè non potuerunt in sensu composito, i. posita Isaiæ prædictione fore vt non crederent, absolutè tamen potuisse. Mald. Certum autem est dum excæcati & obdurati erant, eos credere non potuisse. Qui ad prædictionem particulam *quia* retulerunt, non causaliter, sed consecutiue interpretati sunt. Attende Ioannem non tam verba quam sensum ipsum Isaiæ, vt sæpe Euangelistę faciunt, allegasse. In Hebræo est, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* Mat. autem c. 13. & Paulus Act. 28. secuti sunt versionem alteram Septuaginta: sed hæc varietas verborum consilio Spiritus sancti facta est, vt ex vna lectione sensum alterius comprehenderemus. Esse autem Deum qui nunc dicitur excæcasse & obdurasse, docet Paulus: qui Rom. 11. hunc eundem locum sub alijs verbis allegauit sensum etiam respiciens. *Dedit*, inquit, *illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non vi-*

deant, & aures vt non audiant. Ecce vides Deum esse, de quo Isaias dixit, *Excæca cor populi huius, & aures aggraua*, & Ioannes etiam, *Excæcauit oculos eorum & indurauit cor.* Quod enim futurum erat, prænuntiauit Propheta: quamuis sub forma illa loquendi, *Excæca & obdura*; non enim imprecabatur Iudæis excæcationem, sed quam futuram nouerat sub illa forma Prophetis consueta prædicebat. Ioannes autem modum mutauit loquendi, *Excæcauit & obdurauit*, vt exponeret Isaiam non imprecatum fuisse, sed prænuntiasse. Ne autem verba Ioannis alijs occasioni errandi essent existimantibus Deum causam esse excæcationis & obdurationis, quasi ipse iniecisset eis tenebras, & cor eorum molle obdurasset; idcirco Mat. & Paulus aliter hæc verba retulerunt, vt ex eis intelligeremus, qua ratione Deus excæcasse & obdurasse dictus fuerit: *Auribus*, inquit, *grauiter audierunt, & oculos ipsi clauserunt.* Ecce ipsi sunt causa suæ excæcationis & obdurationis, quia oculos clauserunt, nolentes lumen veritatis recipere. Ipsi aures aggrauarunt, & cor obdurarunt, odio prosequentes loquentem Dominũ. Quando igitur dicitur Christus seu Deus excæcare, seu obdurare, intellige id dictum ex accidenti quodam, quia ipse locutus est, ipse verbum veritatis docuit, lumen fidei suæ sparsit, non vtique vt illi excæcarentur vel obdurarentur: at ipsi sua malitia nolentes recipere, excæcati dicuntur verbo & lumine Christi, qui nihil minus quàm excæcationem eorum proponebat. Hoc expressit Salomon c. 2. *Excæcauit*, inquit, *eos malitia eorum.* Excæcatio ad intellectum, obduratio ad effectum pertinet;

Iudæi

Iudæi enim nec veritatem intellectu perceperunt, nec affectu voluerunt percipere, sic Tol. & Mald.

Vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.] *Vt*, non ponitur causaliter sed consecutiuè. q. d. Isaias, excæcati, & obdurati sunt Iudæi, ex qua excæcatione & obduratione prouenit vt oculis mentis non viderint, nec corde intellexerint, i. non agnouerunt nec crediderunt: mens enim per excitatem non agnouit, & voluntas per obdurationem intellectum ne crederet auertit. Intelligere enim corde, quod credere est, ad affectum simul & cognitionem refertur. Videre autem oculis, ad agnitionem pertinet. q. d. Non agnouerunt Christum, nec in ipsum crediderunt: non agnoscentes autem, & non credentes, non sunt conuersi à vijs suis prauis ad verum medicum, nec à peccatis liberati & sanati sunt. Vide quanta mala sunt ob excæcationem & obdurationem secuta. Vel excæcat & obdurat Deus deserendo & non adiuuando, ait Aug.

41. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius & locutus est de eo.*] Verba hæc sunt Ioannis. Particulæ *eius*, & *eo*, referuntur ad Christum in quem Iudæi non credebant, cùm tanta signa fecisset. Vt sit sensus, hæc dixit Isaias quando vidit gloriam Christi, & locutus est de Christo, hoc factum fuit in illustri illa visione c. 6. quando vidit Dominum sedentem in solio maiestatis suæ, & alia quæ ibi referuntur. Gloriam vocat illam splendoris & maiestatis speciem, diuinitatis quoddam exterius signum, qua ratione Moyses dictus est gloriam Dei vi-

disse. Quibus verbis diuinitas Christi significatur. Interrogabis quid Isaias locutus est de Christo? Respondetur hoc esse quod modò refert Ioannes, nempe excæcationem & obdurationem Iudæorum futuram Christi aduentus tempore, ex Euthym.

42. 43. *Veruntatem & ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur vt è Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*] Q. d. Non solum Iudæi cum tanta signa fecisset, non credebant, sed multi etiam ex maioribus & principibus eorum credebant quidem, sed non confitebantur metu Pharisæorum, ne è Synagoga eijcerentur. Iudæi in fide, illi in confessione defecerunt, quæ necessaria est ad salutem Rom. 10. Notanda rabies Pharisæorum contra Christum, quam etiam primi Iudæorum formidabant: erant enim in rebus ad religionem pertinentibus maximę auctoritatis apud Iudæos, quibus sacerdotum principes multum in his deferebant. Attende hos in Christũ credidisse quia verum Messiam existimabant, vt verè erat: tamen reprehendi ab Euangelista, quia cum fide charitatem non habebant, diligentes plus gloriam hominum quã Dei. Propterea dicebant Pharisæi Io. 7. *Nema ex principibus credidit in eum.* Intellige cõfessione externa: credebant quidem, sed occulta erat eorum fides metu Pharisæorum, & ignorantes talem fidem, negarunt illos credidisse. Causam autem cur non confiterentur exprimit, quia pluris fecerunt apud homines magnifieri quam apud Deum: vt Rom. 4. Cum enim se è Synagoga eijci, & contemni à suis timerent,

timerent, si Christum confiterentur, noluerunt confiteri. Iansen. & Tol.

44. 45. *Iesus autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me.*] Incertum an hæc à Domino dicta sint eodem die quo præcedentia, antequam abiret & absconderet se ab eis, an die aliquo sequenti. Nec refert scire quo die sint dicta, sed refert scire Euangelistam commemorasse hæc à Domino dicta occasione incredulitatis Iudæorum & malę fidei principum. ita Iansen. Magnificat autem fidem quæ in ipsum habenda erat, vt ex hoc incredulos terreat grauitate infidelitatis eorum considerata, & trepidos roboret proposita excellentia fidei, idcirco clamat liberè, vel ipso clamore illorum metum & occultam trepidationem arguens, & dicit. *Qui credit in me; non credit in me, sed in eum qui misit me*, id est, ex Aug. Qui mihi credit, ne existimet se homini soli fidem dare, sed simul Deo: non est humana fides, sed diuina illorum, qui in me credunt: credere enim mihi, credere etiam Deo est. A contrario sensu qui non credit, & qui nō audet confiteri, reus efficitur contra Deum. Simile est Mat. 9. & Io. 7. 16. Luc. 10. 16. Quibus verbis se simul Dei filium missum à Patre testatur. Idcirco qui credit in eum, credit & in Patrem qui misit eum. Et qui videt me, inquit, etiam Patrem videre dicitur, quia in me est eius substantia. Sensus est de visione corporea, non quod Deus videatur oculis corporeis immediatè & per se, sed mediante humanitate, cui diuina substantia Patris & filij est vnita. Ex Chrys. Iansen. & Tol.

46. Ego

46. *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat.*] Cum dixisset se Patrem habere Deum eiusdem substantiæ, ab eóque esse missum: reddit causam quare sit missus, & cur cum sit Dei filius in mundum venit. Et attende quàm artificioſe & sapienter finem suis imponit prædicationibus ad populum, vltima primis coniungens, & totam rationem aduentus exponens. Ego, inquit, qui lux eram veni in hunc mundum, vt illuminarem omnes, & in me crederēt. Erant omnes in tenebris mortis; ego lux æterna, & vera eram, sine principio: veni carne assumpta eripere ex his tenebris omnes, qui in me voluerunt credere: nec alia via à tenebris vllus liberabitur nisi per fidem in me: necesse enim est præter credentes alios omnes manere in tenebris *Ego lux veni in mundum*; indicat se lucem esse ante aduentum. *Vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat.* Antequam crederet etiamsi habuisset omnem sapientiam huius mundi, tamen in tenebris erat. Rursus in tenebris manet, non tantum est, sed manet quia sine fide tenebræ hæ in æternum manebunt. Ex Aug.

47. *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico illum: non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem.*] Persequitur explicare aduentus sui causam, & terret non credentes in se, vt vel timore conuertantur. Sensus est, Veni vt credentes in me in tenebris non maneant; qui vero non crediderint verbis meis, ego quidem nunc non iudico eos, nec sententiam profero vt condemnem eos, quia hic aduentus meus non est ad iudican-

dum.

dum sed ad saluandum. Quibus verbis insinuat eos esse condemnatione dignos. In Græco non habetur *custodierit*, sed, *qui non crediderit*, sensu eodem.

48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicat eum.*] Docet non deesse iudicem a quo ij qui non credunt condemnentur, quamuis eos ipse non condemnet, nempe Patrem: vt Io. 8. Verba eius non accipere, est non credere. Accipit qui in corde custodit.

Sermo quem locutus sum ille iudicabit eum in nouissimo die.] Qui sermo qui à me audierunt eum & credere noluerunt, veluti testis aduersus eos stabit, clamabitque eos æternis pœnis dignos esse, quòd non crediderint: vt c. 15. Insinuat tacitè se in nouissimo die venturum & iudicaturum. Non tamen propter hoc nouissimum iudicium euadet præsens: nam etiamsi ego non iudicem visibiliter, tamen Pater meus iudicabit & damnabit in hoc etiam seculo incredulos Iudæos similiter in futuro. Ex Aug.

49. *Quia ego ex meipso non sum locutus: sed qui misit me Pater ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.*] Causam dat vtriusque sententiæ, nempe qui non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, & sermo meus iudicabit eum: & est sensus, Sermo meus non est hominis meri, sed Dei: nam quæ ego loquor Patris sunt, & quæ mihi Pater mandauit hæc locutus sum. Qui igitur est incredulus verbis meis, verbis Dei contradicit, sermonem Dei negat. Idcirco Pater & ipse sermo ab eis negatus & spre-

tus,

tus, ipse reos & damnatione dignos efficient, & iudicabunt tanquam contemptores sermonis Dei, & verborum Patris incredulos. Vt Heb. 10. Hæc dicit vt homo. *Quid dicam & quid loquar.* Quia plus est dicere quàm loqui, vt exprimeret Patris esse totum quod dicebat vique ad minimam sententiam seu verbum, vtrumque idem significare putat. Euthym.

50. *Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.*] Concludit causam damnationis & iudicij, sermo meus iudicabit eum, quia mandatum est, & præceptum Patris: & ego scio quia mandatum eius vita æterna est, id est, in his seruandis quæ mandat; & quæ de mandato eius denuntio vita æterna posita est: vt qui crediderit & seruauerit, vitam habeat æternam. Vnde colligimus mandatorum Dei obseruationem causam esse meritoriam vitæ æternæ, nosque operibus etiam iustificari. Mald. Qui verò non crediderit priuetur vita æterna. Ex prædictis infert, hæc etiam quæ modo loquitur esse verba Patris, nempe se lucem esse, & sermonem suum illos in nouissimo die iudicaturum, & cætera quæ affirmauit: sunt etiam de eodem Patris mandato. Ex Aug.

CAPVT

CAPVT XIII.

Lauat pedes Apostolorum.

1. *Ante diem festum Paschæ.*] Ioannes incipit Christi passionẽ narrare, sumpto exordio ab vltima eius cœna, vndead mortem discessit, quæ autem priusquam pateretur egerit, & docuerit, enarrat: præmittit ergo tẽpus quando hæc facta sunt. *Ante*, inquit, *diem festum Paschæ.* Sensus est, priusquam pateretur Dominus, festo enim Paschæ passus est: ante ergo hunc diem, hæc quæ modo refert facta sunt: ex Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.] Cum dixit *sciens*, ostendit Christum, nec ignarum, nec inuitum mortem obiisse: sed cùm sciret quo tempore quo loco & qua ratione moriturus esset, sponte se ad mortem comparasse: vt notat Cyr. Theod. Mop. *Sciens*, ab omni nempe æternitate seu ab instanti incarnationis. Hora quæ nunc aduentasse dicitur, hora eius dicitur, quia disposita est ab eo, non fatali aliqua necessitate imposita. Erat eius secundum potestatem, non secũdum aliquam necessitatem. Erat autem hora, vt transeat ex Aug. Alludit ad nomen Paschæ, quod transitum significat. Vel mortem transitum appellat, quia ab vno termino ad alterum recedebat, manens semper eadem persona, quæ filius Dei erat. Dicitur autem transire ex hoc mundo, non quòd inuisibiliter per prouidentiam adesse desistat, non quòd etiam nobiscum

in

in sacramento non maneat, Matt. 26. Sed quod ab hac mortalitate & miseria, & ab hominum oculis ad Patrem immortalis & pati nescius proficiscatur in cœlos secundùm humanitatem. Tol. Vel mortem simul & ascensionem transitum vocat ex Aug. & Chry.

Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] Suos Apostolos intelligit, aut quia ab eo creati, aut quia ab eo electi, & prædestinati. 2. Tim. 2. aut quia domestici eius sunt. Cyr. ad omnes homines refert. *Qui erant in mundo*, ideſt, in loco miseriarum & periculorum pleno. Itaque miseratione motus maiora dilectionis signa quam ante illis ostendit. Alij dicunt, *in finem*, ideſt, propter se, Christus enim est finis legis. Alij *in finem*, ideſt, vsque ad mortem: ita vt pro illis moreretur: Alij *in finem*, vitæ suæ. Ex Aug.

2. *Et cœna facta.*] Tres cœnas Christus illa nocte fecit. Prima fuit legalis, illa Paschalis agni antea inchoata, nondum autem finita, aut continuò ea peracta, antequam alia inchoaretur. In hac Christum non lauisse pedes probat, quia eam cœnam stantem sumere oportebat. Et Euangelista ait eum surrexisse. Secunda fuit communis, quæ finita iam Paschali cœna, quæ non tam exsatiandę nutriendæque naturæ quā seruandæ legalis cæremoniæ causa sumebatur, apponi solebat, vt qui agnum ederent, si largiore ad satietatem cibo indigerent, vsitatis cibis saturarentur. Ante hanc aut inter hanc Christus non lauit pedes. Tertia fuit Eucharistia, quam nemo tamē aut Euangelistarum aut Apostolorum vocauit cœnam. Finita igitur secunda cœna, antequam tertiam, ideſt Eucharistiam

stiam inciperet Christus; surrexit, & Apostolorum pedes lauit. Et hæc sola, quæ secundo loco fiebat, vsitato loquendi more vocabatur cœna. Nam prima nõ cœna sed Phase aut Pascha vocabatur; tertia autem nunquam nisi à nouis hæreticis cœna vocata est. Itaque ipsa verbi proprietas docet finita secunda illa quam diximus, cœna surrexisse Christum, eúmque discipulorum lauisse pedes, iterum, vt Eucharistiam illis præberet recubuisse. Præterea cùm hac pedum lotione docere Christus voluerit oportere eos qui ad Eucharistiam sumendã accesserint esse mundos, credendum est post omnem aliam cœnam, & ante Eucharistiæ traditionem eam adhibuisse, ne quid aliud videretur significare ex Mald.

Cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas, Simonis Iscariotæ.] Hoc verbum, inquit Cyr. Chrys. ho. 69. præmittit Euangelista ante lotionem pedum vt Christi dilectionem & profundam humilitatem commendet, qui & eius qui iam eum tradere decreuerat, pedes lauare non recusarit, & seipsum in cibum ministrare dignatus sit. Et Luc. 22. expressit diabolo instigante Iudam hoc fecisse: quod non est factum vt culpa Iudæ in dæmonem transferatur: nemo enim propter dæmonis tentationem à culpa excusatur: sed vt iudicium contra diabolum in Christum insurgentem significetur: princeps enim huius mundi iudicatus est, quia vnà cũ Iuda & Iudæis Christo innocenti mortem intulit; non tamen culpa vacarunt Iudas, & illi. Dæmon enim suadet non vim infert. Misit autẽ in cor Iudæ; quando effusione vnguenti indignatus abiit ad Iudæos, & de tradendo Domino

no pretio cum eis conuenit. Vt indicet neminem tam sceleratum esse mortalium, vt tantum facinus nisi authore diabolo in animum inducere potuisset. Contrario tamen, ideſt diabolico spiritu Luth. & Caluiniani, Deum peccati & quidem huius ipsius Iudæ auctorem faciunt: nec puduit Lutherum dicere, non minùs proditionem Iudæ quàm conuersionem Pauli opus fuisse Dei. vt notat Mald.

3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna.*] Causas explicat, quæ Christum ad ea facienda, quæ post cœnam facta legimus, induxerunt. Quæ autem Christus post cœnã fecit tria sunt, pedum ablutio, sacramenti & sacrificij corporis & sanguinis sui institutio; & mirãdæ doctrinæ sermo: quorum duorum, nempe primi & tertij Ioannes meminit, secundùm tanquam à cæteris Euangelistis copiosè narratũ prætermisit: intentus his duobus describendis quæ cæteri omiserunt. Primum igitur quod Christum induxit ad hæc tria præstanda est, quod sciret, omnia data sibi à Patre in manus, ideſt, hominum salutem, & redemptionem ei esse à Patre commissam. Hæc eximia consideratio induxit vt miranda opera faceret, antequam discederet. Alterum, quod induxit est, scire & considerare se à Patre exiisse, ideſt, se esse Dei filium naturalem eiusdem cũ ipso substantiæ, & potentiæ. Hæc consideratio induxit vt faceret quæ tanto amori erga Patrem debebantur: considerabat enim ex vna parte quantum rebus à Patre suo demandatis incumbendum esset: ex altera sciebat se tantæ esse potentiæ, vt posset digna Patre æterno exhibere. Id-

circo

circo voluit opus suæ omnipotentiæ pro hominibus à Patre dilectis, & sibi commendatis facere, quale fuit seipsum in cibum eis dare, & sacrificium infiniti & inexhausti valoris relinquere; amor enim tantus erga Patrem non minus postulabat opus à filio, qui omnia poterat, nec se ob impotentiam, excusandi causam habebat. Tertium est considerare se ad Patrem vadere, ideſt, instare iam tempus saluti hominũ consulendi, iam enim ad Patrem vadit, & visibiliter ab hominum conspectibus se remouet, per vicarium hominem, iam iam Ecclesiã suam gubernaturus, assistentiámque hanc visibilem depositurus. Tempus igitur adest opportunum quantum sibi cordi salus hominum sit manifestandi: discessurus ergo exemplo, doctrina, & opere hominibus consulit: lauat pedes, mira docet, opus facit supra omne miraculum, quo victum perpetuum ministrat. Hæc igitur sciẽs, surgit à cœna, & lauare incipit pedes vt & exemplum præbeat, & rursus ad cœlestis cibi instituendi disponat sumptionem, & tantę doctrinæ capaces faciat. Hæc enim tria præambula, ad tria hæc opera referuntur. Surgit à cœna, ideſt, peracta cœna, antequam surgerent, antequam mensæ & ciborum reliquiæ remouerentur. Sic enim intelligendus est Mat. 26. cum dixit, *Cœnantibus autem eis*: & Paulus qui dominicam cœnã non Eucharistiam vocauit, vt ibidem notauimus. Quo autem modo intelligendum sit omnia filio à Patre tradita esse, vide Luc. 10. 22. & Mat. 11. 27.

4. *Surgit à cœna & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum,*

rum,& extergere linteo quo erat præcinctus.] Singulare exemplum singulari diligentia describit minutissimas referens circunstantias. Ministrátis habitum Christus induit, linteo præcinctus, depositó suo vestimento, seu superiore veste vel pallio, retentá inconsutili tunica: nõ enim nudus manebat : socium non admittit, solus ipse aquam mittit in peluim, & linteo pedes extergit ; quæ præter miræ charitatis erga proximũ & humilitatis profundæ exemplum, quid in hominum redemptione ipse fecerit, & adhuc facturus erat, significabãt. Ipse enim exinaniuit se formam serui accipiens cum in forma Dei esset. Ex Aug. Ipse est qui solus torcular nostræ salutis calcauit ; ipse est qui solus nostrorum obtinuit remissionem peccatorum, sordésque scelerum abluit, & exersit linteo suę humanitatis, qua gratiam, qua lauantur, & gloriam, qua exterguntur, nobis obtinuit. Ipse est qui solus lauare potuit alios, qui mundus totus, nulla alterius indigebat ablutione, quia iustus est, & iustos faciens, mundus & mundos reddens. Tol. Quot vestes Christus habuerit, vide apud Mat. 27. 35. *Vestimenta*, pluralis pro singulari.

6. *Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus, Domine tu mihi lauas pedes?*] Particula, *ergo*, tacitam illationem indicat. q. d. Quia cœpit lauare pedes discipulorum consequens erat vt ad Simonem Petrum deueniret lauandum qui inter discipulos erat, quorum pedes lauabat. Et indicat non fuisse primum cuius pedes lauare incœpit : nam dicit ei Petrus: *Tu mihi lauas pedes?* ideſt, tu mihi vis lauare pedes? Sæpe verba in sacris literis non effectum sed affectum

affectum declarant, vt notat Chrys. & Theop. In c. 9. Mat. v. 38. *Tu*, qui filius Dei es. *Mihi*, homini & cõditione abiectissimo, & moribus peccatori, & iis manibus quibus oculos cœci aperuisti, quibus tot fecisti miracula? Prohibet sibi lauare non alienatione, sed reuerentia. Cyr. Theod. Et quia non intelligebat Christi consilium, quídque ea ratione vellet significare. Eadem ratione recusabat Ioannes baptizare. Mat. 3. Ex Leont.

7. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea.*] Q. d. Nescis ô Petre huius rei mysterium & causam: idcirco mei reuerentia motus lauari recusas, scito te nunc mysterium ignorare, paulò autem pòst, aliquid in hoc facto latere discres, quod si nũc scires non te excusares. Attende illud *Scies postea* eo dictum esse quia paulò pòst ablutione perfecta mysterium aperuit: *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis?* Ita Cyr. l. 9. c. 4. Chry. hom. 69. ad tempus post resurrectionem & Spiritus sancti aduentum refert. Cœpit prius facere, deinde docere. Voluit autem discipulorum animos inducere vt sibi crederent, obedientiámque priùs præstarent quam rationem obediendi intelligerent. Ea enim est perfecta inferiorum erga superiores obedientia quæ cæca vocatur: de qua Greg. l. 2. in 1. l. Reg. 3. Et quam indiscretam vocat Bernard. Quæres, quo consilio Christus lauit pedes? Fecit ad exemplum humilitatis, & vt singularem amorem & prouidentiam erga discipulos declararet: vt eorum pedes in prædicationem Euangelij præpararet: vt pœnitentiam necessariam esse ad percipiendam Eucharistiam significaret: vel conformationem

mationem significari, qua contra reliquias peccati, ideſt, contra malas inclinationes fortiores efficimur.

8. *Dicit ei Petrus: non lauabis mihi pedes in æternum.*] Nondum penetrans Christi verbum in ſua excuſatione perſiſtit. *Non lauabis mihi pedes in æternum*, ideſt, nunquam patiar, nunquam feram. Vehementis affectus hæc vox eſt, excuſanda à culpa, quæ à fide perfecta, reuerentia, dilectione, timore, & humilitate procedebat. Ex Chryſ.

Reſpondit ei Ieſus, Si non lauero te non habebis partem mecum.] Quem à propoſito ratio non remouit, detrimentum quod non lotus paſſurus erat ad promptam obedientiam conuertit. *Si*, inquit, *non lauero te non habebis partem mecum.* Q. d. Tu propter me, & ex mei dilectione pedum ablutionem recuſas, ſcito te minùs me dilecturum, & longiùs à me futurum ſi non te lauero. Attende non habiturum partem cum Chriſto dictum eſſe, vel quia peccatum inobedientiæ commiſiſſet, quo gratiam perdidiſſet, Cyr. Baſil. Vel in Petro omnes alloquitur docétque, neminem niſi à ſe lauetur neque liberari à peccato neque gratiam habere poſſe. Vel quia niſi lotus eſſet carnis & ſanguinis Chriſti ſumptione priuatus fuiſſet, per quam Chriſtus in eo & ipſe in Chriſto manſurus erat. ad hoc enim præcipuè lauabat pedes ſuorum, vt diſpoſitis & mundis ſeipſum in cibum daret, & realiter cum eis vniretur. Et hoc eſt quod Petro comminatur, ſi non te lauero non eris particeps mei: nam conuiuium mei ipſius modo præparo iis ſolis quos lauero daturus. Petrus verbum hoc diſtinctè non intellexit tũc quando

quando prolatum est, sed id tantùm concepit nihil se cum Christo habiturum commune, ab eoque esse separandum, nisi lotus fuisset, quod quidem magna erat pœna: postea tamen rei mysterium cognouit.

9. *Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput.*] Qui priùs ex humilitate & timore renuebat, nunc ex amore totum se lauandum offert.

10. *Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.*] Recusat Dominus liberalem Petri voluntatem, & indicat hanc pedum ablutionem propter spiritualem munditiem & sanctificationem fieri. Dicit igitur non esse opus manus & caput lauari, sed solos pedes. Vt enim qui ablutus est semel, mundus est, nec est opus ad mundiciem iterum lauari, sed sat est si pedes lauet, qui propter vicinitatem ad terram quam calcant facillimè & citissimè sordes contrahant: ita Petrum lotione interiori grauium peccatorum non indigere, sed ea tantum quæ erat ab aliquibus leuibus culpis, à quibus illa pedum lotio mundabat. Illa particula, *Sed*, vim habet causalis. q. d. Non indiget lauari quia totus est mundus. Hæc igitur lotio pedum ad interiorem munditiem ordinabatur, eiúsque signum erat. Tol. Alij sunt qui per illam lotionem Baptismum intellexerunt, quo qui semel est ablutus, eum non debere iterum baptizari, sed mundum esse totum, nisi fortè aliquod peccatum post baptismum admisissent. Alij dicunt totum esse mundum cui peccata remissa omnia sunt, tamen opus esse vt pedes

lauet, ideſt vt agat pœnitentiam, vt Dauid. Ex Orig. & Aug.

Et vos mundi eſtis ſed non omnes.] Applicat ſimilitudinem ad diſcipulos. *Et vos*, inquit, *mundi eſtis*: idcirco non indigetis niſi pedum ablutione. Mundos appellat propter gratiam & animæ ſanctificationem quam tunc habebant: nec lotione alia opus erat illis præter eam, qua à leuibus culpis, quæ facilè contrahuntur, purgarentur. Hoc probat, non ad exemplum humilitatis tantum hanc lotionem factam eſſe, ſed ſimul etiam ad ſanctificationē, & purgationem quandam, quæ non aliò tendebat niſi vt dignè conuiuio futuro corporis & ſanguinis Chriſti veſcerentur. Ab hac munditia excludit proditorem, dicens, *mundi eſtis, ſed non omnes*: non eum nominat, ne alij furore in eum irruerent. Omnino tamen tacere noluit, vt Iudas ſuæ conſcientiæ ſtimulum, & magiſtri clementiam, qui eius ſciens proditionem pedes lauit & latere permiſit, ſentiens reſipiſceret: nóſque omnia Chriſto nota fuiſſe intelligeremus: eiúſque clementiam & prudentiam cum inimicis imitaremur. Ex Orig. & Chryſ.

11. *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum.*] Cauſam reddit Euangeliſta cur dixerit non omnes mundos eſſe; ſimulque Chriſti diuinitatem declarat, qui ſine indice intima cordium crimina agnoſcebat. Ex Aug.

12. *Poſtquam ergo lauit pedes eorum accepit veſtimenta ſua, & cum recubuiſſet iterum, dixit eis.*] Dicit Euangeliſta iterum recubuiſſe, quia è cœna huius lotionis cauſa ſurrexerat, vt ſ.d. Poſtquam autem Dominus recubuit Sacra-

mentum

mentum instituit, & quæ sequuntur pronuntiauit: propterea Mat. *Cœnantibus*, inquit, *eis accepit Iesus panem, &c.* cap. 26.

Scitis quid fecerim vobis?] Ex facto suo humilitatis, & mutui inter eos obsequij argumentum deducit efficacissimum: *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis?* non est opus verbo explicare quæ oculis vidistis: ego Dominus & magister vobis discipulis & seruis laui pedes, humile & vile ministerium exercens: vobis vile videri non debet alterum alterius pedes lauare. Ex Orig.

13.14.15.16. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicetis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non est seruus, maior Domino suo, neque Apostolus maior illo qui misit illum.*] Rectè dicitis quia sum Dominus & magister, & talis qualem me confitemini. Ecce igitur quis ego & qui vos sitis. Non vtitur Dominus hisce verbis vt iactet suam magnitudinem, sed vt eos ad humilitatem tanto exemplo & ad imitationem prouocet. Cætera quæ in hunc locum dici possunt, sunt per se perspicua & partim explicata apud Matth. cap. 10.

17. *Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea.*] Q.d. Non hęc dico, vt vos doceam seruum non esse maiorem Domino, nec Apostolum eo qui misit illum, scio vos hæc scire: si autem vt scitis ita facitis beati eritis, & ea ratione dico vt faciatis & beati sitis. Beatos dicit in spe: vt Matth. 5. Et scire pro credere. Mald. Vnde col-

ligitur solam fidem ad salutem satis non esse.

18. *Non de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim.*] Ne suum proditorem ignorasse videretur, & vt eundem pudore & confusione à proposito deterreret, quódque suum erat faceret, licèt nihil esset illi profuturum, excipit ab hac generalitate nomine tacito Iudam, dicens, non vos omnes beatos fore dico, quos hæc facturos scio; scio enim quos ego elegi, nempe quales sint, qualesque futuri, scio etiam non omnes facturos hæc, nec beatos futuros, nec ignorans elegi, sed sciens omnia: & quia scio propterea hæc dico. Aug. de electione ad beatitudinem interpretatur. Euthym. de electione ad Apostolatum. q.d. Quomodo ignorare possum quales sint quos egomet elegi? qnomodo non cognoscam domesticos meos? Mald.

Sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat meum panem leuauit contra me calcaneum suum.] Respondet tacitæ obiectioni, nempe, Si sciebas omnes quos elegisti quales futuri essent, quare proditorem elegisti? Respondet, scio quos elegerim; sed *vt impleatur prophetia*, adde, elegi etiam proditorem futurum; sic enim prædictum est Psalm. 40. *Qui manducat mecum panem*, ideſt, vnus ex meis discipulis & familiaribus, *leuauit calcaneum contra me*, ideſt, me supplantauit, dolo & fraude me cadere fecit: hoc enim est supplantare, plantam seu pedem inter alterius crura immittere in lucta aut cursu, & eum cadere facere: metaphoricè significans eos qui dolis & fraudibus alterum in ruinam impellunt, quod fecit Iudas osculo tradens

tradens iustum *Vt* non causam sed euentum significat. Ex Chrys. & Orig.

19. *Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.*] Dico, inquit, hæc vobis, vt cùm videritis impleta, credatis me esse verum Christum promissum & Dei filium, qualem me esse prædicaui vobis. Vt quando Apostoli viderent Christum traditum & Iudam laqueo suspensum, recordarentur verborum Christi, qui hunc prædixit futurum proditorem, & hunc non esse mundum, nec saluatum iri: vt hac ratione in fide confirmarentur, & sic tolleretur scandalum crucis futurum, quo eorum fides debilitanda erat. *Amodo*, idest cõfestim seu citò dico priusquam fiat. Ex Orig.

19. *Amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cum hæc dixisset, Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen, amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo discipuli ad inuicem hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu dixit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellã introiuit in eum satanas. Et dicit ei Iesus: Quod facis fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei: Quidam enim putabant (quia loculos habebat Iudas) quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis, vt aliquid daret. Cum*

ergo accepisset ille buccellam continuò exiuit. Erat autem nox.] Hæc omnia explicata sunt apud Mat. 10. 40. & 26. 21.

31. *Cùm ergo exisset dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.*] Ab hoc loco vsque ad cap. 18. refert Euangelista sermonem illum bene longum, & diuinorum præceptorum plenum, quem Christus peracta cœna egressoque ad proditionem Iudæ; antequam a cœnaculo ad hortum Getsemani egrederetur, ad vndecim, qui reliqui erant, discipulos habuit. Quandiu Iudas apud illum mansit omnem orationem in eo cõsumpsit, vt eum à scelere concepto reuocaret: postquam vero abiit consolatur & instruit cæteros Apostolos de morte sua, docens non tam mortem quam glorificationem esse. *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis*, ideſt, nunc ego qui filius hominis videor & sum, clarificandus sum, & manifestandus quis sim, nempe filius Dei. Loquitur autem in præterito, quia id proximè erat futurum. Rursus addit, *& Deus clarificatus est in eo*, Ecce quo modo clarificabitur seu glorificabitur filius hominis dum manifestabitur esse filius Dei, & Deus glorificabitur in eo, ideſt filius hominis manifestabitur esse filius Dei. q. d. Nunc est tempus, quando homo hic, nempe ego, cognoscar esse filius Dei, & filius Dei qui in me latebat reueletur & innotescat mundo. Clarificare appellat notam facere rem, notitia illustri & honorifica. Et videtur alludere & ad id quod dixerat cap. 12. *Pater clarifica nomen tuum*, & Pater respondérat, *Et clarificaui & iterum clarificabo*, & ad noctem quæ tunc erat. q. d. Nox quidem

est;

est; tamē nox ista magnā mihi claritatem afferet: nam tali notitia Deus in carne, & caro in Deo nota facta est. In morte autem Christi hoc factū est, nam & hominem illum Deum esse, & Deum hominem illum fuisse est cognitum ex ipsis mortis effectibus, quia mundum, diabolum, mortem, & peccatum superauit: & ex signis miris qualia nūquam visa aut facta sunt: vt s.d. cap. 10.

32. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.*] Probat fore vt Pater filium clarificet, quia cùm Pater ipse per filij mortem clarificandus esset, quemadmodum & per mortem Patri suo quodammodo clarificandus dicitur cap. 21. 19. & credendum esset Patrem propriam gloriam suam non neglecturum, sed quàm diligentissimè curaturum, vt suas quisque res grauiter curat; clarificaturum profectò filium, idque quàm primum. *Si* pro quia. *Si*, inquit, *Deus clarificatus*, ideſt, clarificabitur in eo, ideſt, Si clarificabitur Deus in ipso esse, quia Deus est homo; igitur Deus declarabit eum in semetipso, ideſt, non indigebit declaratione externa, vt sancti & Prophetæ, quos Deus manifestauit: sed Deus in eomet existens, quia homo ille Deus est, ipse declarabit & manifestabit eum in morte sua: quia etsi vt homo morietur, tamē diuinitas eius mira opera ederet, quibus eum declaret esse filium Dei. Deum clarificare eum in semetipso idem significat ac diuinitatem in eo existentem declarare: ipsum hominem Dei filium esse. Adhuc adiungit, *Et continuò clarificabit eum*: Quia eum resurgere faciet virtute propriæ diuinitatis in eo existen-

tis: se suscitabit & seipsum clarificabit resurrectione & aliis miris operibus, quæ subsecuta sunt. Prior clarificatio ad mortem; posterior ad resurrectionem & opera glorioſa refertur. Duplex glorificatio Christi: altera glorioſa, altera non glorioſa sed humilis. In morte glorificatus est, in humilitate: at in resurrectione gloriosè glorificatus, vt notat Orig. Hom. 6. in Exo. exponens illud *gloriosè magnificatus est.*

33. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum Quaretis me: & sicut dixi Iudæis: Quo ego vado vos non potestis venire: & vobis dico modò.*] Affectum paternum erga eos aperit: filij diliguntur, at filioli tenerè amantur: necdum enim ad ætatem maturam spiritus peruenerunt. Quę corda saxea sermo hic non emolliet quando discedere iam volens verbis suauissimis velut amplectitur & osculatur filios, quos parturierat, & suamet carne nutrierat? Aug. tr. 64. Modicum tẽpus interpretatur vsque ad ascensionem. Addit, *Quaretis me*, ideſt, desiderabitis me habere vobiscum in tribulationibus, quas post meum discessum patiemini. Non enim potestis venire quò ego vado: quod etiam Iudæis dixi, ideſt, nondum est tempus discessus vestri: oportet vos in hoc seculo manere, in quo multa feretis aduersa. Attende illud, *Vobis dico modò.* q. d. Modò dico non potestis, quia aliquando venire poteritis & venietis. Quod paulò clarius expressit dicens Petro, *Non potes venire in modo.* Non poterant si spectes animum & voluntatem, quia nondum tanta erant fide, támque cõstanti vt pro Christo mori possent. Vel quia nondum diuina dispositio obitus eorum

eorum erat impleta, oportebat per mundum discurrere, verbum Christi gentibus prædicare, testes Christi resurrectionis esse: nondum ergo veniendum illis erat ad Christum & ad requiem cœlestem, ad quam se Christus recipiebat. Orig. & Chrys.

34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem; sicut dilexi v. s. vt & vos diligatis inuicem.*] Paterno affectu demonstrato & periculorum admonitione præmissa, viuendi normam breui compendio docet. Hoc inquit mandatū nouum do vobis, vt diligatis inuicem: quod vt mentibus cordibusque tenaciùs inhæreret, vsque in vltimum hunc diem reseruauit. q. d. Nouum hoc præter omnia alia adiungo mandatum, quod à principio non exposui sed distuli. Nouum etiam quia tale præceptum numquam est datum: Est enim de dilectione qua Christiani hoc nomine & titulo, quo sub vno capite Christo & vno corpore sunt, se mutuo diligunt. Nimia & vehemens apparet Christi dilectio erga suos, quorum singulos ab omnibus diligi præcipit. Rursus prouidētia singularis agnoscitur: si enim seruatur eius præceptū nemini deerit aliquid, qui enim ab omnibus diligitur omnium habet auxilium, nulla re indiget: aliorum enim res, dilectio facit cōmunes. Chrys. Cyr. Theod. Rup. nouum vocari dicunt quòd in veteri lege iubemur proximum nostrum sicut nos ipsos diligere; Nunc autem plusquam nos ipsos diligere iubeamur: cum iubeamur ita nos diligere mutuo, sicut Christus dilexit nos, & Christus nos plusquam seipsum dilexerit. Alij nouum dici quemadmodum lex Euangelica noua dicitur, & nouum

testamentū, quia quamuis antè esset, tamen per Christum quasi nouo addito spiritu promulgatum est. Alij quia propter desuetudinem antiquatum videretur. Alij, quia obrutum erat cæremonijs quodammodo in veteri lege, non apparebat, sublatis verò in noua apparere, & elucere cœperit. Alij propter nouam formam quod pro regula dilectionis non iam nos ipsi, sed Christus ipse ponatur: *Sicut dilexi vos*: qui certior ac melior omnino sit. Mald. dicit si cum simili dilectionis mandato, quod ante erat conferatur, nouum dici, non quòd nouum sit, neque quòd nouo proponatur modo, sed quod cùm illud sæpe discipulis commendasset, iterum commendet, quemadmodum si nouum esset, & si numquam illud audiuissent, q. d. De nouo vobis do. Sic dicimus, fac nouam confessionem, nouam communionem, quemadmodum si numquam ante confessus esses. Si verò ad cætera mandata, quæ discipulis Christus tradiderat, conferatur, nouum Hebraica phrasi dicitur, non quia nouum, sed quia præstantissimum: vt Mat. 26. 29. & Ps. 95. Ex Aug.

35. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*] Confirmat hæc oratio Toleti expositionem vt de mutua inter Christianos charitate seu dilectione sit sermo. Hæc enim symbolum & signum est, quo Christus suos discerni vult à cæteris gentibus & populis: & verè olim tale fuit: vt refert Tert. quam Gentes admirabantur dicentes, Videte quo modo se inuicem diligant. Non hoc priuilegium miraculis, quæ à malis etiam fieri possunt, sed dilectioni concessum

cessum esse, ait Chrysostom.

26. *Dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis?*] Non discendi, sed magis sequendi Christum desiderio paratum se exhibens ipsum sequi: vt annotat Chrys.ho.72. Cyr. Leont. adhuc enim vehementi erga Christum dilectione, & affectu suo fidens verbis illis, *Non potestis venire*, plenam fidem non adhibet: sed existimans dictum esse, quia Christus propter pericula eos recusaturus venire putabat, ideirco petit, *quò vadis?* q. d. Quod est hoc iter, quod peragis tam plenum periculis & difficultatibus, vt non possim ego tecum venire? Adhuc Petrus passionis mysterium ignorabat, nec perfectè assequebatur. Zelus bonus & affectus laudandus, quo quæ ignorabat interrogare non puduit; Petrus tamen in hoc probandus non est, quòd suis veribus plus æquo fidebat. Chrys. & Aug.

Dicit ei Iesus: quò ego vado non potestis me modò sequi.] Negat sequelam, sed spem concedit. Non, inquit, potes sequi: non absolutè, sed modò; vt vers. 33. tum quia nondum completa erant quæ de Petro diuina ordinatione disposita erant; multa enim per ipsum facienda decreuerat Deus, quæ post Christi ascensionem effecta sunt: tum quia nondum acceperat robur, & vires illas spiritus, quibus mortem intrepidè subiret. Oportebat Christum præcedere & mortem superare, ait Cyr. l. 9. c. 16.

Sequeris autem postea.] Mortem crucis significat, quod mortis genus Petro fuit concessum, vt verè secuturus dicatur Christum.

Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non

cantabit gallus, donec ter me neges.] Hæc exposuimus apud Mat. 26 Itane facies pro me quod ego nondum pro te? præire potes qui sequi non potes? ait Aug.

CAPVT XIV.

Sermo Domini post cœnam.

1. *NOn turbetur cor vestrum: creditis in Deum & in me credite.*] Continuat Dominus sermonem illum mirabilem, quem ad discipulos egresso Iuda post cœnam habere cœperat, c. præcedenti vers. 31. quem Petrus interrogatione sua interruperat. Postquam ergo Christus illi respondit, redit ad sermonem suum, & vt ante faciebat omnes discipulos alloquitur. Ait ergo, *non turbetur cor vestrum.* Quod adiecit quia multa discipulos turbabant; Christum nempe discedentem audire, rursus se non posse quò ille ibat venire: præterea vnum eorum Christi proditorem futurum, adhuc Petrum qui primus erat eorum, ante galli cantum ter negaturum Dominum. Ex his omnibus tristia & formidabilia concipientes contristati sunt, & timuerunt. Tristitia de Domini discessu erat, timor verò de his quæ sibi iam iam superuentura metuebant. Magister autem non destitit eos consolari miris modis, idque diuino sermone ad eos habito: qui omnibus fidelibus in huius mundi pressuris & periculis degentibus maximam cõsolationem & mentis illustrationem adfert. Incipit

cipit ergo ab hac animi eorũ turbatione. *Non*, inquit, *turbetur cor vestrum*: deponite discipuli timorem, quem de meis verbis concepistis: non est cur turbari debeatis. Cyr l. 9. c. 29. Non turbationem, inquit, reprehendit, ne turbati & adhuc turbandi desperarent, nec probat, ne ea ablorberentur: sed modestissimè admoner, *Non turbetur cor vestrum*; non dicit, nolite turbari, cùm non sit in manu hominis turbationem omnem expellere: nec vitiosa sen per est: quia & Christus turbatus est: sed dicitur. *Non turbetur cor vestrum*. Ideſt, ratio à recto & vero his passionibus succumbens ne dimoueatur, sed si turbatur & commouetur inferior pars, & sensus, cor tamen & mens recto, & vero inhæreat, & immobilis perduret. Ad hoc monet vt non ea quæ humanitatis sunt respiciant, sed quæ diuinitatis sunt intueantur: tunc cessabit timor omnis, cum credent eum qui moritur, & qui vadit, Deum esse, ab omni periculo liberare potentem: qui si noluisset mori, aut pati eum nemo cogere potuisset: quo protegente nihil eis nocere poterit. Dicit ergo, sicut vos creditis in Deum, & fatemini ab omni eum posse periculo & malo liberare; credite in me etiam quia Deus sum. Hebr. vt Io. 5. Sensus est. Me æqualem & eundem Deũ cum Patre credite, & in hoc mentis aciem figite: & non erit cur vestrum cor turbetur, in omnibus quæ euenient; me enim volente & disponente fient: si me ita potentem confitemini & consideratis, nihil est quod de meo discessu tristemini, nec vllum vestrum malum formidetis: sum enim Deus qui omnia possum. Vide quantum ratio contra omnes turbationes fidẽ firmetur: nullus

nullus enim mœror, nec tristitia, nec timor rationem auertet à vero quandiu in hoc fixa manebit; nempe Christum illum qui patitur & vadit, ipsum esse Deũ, cui nihil mali accidere potest, & qui ab omni malo suos liberare valet. Discipuli verò in his quæ solius humanitatis erant, considerantes in his turbabantur. Ex Aug.

2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.*] Cum ad ponendum tristitiam & turbationem & fidendum in se eos prouocasset, incipit modò aperire bona quæ per ipsum tutò expectare debeant, ait Iansˢ. vel vt Tol. instruit & consolatur eos, ex illa parte qua dictum erat, *Non potestis venire*: & rursus Petro, *Sequeris postea*. Et sensus est, Ne etiam cõtristemini nec timeatis, quia audistis me vadere, nec vos posse venire, solique Petro promissum aduentum: non hæc dicta existimetis quasi non sit locus pro omnibus vobis: non enim ita est. Nam in domo Patris, quò ego vado, sunt multæ mansiones: non pro me aut Petro tantum, sed pro vobis etiam & pro innumeris alijs. Nõ est hæc causa cur non possitis venire, sed quia necesse est me priùs ire vt vobis præparem locum. *Si quo minus, dixissem vobis.* Idest, si non essent multæ mansiones in domo Patris mei, certè vos eius rei admonerem, nec vos deceptos esse paterer. Quare autem dixisset, causam adiungit, *Quia vado vobis parare locum*, causa vestri discedo, & vado vt apud Patrem locum vobis præparem. Si igitur non essent mansiones profectò certiores vos facerem: quandoquidẽ ea de causa vado. Ex Aug. Obijcies, si hæ

mansiones

mãsiones sunt apud Patrem quid opus erat præparatione? Respondeo fuisse quidem mansiones, tamen ianua cœlestis erat clausa: nemo enim quantumuis iustus & sanctus ingredi potuit regnũ cœlorũ, nisi prius Christus aperiret morte sua ianuam: omnes enim in limbo detinebantur, donec Christus pretium redemptionis solueret morte sua. Nec ingressi sunt regnũ cœlorum donec Christus resurgens & ascendẽs viam faceret, hoc est præpararet locum in quo mansiones sunt, aperiret ianuam cœli, solueret pretium mansionum ipsarum, iter & viam sterneret cœlestem. Hæc omnia Christus fecit morte sua & resurrectione sua: idcirco parauit locum, vt ad mansiones, ab æterno à Deo iustis destinatas peruenire possit. Easdem mansiones quas prædestinando præparauit, præparat operando, ait Aug.

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis.] Continuat sententiam, eos certos faciens venturos secum, quãuis non modo. Vado, inquit, parare locum, & postquam abiero & præparauero, iterum veniam ad vos, in secundo aduentu: & assumam vos vt mecum sitis apud Patrem. Non igitur est nec cur tristemini de meo discessu; qui tam vtilis & necessarius est vobis, per quem aditus patebit in regnum Dei: nec cur timeatis, quia dictum est vos non posse venire, quia venietis mecum; modò non potestis quia non est locus paratus, via non est strata, aperta non est ianua: tamen quando hæc facta fuerint poteritis, imò ego veniam & assumam vos vt mecum sitis in æternum. Colligitur ex hoc loco neminem

nem ante Christum ingressum esse in cœlum: vt confir. ad Heb. 11. 39.

4. *Et quo ego vado scitis, & viam scitis.*] Intellexit Christus qui corda scrutatur discipulorum desiderium: scire enim cupiebant quò vaderet, ideóque adiungit hæc verba vt animum excitaret interrogandi, sicque rem ipse explicaret apertius. Scuis quò vado, nec solum hoc, sed etiam viam qua ad locum quò vado perueniendum sit. Noua etiam ratione eos consolatur, quia discedente eo, quem diligimus, maximum affert solatium scire quò vadat, & viam qua ad eum peruenire possimus. Ex Chrys.

5. *Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?*] Reuerenter vt putat Chrys. ex affectu & cupiditate sciendi quò abiret objcit Thomas, *Nescimus quò vadis*: viam ergo non possumus scire: ignorato enim termino viam ad illum ignorari necesse est. Thomas ergo vt induceret Christum id desiderantem ad explicandum quo abiret, omnium ignorantiam proponit. *Nescimus*, inquit, non ego solus sed omnes nos. Quam cæterorum ignorantiam facilè sibi persuasit Thomas, quia primum eorum Petrum interrogantem audiuerat, *quò vadis?* nec responsum acceperat. Si igitur Petrus ignorabat, cæteros ignorare non dubitauit Thomas. Ex Aug.

6. *Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.*] Respondet Dominus non solum ad verba Thomæ, sed ad animos discipulorum; non enim confirmati erant in promissione Christi. Si abiero & præparauero,

parauero, veniam ad vos & assumam ad me: vt vbi ego sum & vos sitis. Ideirco declarat viam & promissionem confirmat. Ego, inquit, sum via, per cuius fidem oportet venire; propter doctrinam, quia viam nobis ostendit, ideſt, legem dedit quam si obseruauerimus ad Patrem peruenietis, & sine qua peruenire non possumus; propter imitationem, quod nemo possit nisi eum imitando ad Patrem ire; propter meritum quo nobis ipse impeditam ante & interseptam viam patefecit. *Ego sum veritas*, qui non solum non fallo, non mentior: sed possum: quæ ergo promisi faciam. Non ergo dubitetis me venturum ad vos & assumpturum ad me. *Ego sum vita*, quia etiamsi mortui fueritis & occisi, reuocabo vos advitam vt assumamini ad me, quando veniam. Vel quia vitam æternam præbet, vel quia non nisi per ipsum vitam consequi possumus. Vel Hebraismus est, ego sum via vera & ad vitam ducens, aut ego via veritatis & vitæ. Ambula per hominem vt venias ad Deum, ait Aug.

7. *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.*] Q. d. Qui mei perfectam fidem habent, Patris etiam fidem habent: vna enim vtriusque est diuinitas & substantia, quæ sicut diuidi non potest, ita & cognitio & fides indiuisa est. Hæc est ergo causa, cur nescias, quòd vadam, quia me perfectè non nostis. Ex Hil. 7. de Trin.

Et amodo cognoscitis eum & vidistis eum.] Promittit cognitionem hanc & fidem perfectam citò dandam. Amodo enim, ideſt, deinceps, seu ex nunc, cognoscetis Patrem, & me, nempe quando post ascensionem missus est Spiritus sanctus;

ctus, infundens fidem perfectissimã, & integerrimã, qua nouerunt Patrem, ad quem Christus vt homo ibat, & ad quem ipsi perducendi erãt. Et ne se diuersum à Patre esse significare videretur, quia dixit se esse viam ad Patrem, cum sit verè vnius substantiæ cũ Patre; & ne eos omni planè cognitione Patris priuatos esse visus esset significare; adiunxit, *& vidistis eum*, nempe in me existentem. Viderant enim eum in Christo per humanitatem, quia cùm sit vna diuinitas filij & Patris, qui per humanitatẽ videbat Deum, videbat etiam Patrem per opera miraculorum: nam etiam Pater illa opera mira per humanitatem efficiebat, vnà cum filio. Qui ergo videbat Christum videbat Patrem; tamen non agnoscebat nisi is qui perfectam fidẽ habebat: sicut is qui videt eum qui rex est, nescit tamen eum regem esse; videt regem, sed regem non agnoscit. Vel tempus visionis separauit à tempore cognitionis. Hil. de Trin.

8. *Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.*] Audiens Philippus Patrem amodò cognoscendum tantę cognitionis ardens desiderio dicit, *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Sufficit inquit, ad deponendum omnem timorem. q.d. Tu nos de tuo discessu & aliis, quæ dixisti, tristes & timidos consolari & cõfirmare conaris promissione aduẽtus tui & assumptionis nostræ ad te, & præparationis mansionum: at ostende nobis Patrem & sufficit nobis, vt timore & tristitia depositis non opus sit te pluribus vti rationibus. Hil. 7. de Trinit. & Aug.

9. *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me? Philippe qui videt me videt*

& Patrem meum.] Arguit ignorantiam Philippi, ex qua talis procedebat petitio: Patrē enim à Christo separatum, quales humani patres sūt putabat, quorum filij cognosci possunt nō visis parentibus. Idcirco Patrem sibi ostendi petit quasi iam nouerit filiū, Patérque solus cognoscendus supereſſet. Multum autem in hoc decipiebatur: filius enim Dei nō est à Patre separatus, cum vna & indiuidua sit vtriusque natura, & substantia, vt qui videt & cognoscit filium, videat & cognoscat simul Patrem. Ex hac ignorantia petit, ostende nobis Patrem. At Dominus ad radicem & causam petitionis cōuersus dicit, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* q.d. Putas Philippe te me nouisse, & Patrem tibi cognoscendum supereſſe? non sic est, non enim me nouisti quem profectò debuisses nosse tanto tempore à me edoctus. Si enim me nouisses, nouisses vt Patrem. Gr. Non cognouisti me Philippe. Et sic in vno multi reprehenduntur. Scito qui me videt, Patrem etiā videre simul. Duplex est visio, mentis & corporis: visione corporis Deus videri non potest per se, tamen videtur per aliud. Quādo enim Deus olim in corporeis figuris apparebat, videri dicebatur etiam oculo corporeo: non quidem in se, sed in figura repræsentante. Ita etiam in humanitate assumpta Deus videbatur: erat enim Deus vnitus homini qui videbatur. Et ea ratione qui videbant Christum, videbant Deū non per se, sed per humanitatē illam. Cum igitur natura & diuinitas illi vnita humanitati, sit eadem Patris & filij, non poterat videri filius quin simul videretur Pater: quod esse non posset nisi vna esset vtriusque natura, & simul etiā homo.

homo ille Deus esset. Hinc multi articuli fidei comprobantur: nempe hominem illū esse Deū: Patrem & filium eiusdem esse naturæ contra Arianos. Item alium esse Patrem, alium filium in personis contra Sabel. Et de hac visione sententia ista procedit. Si autem loquimur de visione mentis, tunc aut fides est, aut visio intuitiua: si de intuitiua loquamur, verissimum est qui videt Patrem videre filium, & qui videt filiū videre Patrem. Si autem de fide quæ etiam in Scriptura visio dicitur 1. Cor. 13. qui videt filiū videt Patrem. Qui enim filij diuinitatem confitetur, eum Patris diuinitatem fateri necesse est, cum vna & eadem sit. Hil. 7. de Trin. Et Aug.

10. *Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?*] Ostensa veritate dictum Philippi carpit, quasi eximperfecta procedens. Si igitur, inquit, qui videt me videt & Patrem, cur ergo petis vt ostēdam tibi Patrem, quasi à me separatum, cū ego in Patre & Pater in me sit, vnáque sit vtriusque diuinitas? Suaui reprehensione vtitur, *Non credis?* q.d. Caue ne ita dicas, attende quod petis nam id dicere & petere, est non credere me esse vnum Deum cum Patre ex Aug.

Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera.] Ab effectu probat se esse in Patre & Patrem in se: nempe ex verbis & doctrina sua quæ satis indicat eum non esse hominem merum, sed Deū, vnius cum Patre substātiæ: non solū quia Christus id exprimebat, sed quia doctrinæ qualitas & efficacia hominis meri non erant; vel inimicis fatentibus, *Nunquam sic locutus est homo.* At si hoc non satis vobis est, opera considerate,

quæ

quæ solius esse Dei negare nemo potest: suscitare enim mortuos, illuminare cæcos, apertè opera Patris sunt, & ex hoc colligetis me esse in Patre & Patrem in me, ideſt, me eandem cũ Patre habere diuinitatem. Inde enim procedit, si ego loquor, ipsum etiã mecum loqui, & si ego operor, ipsum etiam operari quantum ad substantiam: tamen quantum ad significationem verba & opera filio tribuebantur, quia persona filij erat vnita humanitati illi, non autem persona Patris, & hac ratione Christus dicebat, se esse filium Dei, non autem dicebat se esse Patrem: quamuis hoc verbum & hoc opus factum esset à filio & Patre, quia à Filio procedebat per humanitatem tanquam instrumentum suæ personæ coniunctum, & à Patre per eandem humanitatem, sed tanquam per instrumentum separatum respectu personæ: Ex Hil. Chryſ. & Aug.

11. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.*] Concludit quod probare intendebat: & sensus est, si non creditis me in Patre & Patrem in me esse, ideſt, si propter verba sola mea & mihi simpliciter affirmanti fidem non habetis, saltem propter opera ipsa, quæ Patris sunt, credite; nisi enim Pater in me maneret talia opera non facerem. Hil. Chryſ. & Aug.

12. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*] Hortatus erat discipulos vt crederent eũ esse in Patre, & Patrem in se; ex operibusque ipsis facile illos posse cognoscere Patrem esse in se. Ad hanc eandem fidẽ præter opera nouũ inducit argumentum. q.d. Si opera quæ ego fa-

cio non vobis suadent, me esse in Patre, & Patrem in me, suadeant saltem opera quæ facturi sunt credentes in me, & me esse in Patre, & Patrem in me: nam hi facient opera quæ ego facio, nempe opera Patris & diuinitatis. Vis argumenti in eo est, qui me esse in Patre, & Patrem in me, hoc est me esse filium Dei Patri cõsubstantialem credent, facient opera mira quæ ego facio propter fidem hanc. Igitur verum est me esse in Patre & Patrem in me: nisi enim hoc verum esset, qui id credit non efficeret opera talia per hanc fidem. *Et maiora horum faciet*, maius enim fuit vmbra Petri sanatos esse infirmos quàm tactu fimbriæ Christi: vt dicit Aug. tract. 72. vt ostenderet eos sua auctoritate non propria ipsorum facturos esse. Alij se ostendisse Deum, quòd dicat se multò maiora per eos facturum esse miracula quàm per se viuens fecerit. Theod. Herael. tribus rebus Apostolorum miracula miraculis Christi dicit excelluisse. Primò, quòd ipsa per se maiora fuerint, vt quod de vmbra Petri iã diximus Act. 5. Secũdò quòd Christus nullum nisi beneficij loco miraculum fecerit, vt mortuos suscitare, ægrotos curare; Apostoli non solùm ea quæ ad beneficentiam hominũ, sed etiam quæ ad pœnam pertinerent: sicut Petrus Ananiam & Saphiram solo interemit verbo, Act. 5. 9. 10. Sic Paulus Elymam illum magum excœcauit, Act. 13. Et Corinthium illum iuuenem Satanæ vexandum tradidit. 1. Cor. 5. Postremò quòd Christus non nisi in Iudæa, Apostoli per totum terrarũ orbem miracula fecerint: itaque fama etiam & celebritate superarunt Christi miracula. Addit Christum non nisi vna locutum lingua, Apostolos

ſtolos innumeris vt Ruper.

13. *Quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio.*] Reddit cauſam cur credentes in eum faciant opera, quæ ipſe fecit, & maiora. Illud autem primum verbum, *quia vado*, cauſa eſt cur credentes faciant, q.d. iam ego in hoc ſeculo viſibiliter non ero, idcirco hoc munus meæ manifeſtationis credentibus in me relinquo, & ipſi facient, & proſequentur facere opera mea. Ita Chry. ho. 73. exponit verbum *ad Patrem*, cauſam reddit cur maiora facient, quia inquit, ego iam ad Patrem vado: tempus humilitatis meæ & abiectionis completum eſt, gloriam meam recipiam: quia paſſurus, & pro hominibus moriturus veni, ideo feci opera mira, quibus in me homines credere potuiſſent ſi voluiſſent. At non ea omnia feci quæ ſi feciſſem, ad me omnes traxiſſem: non enim locum darem morti meæ & redemptioni. At nunc ad Patrem glorioſus vado: nomen meum manifeſtandum eſt gentibus & populis: idcirco maiora, & quæ ego non feci, facient diſcipuli & fideles mei; ita Cyr. l. 9. c. 41. Verbum, *Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, vtramque complet rationem. Vado quidem & ad Patrem, vado non vt otioſus ſim, ſed facturus quodcumque petieritis in nomine meo, ideſt, ad nominis mei inuocationem faciam omnia, per quæ Pater glorificandus eſt in filio, ideſt, quibus manifeſtabitur diuinitas mea, ſecundùm quam Pater in me eſt: glorificatur enim Pater in filio dum filius oſtenditur conſubſtantialis ipſi Patri per illa opera quæ facit filius qui Chriſtus eſt. Hæc igitur eſt cauſa cur facietis

cietis opera. & maiora, quia ego vado & ad Patrem. Et sic vado vt faciam quidquid petieritis Patrem in nomine meo: quidquid, inquam, per quod diuinitas mea quam habeo cum Patre communem, manifestanda est. Ex Aug.

14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciã.*] Repetit idẽ assueuerãdi causa, vt ait Euthy. voluit enim fixum in illis manere, expedire ipsis vt ad Patrẽ abiret, vt sit generale documẽtum omnibus credentibus, & verba ista non de miraculis, vt præcedentia, sed ex his quæ vnicuique ad propriam salutẽ spiritualẽ necessaria sunt, procedunt: loco enim præsentiæ suæ relinquit & dat petitionẽ in nomine suo. Dicitur autem, *petieritis me, in nomine meo.* Petere Christũ est orationem & petitionẽ dirigere ad Christũ, petere autẽ ipsum in nomine eius est, ea quæ rogamus ipsiusmet merito & virtute ac fide petere, vt ipse sit quẽ petimus, & ipsemet sit, cuius merito impetrare speramus quod petimus, quod sine fide in ipsum esse non potest. Sic primum documentum fuit ad fidei confirmationem, hoc secundum de petitione.

15. *Si diligitis me mandata mea seruate.*] Post fidẽ, post petitionẽ hoc tertium adhibet documentum, *mandata*, inquit, *mea seruate si me diligitis.* Q.d. Aliter in mea dilectione nõ manebitis. Si ergo me diligere cupitis, seruate omnia, quæ vobis mandaui; sine quorũ obseruatione nemo me diligit. Rectè aduertit Cyr. l. 9. c. 43. mandata sua dicere, vt se Deum in hoc significet. Cùm enim priùs mandata Patris pronunciasset, Io. 12. nunc sua affirmat. Aduertit iterũ cũ petitione coniungi mandatorũ obseruantiam,

tiam, ille enim petit & impetrat qui eius à quo petit mandatum & voluntatem facere studet: multi non exaudiuntur quia malè petunt, Iac. 1. malè autem petit, qui mandata nolens custodire petit. Aug.

16. *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.*] Seruantibus mandata promittit hunc paracletum, qui non nisi diligentibus datur. Ita Aug. tract. 74. Et hæc promissio fit de plenitudine Spiritus sancti, quam plenitudinem præcedit mandatorum obseruatio. Sunt etiam verba & argumentum consolandi eos, & confirmandi, vt Christo discedente perseuerent in fide, & dilectione, & obseruantia mandatorum eius. Paracletus hic Spiritus sanctus est quem dedit Pater post ascensionem Christi in cœlum. Loquitur autem Christus, vt homo, *rogabo Patrem*, vt det, cum reuera vnà cum Patre dederit. At vt ostenderet suis meritis, quæ habuit vt homo, & sua intercessione qua etiam intercedit vt homo, factum esse vt Spiritus sanctus mitteretur; ideirco dicit, *ego rogabo Patrem*. Rursus vt induceret eos ad magno & læto animo ferendum hunc discessum. q. d. Non sit vobis molestus discessus meus: ego enim apud Patrem existens rogaturus sum vt det vobis alium Paracletum, eúmque meis precibus dabit. Alium dicit, vt significetur personalis distinctio inter filium, & Spiritum sanctum. Est enim filius Paracletus, est Spiritus sanctus Paracletus, sed alius, quia distincta persona: vt in hoc quod vterque Paracletus est consubstantialitas: in eo quod alius, distinctio personalis insinuetur. Si Paracletus promittitur, non est

quòd tristitia sit de discessu. Paracletus enim consolationem promittit, quia idem significat ac consolator. Rursus si Paracletus dabitur recedat timor: est enim Paracletus etiam exhortator, & incitator, quod ad fortitudinem spectat. Alij dicunt Paracletum quasi magistrum dici. Alij quasi aduocatum, quòd postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8. Se quidem venisse vt Paracletum, sed ad breue tempus paulò post ad Patrem rediturum: Spiritum sanctum verò ita venturum vt numquã moriatur, sed maneat in æternum. Hebraismus ait Rup. idest, toto huius vitæ decursu. Vel dixit, *in æternum*, idest, quia ad vitam æternam erat eos perducturus. Magna promissio à gratia numquam excidere ait Chrys.

17. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, Quia non videt eum, nec scit eum.*] Quem paracletum dixit, spiritum veritatis vocat; vt per hoc Christus discipulis significet, ab illo non solum consolationem eos accepturos, sed etiam perfectam veritatem docendos. Dicitur autè spiritus veritatis ab effectu, quia doctor est, & magister veritatis, cámque hominum cordibus infundit. Est autem triplex veritas. 1. res ipsa per vmbras figurata, & per figuras significata. Sic canit Ecclesia, *Vmbram fugat veritas.* 2. est promissionum complementum. 3. diuinorum cognitio ad salutem necessaria, vt Io. 19. & 17. Has tres veritates Euangelium continet: ideo sæpe nomine veritatis appellatur. Ep. 1. Gal. 5. ideo se doctorem in fide & veritate Paulus nominat. 1. Tim. 2. Thes. 2. Addit mundum, idest, malos & incredulos non posse accipere hunc spiritum veritatis: & ra-

tionem

tionem adiungit, quia non videt eum, ideſt, quia non ſcit, ſeu non cognoſcit eum: ſi videret aut ſciret modo aliquo acciperet: at non videt, nec ſcit, ideo nullo modo capere poteſt. Non videt mundus ſpiritum, quia carnem non aſſumpſit, in qua videtur ſicut filius, qui carne ſumpta viſibilis factus eſt; non ergo mundus videt: cum ergo mundus nec videat ſpiritum, nec ſciat capere, non poteſt eum. Alia Chriſti ratio eſt; viſus eſt enim à mundo in carne, ideo mundus modo aliquo accepit eum: At non ſciuit, quia nec credidit, nec affectu recepit: accepit corpore, ſed non mente: Spiritum ſanctum autem nec corpore, nec mente. Rectè dixit mundum non poſſe videre eum, ne paracletum audientes aliam incarnationem ſuſpicentur ait Chryſ.

Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.] Mundo negatur viſio & cognitio: Diſcipulis verò non viſio ſed cognitio promittitur. Vos autem cognoſcetis eum mente & affectu, quia apud vos manebit, quia vobiſcum interius conuerſabitur perſeueranter docendo, inſtruendo, conſolando, curam veſtri gerendo. Nec ſolum apud vos manebit, ſed erit in vobis, quia dona ſua pretioſa vobis infundet. Chriſtus quantum ad præſentiam corporalem, manebat apud diſcipulos, tamen non erat in eis: Spiritus ſanctus, inuiſibiliter vtrumque habet, & manet apud iuſtos quadã ſpirituali protectione, & conuerſatione. Eſt etiam in ipſis per gratiam & dona ſua, quarum ratione iuſti vnionem quandam habent cum Spiritu ſancto, & per ſeipſum, vt putat Rup.

18. *Non relinquam vos orphanos.*] Q.d. Paracletus alius dabitur vobis, non tanquam tutor pupillo loco Patris defuncti, nam & ego curâ vestri agam, paternum officium non desero. Hoc verbo suam resurrectionem celerem promittit. Ideo dicit, *Non relinquam vos orphanos:* non autem dicit, orphani non eritis, nam reuera futuri erant orphani Christo mortuo, quo enim tempore mortuus fuit, homo non erat. Ex Aug.

Veniam ad vos.] Multi hanc sententiam proximæ tanquam eius causam connectunt. At noua videtur sententia & separata quæ proximam auget. Non solum, inquit, non vos relinquam orphanos citò resurgens, sed etiam veniam ad vos, & me vnà cum Paracleto alio habebitis: visitabo vos, vobiscum ero realiter & visibiliter; quod impletum est quando resurgens suis apparuit & cum ipsis est collocutus, & eos consolatus erudiuit, vt ait Aug. Vel quando misit Spiritum sanctum: Vel de secundo aduentu agit. Ex Aug.

19. *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt; vos autem videtis me.*] Idest, post modicum temporis fiet, vt mundus me amplius nõ videat: per mortem enim meam iam iam futuram ab oculis hominum me subtraham, & amplius me non videbunt, quia resurgens non conuersabor in hoc seculo, vt ante. At vos videbitis: nam meipsum vobis manifestabo, non autem illis. q.d. Aduentus meus non erit sicut prior. Vel per *modicum* intelligit totum illud tempus quod vsque ad secundum aduentum reliquum erat, quia mille anni in conspectu Dei tanquam dies vna. 2. Pet. 3. Ex Aug. *Videt*

pro

pro videbit, vt, *Elias venit*, pro venturus est. Mat. 17. & *Messias venit*. Ioan. 4. Ex Chrys.

Quia ego viuo, & vos viuetis.] Causa est promissionis factæ, Vos videbitis me post modicum: videri enim non posset si ipse in morte mansisset, aut si ipso resurgente discipuli mortui essent: vtrumque hoc remouet, *Videbitis*, inquit, *me, quia ego viuo & vos viuetis*. Mors non impediet visionem hanc: non mea, quia ego viuo, idest, citò resurgam, & ad vitam me reuocabo; viuetis etiam vos quia non moriemini, nec interficiemini nunc, sicut ego, nec Iudæorum furor impediet quo minus Euangelium per vniuersum mundum prædicetis. Non dicit, Viuam, sed *viuo*, vt celerem suam resurrectionem indicet. Vel est præsens pro futuro, vt suprà. Ex Chrys.

20. *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*] Dies hic non vnus aut alter est, sed tempus à Domini resurrectione in futurum etiam post aduentum Spiritus sancti, tũc, inquit, temporis, postquam venero ad vos, perfectè cognoscetis, quæ modò non bene cognoscitis: cognoscetis autem hæc tria, nempe me esse in Patre meo, me esse Dei filium, verum Deum, & vnius ac eiusdem cum Patre substantiæ: rursus cognoscetis in me vos esse, idest, percipietis diuinæ meæ incarnationis mysterium, per quod factum est vt natura humana dicatur vnita meæ diuinitati, & assumpta ad filij Dei personam: ratione cuius vos omnes dici quadam ratione potestis esse in me. Percipietis etiam fructum huius incarnationis meæ mirabilem, nempe Spiritus sancti gratiam, per quam transformemi-

ni in ſtatum filiorum Dei, ex ſtatu filiorum peccati & dæmonis erepti, cuius ratione ego ſum in vobis. Hæc tria myſteria nempe Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, quæ ſumma eſt doctrinæ diuinæ, cognoſcetis fide perfectiſſima, & pleniſſima illuminatione, vt totum mundum illuminare, & docere, & regere poſſitis. Aliter igitur eſt filius in Patre, aliter nos in ipſo, aliter ipſe in nobis. Ille in Patre per vnitatem eiuſdem eſt ſubſtantiæ, Nos in illo ratione naturæ aſſumptæ, quam nobiſcum communicat, Ille in nobis ratione ſpiritus & gratiæ, qui eſt effectus redemptionis. Ex Hilar. Chryſoſt. & Aug.

21. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.*] Ideſt, qui tenet memoria & ſeruat in vita, qui habet in ſermonibus & ſeruat in operibus: qui habet audiendo & ſeruat faciendo: qui habet faciendo & ſeruat perſeuerando, ille eſt qui diligit me. ait Aug. Et hinc etiam non vobis ſolis, Apoſtoli mei, meipſum manifeſtabo, vt videat me ſicut & vos. Quod factum eſt cum multis aliis præter vndecim, & cum mulieribus quibus ſeipſum præbuit manifeſtum. Putant Chryſ. & Theoph. hoc Chriſtum nunc dicere quia videbat triſtes propter futurum diſceſſum eſſe diſcipulos: docere ergo eos ſi me diligant, ne in eo amorem, erga ſe declarent, quòd ægrè diſceſſum ſuum ferant, ſed in eo quod mandata ſua ſeruent, cum enim ſe vere diligere qui ſeruat mandata ſua. Ruper. verò Chriſtum oſtendiſſe ante lotionem pedum quantum diſcipulos amaret cap. 13. nunc quantum ſe, & quomodo illi amare

amare debeant. Et colligitur ex hoc loco non satis esse mandata habere, ideſt, credere, nisi etiam facerent quæ credebant: ideóque solam fidem ad iustificationem & salutem non satis esse. Ex Chrys. & Aug.

Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.] Describit statū Euangelicum dilectionis. Hūc qui me diligit Pater diliget. Quid est Pater diliget eum? ideſt, iam non dilectione seruorum, sed filiorum diliget, priùs enim diligebat quasi seruos. At post meam Resurrectionem & statu Euangelij aduenientē diliget vt filios. Hoc est dicere, Pater diliget eum: vt 1. Ioan. 3. Non solum Pater diliget, sed ego etiam, non vt Deus tantum (sic enim vna & eadem dilectione cum Patre diligit) sed vt homo etiam (sua enim charitate quam vt homo habet, suos dilexit, & diligit credentes, & sua mādata seruantes, non solum continuando amorem, sed nouis semper cumulando beneficiis quibus multifariam & continuò suos Christus afficit.) Addit, *& manifestabo ei meipsum*, ideſt, ad hoc diligam, vt manifestem, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus ait Aug.

22. *Dicit ei Iudas non ille Iscariotes: Domine quid factū est quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?*] Iudas Thadæus frater Iacobi, non ille qui Christum tradidit, audiens verbum hoc, *Mundus me non videt vos videbitis*, & de se, suisque condiscipulis intelligēs illa etiam vltima (manifestabo me ipsi) interrogat Christum dicens, *Quid factum est*, ideſt, quid causæ est quod te nobis & non mundo manifestabis, aut quod nos te videbimus, non

autem mundus? Non intelligebat mortis & resurrectionis mysterium, nec nouerat Christum surgentem amplius in hoc mundo non conuersaturum, sed manifestandum singulari priuilegio, & ipsis & quibusdam aliis. Idcirco ignorans & nondum sciens sensum verborum perfectum, interrogat causam huius distinctionis. Ex Aug.

23. *Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*] Non mutat Christus sententiã suam, sed eiusdem potius sententiæ repetitione docet Iudam quo modo & quam ob rem non omnibus se manifestaturus esset. Quia non vult gloriam suam nisi cum amicis suis communicare, amicos autem suos esse qui sermonem suum seruant. Ita Aug. Cyr. Alij vt Chrys. docere Christum se non sicut mortui viuis apparent, quemadmodum illi putabant, ipsis appariturum, sed sicut Deus hominibus apparere solet, idest, spiritualiter & inuisibiliter: propterea dixisse simul cum Patre ad eos venturum esse. Theod. Mops. docere se neminem excipere, omnibus sese hominibus manifestaturum esse; modò se diligant, & mandata sua seruent. Et loquitur de aduentu per gratiam in animos hominum. Apoc. 3. Vel opinionem falsam remouet, docens non sic futurum vt mundus omni ex parte priuetur Christi cognitione, & mortis eius fructu; quamquis enim discipulis se manifestaturus esset visibiliter, & aliis paucis quibusdam, non autem mundo: tamen alter aduentus supererat inuisibilis & spiritualis non tantum per gratiam,

sed

sed & per ipsum Spiritum sanctum: nam & ipse Spiritus sanctus, quasi primum Dei donum nobis datur: non solum enim Spiritus sanctus, nobis charitatem, & dona sua communicat, sed & per ea in nobis ipse Spiritus sanctus inhabitat. Licèt enim antea ipse in anima fuerit per essentiam, potentiam, præsentiam: datur tamen rursum animæ dum illa iustificatur, vt sit in ea nouo modo, scilicet tanquam in templo suo, eamque per charitatem sanctificet, & faciat participem sui amoris. Est enim ipse primus & increatus amor. Ita Cornel. in 5. & 8. Epist. ad Rom. exponens illa verba, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ qui datus est nobis.* Non tantum ergo per gratiã & dona Spiritus sancti quo venturus erat vnà cum Patre in eos omnes, qui eum dilexerint, & eius seruauerint sermonem, vt etiam ipsi cognoscant & participent fructum suæ redemptionis, & in consortium filiorum Dei admittantur: sed etiam per ipsummet Spiritum sanctum, ex Ruper.

24. *Qui non diligit me sermones meos non seruat, & sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris.*] Q. d. à contrario confirmans superiorem sententiam, qui sermones meos non seruat, non solum non diligit me, sed nec etiam diligit Patrem, quia sermones mei, non mei, idest, non mei tantùm, sed Patris etiam sunt. Sicut ergo non me diligit, ita neque Patrem. Fiet ergo vt nec Pater diligat eum, nec ego, nec ad eum venturi simus. Hæc verba adiecit vt in culpam hominũ reiiceret, si ad eum non venerint & fructum eius redemptionis non participauerint. Ipse

enim pro totius mundi salute venit.

25. 26. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens : Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*] Ideſt, hæc dixi dum breui tempore hoc apud vos maneo : propero enim ad Patrem. At quia ſcio vos ſenſum perfectè non aſſecutos eorum omnium, non ea de cauſa turbemini, quia Spiritus ſanctus venturus docebit vos omnia myſteria aduentus mei, & omnium intelligentiam miniſtrabit, & quæcumque dixi vobis ſuggeret, & in memoriam reducet. Ita Cyr. & Aug. tr. 77. Declarat autem nunc quis ſit Paracletus alius, quod ante non fecerat ; nempe eſſe Spiritum ſanctum. Attende dici Patrem mittere in nomine Chriſti Spiritum ſanctum, quia ad exequenda quæ per Chriſtum facta ſunt mittit, Chriſtus enim redemptionem perfecit hominum : at Spiritus ſanctus venit vt ſanctificaret, & doceret, & denique ad complementum perduceret. Mittere enim aliquem in nomine alterius, eſt mittere ad agendum & tractandum negotium illius. Io. 5. vt ait Tol. Aliter Cyr. Quem per me Pater mittet : nam nō negat ſe tum miſſurū eſſe. ex c. 16. Theoph. Ideſt, pro me, meo loco qui vices meas gerat. Vt oſtendat non aliud docturum Spiritum ſanctum quam quod ipſe ante docuiſſet. Paracletum eum nominat quia eos conſolabitur, & confortabit : Sanctum verò quia perfectionem ſanctitatis operabitur, & docebit, & illuſtrabit omnia. Ex Chryſ. & Aug.

27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.*]

Hebraica

Hebraica phrasi salutatio & precatio omnium prosperarum rerum significatur. Christus igitur paterno more ex hac vita discessurus vale filijs suis dicit, & vt vulgò loquimur, suam illis benedictionem relinquit: nam benedictionem ipsam Hebraico idiomate pacem appellat. Sed quam illis relinquebat benedictionem? Electionem ad vitam æternam & eius promissionem. Hæc est quã mundus dare nõ potest, hæc quæ exuperat omnem sensum Phil. 4. Hæc cõtinet 1. amicitiam cum Deo. 2. tranquillitatem animi & serenitatem in tentationibus & persecutionibus. 3. mutuam inter ipsosmet concordiam. Hanc suis relinquit, non diuitias, non possessiones temporales. Magnum igitur suis relinquit solatium. Verbum *relinquo* hæreditatem indicat. Cyp. l. de vnit. Ecclesiæ. Dicit, *do*, ea auctoritate & potestate qua auctor sum pacis huius. *Non quo modo mundus dat*: mundus enim nudis verbis, & fictis sæpe, & quam ipse non habet, dat. Non sic ego, sed cœlestem, vt ait, & meam, & ex corde ipso & propria auctoritate vobis do. Ex Aug.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet.] Propter discessum meum: iam enim vobis dixi me esse rediturum. Verbum enim relinquendi, & salutatio ipsa recedentis, animos discipulorum noua tristitia affecerat. Chry. ho. 74.

28. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos.*] Idest, cum ex me audieritis me non abire vt vos orphanos ac destitutos relinquerem, sed vt ad vos maiore cum gaudio redirem, non debet propter meum discessum cor vestrũ turbari. *Audistis*, Hebraismus, idest, recordamini, quæ paulò antè dixi me vadere & venire

nire ad vos, & citò post resurrectionem, ibat vt homo, manebat vt Deus, ait Aug.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.] Non significat se ab illis non dilegi, sed est modus quidam loquendi Patris cum filijs, amici cum amicis dolentibus ob Patris vel amici discessum, qui maiorem illi gloriam est allaturus. Si amaretis me, non doleretis: amantis enim est amici bonis non dolere, sed gaudere. Insinuant hæc verba eos potiùs de proprio malo contristatos esse, & timuisse, quod propriæ dilectionis erga seipsos est. Tol.

Quia Pater maior me est.] Exponit causam cur dilectio erga eum, gaudium de recessu ad Patrem postulet, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est, idest, vado exaltandus & glorificandus deposita iam exinanitione, humilitate, ac paupertate mea, completa dispensatione, quam suscepi. Patrem appellat maiorem ratione gloriæ, & maiestatis in qua semper erat: non enim se exinaniuerat Pater seruiformā sumpta, in similitudinem hominū peccatorum factus; Christus autem Dei filius ratione humanæ naturæ inglorius & egenus factus est, quasi leprosus & percussus à Deo & nouissimus virorum. Isa. 23. Ire igitur ad Patrem, quia maior est, significat gloriam & maiestatem dignam filio Dei accipere in ea natura in qua se depresserat: vt ad Phil. 2. Vtilis ergo discessus hic erat Christo, de quo gaudendum erat non dolendum iis qui eum diligebant. Nihil igitur ex his verbis habent Ariani ad probandum filium ratione diuinitatis esse minorem Patre. Nam Christus tanquam

homo

homo loquitur. Maior donans est: sed minor iam non est cui vnum esse donatur, ait Hil. 9. de Trin.

29. *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis.*] Ideſt, non vos de receſſu meo certiores facio antequam fiat, vt triſtitia aut timore vos afficiam: ſed vt mihi condoleatis, vel vt vobis conſulatis, vt ſolent facere hi qui timent: ſed vt fidem diuinitatis meæ firmius concipiatis, cognoſcentes voluntariè à me omnia facta eſſe, & ex conſilio diuino, non caſu, non neceſſitate. Gaudendum ergo eſt vobis in meis verbis, quæ propter veſtram in me fidem pronuntiata ſunt, ex Aug.

30. *Iam non multa loquar vobiſcum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.*] Prædicit etiam aduentum ſatellitum & Iudæorum, vt minus turbentur, & infide ſtabiles ſint, nam præuiſa iacula minus feriunt. *Non multa loquar*, ideſt, non ſupereſt tempus plura vobis dicendi: iam enim mundi princeps, i. diabolus Iudæos impellens venit. Hoc dicit propter cohortem quæ vt ipſum comprehēderet iam appropinquabat: miniſtri enim erant dæmonis. Idcirco ipſe venire dicitur. Luc. 22. At in me nihil habet, nihil ſuum habet in me, nulla mei culpa patiar, nihil mali eſt in me propter quod me iure comprehendant; quia innocens ſum, & morti non ſum obnoxius propter aliquod peccatum. Ex Aug.

31. *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio. Surgite eamus hinc.*] Dixit ſe non culpa mori, nunc veram ex Aug. cauſam exponit, vt

mundus

mundus cognoscat se diligere Patrem, & quæ mandauit promptè exequi. *Surgite eamus hinc,* in eum locum in quem venturi sunt hostes, vt me comprehendant, & occidant. q. d. Mortem subeo quia volo, & quia mandatum hoc accepi à Patre. His dictis surgit Christus & ad locum quò Iudas cum cohorte venturus erat properare incipit, ex Chrys.

CAPVT XV.

Continuatio Sermonis.

1. *EGo sum vitis vera, & Pater meus agricola est.*] Sermonem quem sedendo habuit, non stans, protrahit more amicorum, qui cum abitum parant, postquam valedixerunt, nouam colloquendi occasionem aliunde desumunt, quod ab eis præ nimio amore ægrè diueliantur. Ita Christus nunc stando nouum exorditur sermonem ad suos ad exeundum paratos, sic Ianſ. Nihil poterat discipulis ad mortem discedens dicere magis necessarium quàm ne se vnquam ab ipso, i. ab eius fide ac dilectione auelli paterentur, si quidem vellent viuere. Ideo se viti comparat, quia voluit docere neminem magis posse sine se viuere quàm sarmentum sine vite, cui innatum est. Patrem autem suum agricolam dicit esse, quia se vitem colat, qui sui curam gerat, vt ostendat fore vt Pater eos qui in se fructum non tulerint, tanquam inutilia sarmenta desecet, & in ignem mittat. Dicit autem se esse veram vitem ad differentiam

ferentiam vitis alienę, quam sperabat facturā vuas & fecit labruscas, Isa. 5. Ecthym. Veram, i. perfectam & spiritualem, eximiam, præcipuam veritatis fructum proferentem. Ab effectu dicitur vera, quia melius & perfectius homines in se per fidem natos nutrit quam farmēta sua naturalis vitis. Sic dicitur lux vera, non quòd verè lux sit, sed quia melius homines illuminet quam sol. Sic dicitur panis verus, non enim verè sed metaphoricè panis est, quia melius quam panis nutrit, ita ex Aug.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat.*] Sensus parabolæ hic est, Ego sum vitis, & Pater meus agricola est: Vos autem & omnes qui in me credunt, palmites sunt. Sicut ergo agricola solet in vite palmites aliquos resecare, eos nempe qui cùm viti inhæserunt, nullos adferunt fructus; alios verò qui fructus ferunt purgat, aliqua rescindēdo superuacanea vt vberiores fructus ferant, sic Pater meus faciet, aliquos qui mihi exterius adhærent, & nomen meum profitentur, tollet, & resecabit à me, quia inutiles & infrugiferi sunt, alios verò purgabit vt fructus maiores afferant. Priora hæc verba generaliter quidem dicta sunt, tamen peculiari ratione propter Iudam, qui cum palmes esset, inutilis & infrugifer erat, Christi disciplina abutens: ideo resecatus est à Deo iusto: Nam Apostolatu priuatus abijt ad locum æternæ damnationis à Christo solutus & separatus. Quo verbo discipulos in timore continet vt fructificare in ipso procurent, & simul consolatur docens proditionem Iudæ ex ipsius vitio

prouenisse,

proueniſſe, Dei iudicio iuſto reprobati. Poſteriora etiam verba ſunt generaliter dicta: nam iuſtos Deus purgat vt plus fructus adferant: tamen peculiariter propter vndecim ſunt poſita. Eſt enim parabola propter diſcipulos inducta, quamuis etiam ad fideles generaliter extendatur, quorum aliquos Dominus reſecat, vt inutiles & infrugiferos, qui cum fidem habeant, operibus carent, nec digna fide opera faciunt. Reſecat autem in hoc ſeculo aliquos, dum permittit in hæreſes labi, & ab Eccleſia & Chriſto ſeparari: omnes tamen reſecabit in altero ſeculo: quos enim ſine operibus in iudicio poſt mortem repererit, à ſe, & à Chriſto in æternum excludet. Si autem infrugiferi palmites reſecantur, perpende quanto magis nociui & pernicioſi. Alios verò purgat, nempe eos qui fidei fructus faciunt, purgat autem aliqua inutilia reſecando, & imperfectiones quæ impedimento ſunt iuſtis, ne plus proficiant, remouendo: hæc ſemper fiunt in palmitibus Chriſti: tamen primo facta ſunt in Apoſtolis, quorum vnus ablatus & reſectus, alij vndecim purgati ſunt. Hil. 9. de Trin. & Aug.

3. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.*] Diſcipulos vndecim iam Iuda ſeparato ab eorum numero dicit eſſe eos qui purgati ſunt, q. d. Vos fructum afferebatis in me, ideo non eſtis ablati ſed purgati à Patre, vt vberius fructificetis. Eſtis autem purgati propter ſermonem meum quem vobis ſum locutus. Per quem, vel totam Chriſti doctrinam, quam mundo prædicauit, intelligere oportet,

oportet, ob præcedentem sermonem. Purgauit autem à multis imperfectionibus, tum illustrando & docendo, tum increpando & admonendo, tum instruendo, tum demum affligendo, nam dolore & timore eos affecit, quibus eorum fides aucta est, & dilectio feruentior & spes robustior est effecta. Quàm autem sermo Dei sit efficiax ad purgandum docet Paulus ad Heb. 4. ex Chrys.

4. *Manete in me, & ego in vobis*] Q. d. Cùm sitis purgati vt plus fructus afferatis perseuerate, vt vos in me fide & dilectione permaneatis, ego verò per gratiam & spiritum meum in vobis manebo: aliter enim non poteritis fructificare, nec fructum hunc afferre propter quem à Patre estis purgati. Ex quo colligitur in nostra esse potestate iuuante diuina gratia, vt in accepta maneamus gratia Secundò, non stare nisi per nos quo minus Christus in nobis maneat, se enim paratum vt semper nobiscum maneat. ex Aug.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me mãseritis. Ego sum vitis, & vos palmites.] Concludit parabolam nempe vt discipuli maneant colligati & vniti secum: & probat primò, à fructuũ priuatione, nisi in ipso manserint: sicut enim palmes abscissus & à vite separatus non potest à semetipso, idest, ex sese fructum facere, sic nec vos poteritis sicut nec palmes sine vite. Quia, inquit, ego sum vitis & vos palmites. q. d. Ideo vos non poteritis nisi in me manseritis fructum facere.

Qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum.] Secundò probat conclusionẽ s. d. à fructuum

fructuũ copia. q. d. Non poteſtis facere fructum niſi in me manſeritis, quia ego ſum vitis, & vos palmites, at ſi in me manſeritis, & ego in vobis, tunc non ſolùm fructũ, ſed multũ etiam & copioſum afferetis, ad quem adferendum eſtis purgati; neceſſarium igitur eſt vos in me manere, & me in vobis. Qui manet in me credendo, obediendo, perſeuerando: & ego in eo illuminando; ſubueniendo, perſeuerando, donando. Hic & non alius fert fructum multum. ait Auguſtin.

Quia ſine me nihil poteſtis facere.] Hæc verba non generaliter ſunt intelligenda. Non enim Chriſtus voluit ſignificare, ſine ſe non potuiſſe diſcipulos comedere, & bibere, aut ambulare: quamuis enim verũ ſit, ſi de potentia eius diuinitatis loquamur, ſine qua nihil eſſe aut operari poſſumus; hæc tamen verba accommodata ſunt materiæ de qua loquebatur; nempe de fructu iuſtitiæ & bonorum operum quæ in Chriſto fiunt. Et nemo alius facere poteſt ea, præter eum qui in ipſo manet, ſine quo nihil tale fieri poteſt. Illuſtris ſententia contra Pelagianos. Ex Aug.

Si quis in me non manſerit mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & in ignem mittent, & ardet.] Tertium argumentum eſt ſumptũ à malo & pœna graui cui in eo non manentes expoſiti ſunt: idẽ illis faciendum eſſe, quod inutilibus ſit ſarmentis primũ à vite præciduntur, deinde colliguntur, congeruntur in ſtruem, areſcunt, & in ignem comburenda mittuntur, ad nullã aliam rem vtilia. Ezech. 15. His omnibus nihil aliud ſignificatur quàm eos qui in Chriſto non manſerint igne inferni ſempiterno eſſe puniendos,

niendos. Ex Hil. 9. de Trin. & Chrys.

7. *Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis & fiet vobis.*] Hunc versum explicauimus c. 14. v. 13. Hoc quarto allicit argumento ex promissione sumpto, ideſt, in his quæ pro voluntate & desiderio petieritis exaudiemini. ex Chrysost. & Augustin.

8. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.*] Quinto argumento exhortatur vt in ipso maneant, sumpto ex Dei glorificatione, quia hac ipsa re Pater glorificatur vt in se illi maneant. *Clarificatus est*, præteritum pro futuro. *Vt* non causam sed euentū significat: vel ponitur pro, *Si*, vt c. 4. v. 34. & c. 6. v. 29. & 17. vers. 3. ideſt, in hoc glorificabitur Pater si fructum plurimū attuleritis, aut in fructu quem vos tuleritis Patris mei gloria consistit: quod fiet si mei discipuli sitis, & in mea disciplina perseueretis. Clarificari Patrem est, eius gloriam quæ apud ipsum crescere non potest, apud homines crescere, vt c. 13. 35. Fructus Apostolorum sunt gentes. ait Chrys.

9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea.*] Sextò adhortatur ad vnionem hanc & mansionem in ipso, argumento sumpto ex dilectione qua eos dilexit. Eo, inquit, dilectionis modo quo Pater me dilexit, ego vos dilexi: procurate ergo ea omnia facere per quæ in hac gratia & dilectione, qua vos prosecutus sum, conseruari possitis. Nō æqualitas sed similitudo valde attendenda. Loquitur Christus ratione humanitatis suæ: humanitas autem ipsius nullis præcedentibus meritis

dilecta

dilecta est à Deo, vt personæ filij copularetur. Magnus hic profectò amor Patris fuit erga illam humanitatem sanctissimã: eam nempe verbo diuino vnire: quam dilectionẽ gratis Deus impendit nullis præcedentibus meritis ipsius humanitatis, vt ait Aug. l. 2. de pec. mer. & remiss. c. 17. Simili amore gratuito & nullis eorum præcedentibus meritis vniuit Christus sibi homo factus discipulos. Et est similitudo apposita ad rem, Sicut humanitas gratis coniuncta est verbo & facta est vitis, sic eidem viti copulati sunt gratis discipuli & facti sunt palmites: nemo enim Apostolorũ consecutus est vt Christi discipulus & Apostolus fieret. Ex hac similitudine infertur æquum esse vt procurent tantam dilectionem conseruare, quam nullo præexistente merito acceperunt. Et hoc est quod dicit, *manete in dilectione mea.* Ex Chrys. & Aug.

10. *Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea: sicut & ego præcepta Patris seruaui, & maneo in eius dilectione.*] Docet exemplo suo quomodo in sua dilectione manere possint; si sua nimirum præcepta seruauerint. Christus de perseuerantia & stabilitate dilectionis suæ erga eos loquitur, quã mandatorũ obseruantia efficit. Habet etiã aliud hæc obseruantia, nẽpe dilectionẽ Christi erga eos augere. Diligit enim Christus mandatorum suorum obseruatores: & quo magis obseruant eò amplius diligit. Dum dicit se Patris præcepta seruare, loquitur vt homo. Ideóque hoc loco *sicut* non similitudinem sed æqualitatem declarat, vt monent Chrys. & Theop.

11. *Hæc locutus sum vobis vt gaudium meum*

in

in vobis sit.] Docet ea quæ hactenus discipulis dixit, non tam sua quàm ipsorũ causa dixisse, vt non solum sua, sed ipsorum lætitia plena esset atque perfecta. Vel eo vtitur argumento vt discipulos in mansione hac confirmet, sumpto ex gaudio Christi. Et sensus est, hæc locutus sum vobis vt in me maneatis, & mandata mea seruetis, dilectionémque meam hanc erga vos conseruetis vt gaudium meũ sit in vobis, ideſt, in vobis perseueret, quod me gaudio afficit. Adhuc gauisus sum in vobis quòd mei estis discipuli, quòd in me manetis: locutus sum autem hæc vt perseueretis tales, & gaudium meũ conceptum de vobis perseueret: vt Phil. 2. 1. Thes. 2. Gauisus est Christus in discipulis, quòd discipuli eius sint, quodque doctrinam eius susceperunt. Luc 10. Quòd est Christi gaudium in nobis nisi quòd dignatur gaudere de nobis, ait Aug.

Et gaudium vestrum impleatur.] Octauum argumentũ est quo idem confirmat. q.d. Non solum gaudio me afficietis, si feceritis quæ locutus sum, sed etiã vestrum gaudium implebitur, quia id assequemini quod vos maximo & perfecto afficiet gaudio, & quod vos nunc multum desideratis: vos enim cupitis mecum semper manere, id consequemini si hæc feceritis quæ locutus sum. Hoc gaudium inchoatur in fide renascentium: implebitur in præmio resurgentium. ait Aug.

12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.*] Iniunxerat vt mandata eius seruarent, nã ea ratione dilectionẽ erga se haberent, & mansionẽ in se. Nunc hortatur vt se inuicem diligant, & modũ huius dilectionis docet,

docet,& quæ hæc sint mandata. In Gr. legitur cum art. Hoc est illud præcipuum & insigne vt diligatis inuicem, *Sicut ego*, ideſt, eo modo quo vos dilexi,nempe vt vitã pro alterius salute exponere vnusquisque vestrũ sit paratus.c.13. v.34. Vocauit mandatum nouum, nunc suum vocat, non quòd non alia habeat, sed quod hoc maximè cõmendet; & est generale mãdatũ non solis Apostolis, sed singulis Christianis. Si igitur in dilectione Christi manere est mandata eius seruare,& hoc est inuicem sic se diligere,qui non sic diligit fratrem, profecto nec mandata Christi seruat, nec in eius manet dilectione. ex Greg.

13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*] Declarat modum quo ipse nos dilexit, vt nos inuicem sic diligamus, vt pro alterius salute tuenda quando opus est, nullum periculum, nulla persecutio,nullum malum temporale nos retrahat. Sic suos Apostolos paratos esse vult vt mundo salutem annuntient, vt nec mors, nec vllum mortis genus eos ab hoc officio retardet:vt ex August. 1. Io. 3. Anima ponitur pro vita.

14. *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.*] Occasione huius verbi, *Animam ponat pro amicis*,inuitat eos ad obseruandã hanc mutuam dilectionem honorifico illo titulo, eritis amici mei.Gr.vtrumque est præsens,estis, facitis: tamen vim habet futuri, vt vers. 8. S.Greg.

15. *Iam non dicam vos seruos,quia seruus nescit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos,quia omnia quæcumque audiui à Patre meo,*

nota

nota feci vobis.] Reddit causam cur eos amicos dixerit, simúlque suam erga illos caritatē commendat, quod cum illis communicasset quidquid secreti à Patre accepisset, quod indicium est singularis amicitiæ. Attende his verbis significasse mutationē status seruitutis legis, in statum filiorū,& amicorū Euangelij. Illi enim serui,nos amici,illis dominus Deus, nobis pater est;illis sub vmbra reuelauit mysteria Trinitatis;nobis apertè & ratione status filiorum, & amicorum: vt quod insignes illi Prophetæ, & Patriarchæ, tanquā arcanum conseruabant, nunc pueri & puellæ per vias laudantes Dominum decantent Gr.dico,pro dicā,vt supra. Addit verò, ex signo hoc amicitiam cognoscetis, quia secreta Patris mei reuelaui vobis. Illud, *quia*,non causam,sed signum dicit. Dices postea seruos appellasse vers.20. At non significat nomine seruorum eos non vocaturū,sed tantū declarat, quo apud se loco futuri sint, nempe non seruorum sed amicorū. Rupertus ait seruos hoc loco pro inimicis accipi, seu pro peccatoribus. Aug.Beda,Amb. ser.6. in Ps.138 dicunt eos seruos qui non solum re, sed animo serui sunt,idest, qui non voluntate,sed necessitate seruiunt, nescire Domini consilia, quia illis Dominus non committit: eos autem qui voluntate seruiunt,scire, quia cum illis Dominus communicat,haud secus, quam cum amicis. Rup. verò seruum peccari nescire, seruum verò Dei scire. Vel dicendum,dixisse non quod semper fit sed quod plurimum: vel non quod fecisset,sed quod postmodum facturus erat per Spiritum sanctum, *ille vos docebit omnia.* Vel nota feci, idest, nota facere decreui; vt paulò antè,

antè, *Seruus nescit quid faciat Dominus eius, quid facere decreuit.* Quod Christus dicit se à Patre audiuisse vide cap. 3. & 8. Ex Augustin. & Gregorio.

16. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos.*] Nouo argumento ad mutuam dilectionem hortatur. q.d. Vos ad munus dignissimum euecti estis, vt per mundum vniuersum euntes, fructū non qualemcumque sed permanentem afferatis; & hoc non vos vestro opere assecuti estis, non enim vos me elegistis priores ad me venientes, sed ego voluntate & gratia mea elegi vos: & rursus dedi ea opera quibus id efficiatis, quia quodcumque petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Cum igitur munus hoc sit altissimum & dignissimum diligere inuicē hoc enim necessarium est, vt fructum hunc afferatis, & munus tantum impleatis. Dicit ergo, non vos me elegistis in magistrum, quasi priores ad me veneritis, ego enim prior vos elegi, & ad me attraxi. Et forte de electione ad officium Apostolatus est sermo, non de prædestinatione. Videte quomodo non eligat bonos, sed quos elegit faciat bonos ait Augustinus.

Et posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.] Auget beneficium officij magnitudinem declarans. Elegi vos, inquit, & constitui, idest, in hoc altum & magnificum officium deputaui: vt 1. Tim. 1. & 2. Timoth. 1. Vt eatis nempe per mundum vniuersum, vt fructum afferatis prædicato Euangelio & innumeris gentibus ad ipsum cōuersis, Mar. vlt. qui fructus maneat, quia numquā doctrina vestra eradicabitur in orbe, nec peribit sed

manebit

manebit semper, nam portę inferi non prævalebunt aduersus eam. Imò conuersi in æterna beatitudine manebunt. Mar. vlt. Ad Euangelium refert hunc fructum quod à lege multum differt: Lex non manſit, nam illa abrogata succeſſit Euangelium: at Euangelium nunquâ abrogabitur aduentu alterius doctrinæ. Id verum eſt, tamen effectum Euangelij intelligere oportet: qui fuit animarum conuerſio, quarum ſalus æterna eſt. Dilectio eſt fructus noſter qui nunc eſt in deſiderio nondum in ſaturitate ait Aug.

Vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.] Adhuc auget. Non ſolum, inquit, elegi vos, & poſui vos, vt eatis & fructum afferatis, cúmque talem vt maneat: ſed etiam poſui vos vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis. q. d. Non veſtris viribus fructum hunc eſtis allaturi ſed Patris. Ego verò tales vos faciam vt quæ petieritis in nomine meo Patrem impetretis, hacque ratione fructum afferre poteritis. Quidam dicunt *vt* non causam ſed conſequentiam & effectum ſignificare. Hanc ſententiam declarauimus cap. 14. 13.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.] Hæc eſt enim via per quam fructum multum afferetis, & populos conuertetis; ad quod tanta gratia & liberalitate mea electi eſtis. Et eſt velut cõcluſio præcedentium. Charitas fructus noſter eſt ait Aug.

18. 19. *Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis mundus quod ſuum erat, diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea*

ptereà odit vos mundus.] Postquam hortatus est suos, vt in eo maneant, & rursus vt se inuicem diligant, nunc ad tolerantiam & patientiam tertio loco hortatur: Vt enim fructum in mundo ad quem electi sunt, afferrent, necessaria erat illa tolerantia & patientia, sine qua mutua dilectio conseruari non potest. Primùm docet non debere eos mirari si se viderint à mundo odio haberi, se priorem odio habitum fuisse, & solatio illis esse oportere quòd se eiusdem persecutionis socium, aut potiùs ducem habeant. Deinde ostendit non solùm debere hoc mundi odiũ æquo & patienti animo tolerare, sed ponere etiam in lucro, quod id certum sit argumentum, nihil eos cum mundo commune habere. Mundum hic non omnes omnino homines malos, sed præcipue Iudæos vocat, vt colligitur ex vers. 22. Aug. Me priorem, ideſt, digniorem & præstantiorem. Gr. me qui Dominus sum & Magister: me qui vobis melior sum. Alij legunt me prius: Vel mundi nomine Ecclesiam intelligit. Mundus igitur odit mundum; inimicus reconciliatum: inquinatus mundatum ait Aug.

20. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.*] Tertio argumento ad idem confirmandum vtitur, & tale est: Non est melior conditio serui quàm Domini. Si igitur mundus me, qui Dominus sum, persecutus est, & meum contempsit sermonem, æquo etiam animo vos qui serui estis natura, debetis ferre si vos persecutus fuerit & vestros contempserit sermones, vt certè persequetur

quetur & contemnet. Illud, *si meum seruauerunt*, à contrario sensu intelligitur: At meū non seruauerunt, nec vestrum igitur seruabunt: vt Cyr. l. 10. cap. 28. exponit, & textus ratio id postulat: nam omnia hæc ad mundum & incredulos referūtur, de quibus potissimum Iudæis nomine mundi loquebatur. Horum aliqui Christum persecuti sunt, aliqui doctrinam contempserunt credere nolentes: non tamen propterea Christus destitit prædicare, vel facere ea quæ ex parte sua ad eorum salutem erant necessaria. Quare Apostolos hortatur vt idem faciant: reducit autem in memoriā sermonem cap. 13. 16. tum vt confirmet, tum vt admoneat verba ipsius esse memoria retinenda. Sic ex Chrys. & Aug.

21. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.*] Causam odij persecutionis & contemptus exponens argumento quarto eos confirmat, & consolatur. Hæc omnia, inquit, nempe odia, persecutiones & contemptus sermonum, facient vobis propter nomen meum, idest propter nominis mei odium: quia nimirum me annuntiabitis, me profitebimini. q. d. Quia Christiani eritis & Christum prædicabitis. Attende particulam, *sed*, augmentum sententiæ indicare: vt cap. 16. Magnum & efficax argumentum consolationis pro Christi nomine pati, quod Apostoli, senserunt Act. 5. quando ibant gaudentes à conspectu concilij: & 1. Pet. 4. Ex Aug.

Quia nesciunt eum qui me misit.] Mald. idest, scire nolunt me esse Dei filium. Non dixit, non nouerunt Patrem, sed, *eum qui misit*, vt insinuaret diuinæ suæ incarnationis mysterium; no-

uerunt enim Iudæi Deum, sed Patrem misisse filium in carne ignorabant. Cyr. l.10.cap.25.

22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*] Quia dixerat eos ignorantia odiū in se exercere, docet ea ignorantia eorum culpam excusari non posse, quia ignorantia ipsa culpa fuit; propterea enim ignorarunt quia scire noluerunt; & quia odio erant occupati. Itaque ipsorum ignorantia & effectus & causa erat odij: effectus, quia odiū impediebat ne cognoscerent veritatem; causa, quia ipsa vicissim impediebat, ne illi ponerent odium. Duabus ergo rationibus ostendit nullam eos ignorantiæ excusationem habere posse, & quia verbis, & quia factis quis & à quo missus esset sæpe illis declarauerat. At quomodo dici potest, *Peccatum non haberent, si non venissem.* Respondetur non omne hic peccatum, sed solum illud peccatum intelligi, quòd in Christum non crediditsent: nam alia habuissent peccata: vt exponit Aug. Beda. Peccatum non haberent huius contemptus, ait Ber. quo me contempserunt & Patrem meum. Rupertus peccatum odij in Christum & Patrem eius intelligit. Malè colligunt hæretici solam infidelitatem peccatum esse, sicut solam fidem iustificare dicunt. Non enim Christus dicit nullum, sed hoc peccatum infidelitatis non habituros fuisse si ad eos non venisset. ex Iansl. Mald. & Tol.

23. *Qui me odit, & patrem meum odit.*] Huius peccati grauitatem ostendit eo quod huiusmodi peccatum redundet in odium Dei. Qui, inquit, me odit & Patrem meum odit, eo quod

quod vna sit mihi cum illo natura. q.d. Odium & contemptus & persecutio non sunt in merum hominem, sed in Dei filium, & peccatum eo grauius. Ex Aug.

24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum.*] Ab operibus eos inexcusabiles esse probat, non quibuscumque sed quæ nemo alius fecit. Dicit autem se fecisse in eis, ideſt, in eorum præsentia. Aug. erga eos: quia in eorum beneficium miracula facta sunt, & ipsimet sunt qui sanati & suscitati sunt. *Quæ nemo alius fecit*, quia nec tot, nec tanta vllus alius operatus est. Et in hanc sententiam ea Isaiæ testimonia c. 59. Mat. cap. 8. 17. & 15. citat vt probaret Christum promissum illum esse Messiam quando illa miracula fecisset quæ propheta Messiam, cum venerit facturum dixerat. Quod sequitur, *Nunc autem, & viderunt & oderunt & me & Patrem meum.* Supplendum est ait Tol. Peccatum ergo habent nec excusari possunt. q.d. Nunc autem & videntes & scientes peccant. Quo ergo modo priùs dixit Patrem suum nescire *t* vers. 21. Nesciebant quia non credebant Patrem esse Christi: videbant ac sciebant, quia videbant opera ex quibus nisi odio cæci fuissent, coguoscere poterant, eum omniũ quæ per Christum gerebantur auctorem esse, sicut cap. 7. 28. dixit, *& me scitis & vnde sim scitis*, ideſt, scire debetis, aut scire possetis si velletis. Ex Chrys. & Aug.

25. *Sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.*] Subintelligendum & repeti debet, *Sed oderunt*

me. Vt, non causam sed consecutionem significat: legem vocat omnem Scripturam sacram, vt cap. 10. Odium igitur eorum inexcusabile & ratione ipsa, & Prophetæ Psal. 34. testimonio cõfirmatum est. Gratis odit qui nullũ ex odio commodum quærit vel incommodum fugit: Sic oderunt Deum impij: sic diligunt iusti ait Aug.

26. *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*] Odio Iudæorum contra se opponit testimoniũ Spiritus de se, quo vltra testimonium doctrinæ suæ & operum, magis adhuc declarandum erat illorum odium iniustum esse. Iansˊ. Suum quidem & Patris suprà protulit testimonium cap. 8. versˊ. 16. hic autem Spiritus sancti, vt totius Trinitatis producat testimonium; ait Euthym. Augustˊ. verò & Beda quia Iudæos Christus peccati insimulauerat, quòd se Patremque suum odio gratis habuissent, dicere venturum Spiritum sanctũ qui illos peccati cõuincat. Aliter Maldon. Illi quidem mihi neque docenti neque miracula facienti crediderunt, non deerunt tamen alij testes: nam & vos & Spiritus ipse sanctus testimonium mihi perhibebitis. Quod dicit, *Quem mittam vobis à Patre*, Spiritum sanctum etiam à filio procedere indicat: quia nulla persona Trinitatis mitti dicitur, nisi à qua procedit. Fuit autem illa missio quæ in die Pentecostes facta est. Ex Aug.

27. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*] Spiritus sancti testimonio Apostolorum testimonium adiungit, *quia ab initio*,

initio, inquit, *mecum estis*, & mecum conuersati estis: & ex visu tanquam oculati testes omnia quæ facta sunt per me testari poteritis, vt omnia adsint testimonia diuina & humana: quamuis enim sufficere deberet diuinum Spiritus sancti testimoniũ per opera diuinæ potentiæ, volo vt etiam vos testimonium perhibeatis ex visu & experientia. Hoc fecerunt postea Apostoli 1. Io. 1. 2 Pet. 1. Act. 1. *Ab initio*, nempe à Ioannis baptismo quando se manifestare cœpit. Ex Aug.

CAPVT XVI.

Continuatio sermonis.

HÆc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.] Causam cur hæc, quæ ad odia & persecutiones eorum pertinent, manifestauerit, & aduentum spiritus ad testificandum prædixerit; exponit eam esse ne scandalizentur & cadant, idest, ne à suo munere & officio testificandi & prædicandi Christum retrocedant. Cyr. Theod. Aduerte scandalum offendiculum esse viæ in quod incidentes impingunt; qui autem admoniti sunt cautè ambulant, nec facilè impingunt. Nam offendiculum & scandalum magnum erat persecutio Iudæorum & Gentium Apostolis prædicantibus Christum. Eos igitur præmonet, & adiutorium Spiritus sancti promittendo, vt sic instructi non offendant, & sint cautiores non in fugiendis offendiculis & periculis, sed in paruifaciendis & superandis, ex August.

2. *Absque synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.*] Præmissa iam admonitione & tanto auxilio promisso futuras persecutiones enarrat, vt à Iudæorum Synagogis tanquam homines execrabiles, & excommunicati, & ethnici, eiicerentur: vt cap. 9. & 12. & Luc. 6. At quid mali erat Apostolis eiici de Synagogis Iudaicis? Respondet S. Aug. hoc voluisse denuntiare quòd Iudæi Christum non fuerant recepturi. Alij quàm Apostolos odio essent prosecuturi: venturum tempus cum etiam de hac vita eiicere conabuntur. *Sed*, pro enim: vel pro imo, quin potiùs. *Vt*, pro quando, qui vos occiderit arbitretur se iustam & gratam Deo rem feciſſe. Gr. λατρείαν cultum, quale est sacrificium, quia tanquam oues occisionis, Apostoli erant mactandi, & tanquam proscripti ob execranda scelera, vt Ex. 32. 29. Deut. 13. 9. Zach. 13. 3. Ex Aug.

3. *Hæc facient vobis quia non nouerunt Patrem, neque me.*] Quomodo dicat nec se, nec Patrem eos nosse cum dicat cap. 7. 28. & 15. 21. & se & Patrem nosse? Cæterum hæc non excusatio sed aggrauatio potius peccati. Nam duplicis culpæ accusantur, & quòd hæc facturi essent, & quòd Christum, eiúsque Patrem quem tot miraculis cognoscere potuissent ignorarent. ex Aug.

4. *Sed hæc locutus sum vobis vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*] Q. d. Illi vos occident quia nō nouerunt Patrē, neque me esse filium Dei: at ego prædico quæ futura sunt alia de causa, nempe vt reminiscamini, quando illa hora venerit me omnia ea vobis

vobis prædixisse: illi vt vobis malum inferant, vos interficient; at ego propter bonum vestrum velut antidoto vos præmuniens id prænuntio, nimirum vt quando venerit illa hora reminiscamini me ea dixisse vobis. *Eorum*, refertur ad horam. Vel ad verbum *reminiscamini*. Ex Aug.

5. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.*] Potuissent Apostoli dicere; quare hæc non es locutus quando ad te venimus, si eorum nos reminisci iubes? Respondet, nondum opus erat ea dicere cum vobiscum degerem; at quia iam discedo nec opportunitas erit loquendi vobiscum, qualis modo est, idcirco nunc loquor. Sciebam cum eram vobiscum nihil horum vobis futurum, sed persecutionem omnem in me solum esse conuertendam; vobis autem omnia hæc post meum discessum euenient: non erat igitur cur hæc vobis antea dicerem. Ex Chryſ.

5. *Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me; quo vadis?*] Amicè obiurgat discipulos quòd cum vadat ad Patrem nemo sit qui interroget quorsum quidve facturus abeat. Quam obiurgationem propterea adhibet, vt causa exposita sui discessus, eos mirum in modum consoletur & instruat. Gr. habent, nunc autem vado. Eundem in cœlum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt ait Aug.

6. *Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum.*] Q. d. Non solum non me interrogatis, quò vadam, imò potius quia hęc, nempe discessum meum, audistis de quo locutus sum, mœrore & tristitia estis repleti. Parti-

cula *sed* vim habet augendi, pro imò, quin potius. Ita vos tristitiæ tradidistis audientes meum discessum, vt obliti sitis interrogare quod interrogatione dignum erat: quorsum & qua de causa abirem, ait Aug.

7. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam.*] Sensus est, tristitia impleuit cor vestrum ob discessum meum; sed si intelligeretis quid vobis commodi inde sit prouenturum, non tristaremini, sed multum gauderetis. Expedit enim vobis vt ego vadam. *Veritatem dico vobis*, q. d. Verissimè expedit vobis, vel, quamuis vobis non sit iucundum, dicam tamen quod res est. Ex Chrys.

Si enim non abiero Paracletus nõ veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.] Exponit suum recessũ eis maximè expedire. Et est sensus, Promisi & prædixi venturum Paracletũ ad vos: at scitote nisi abiero nonventurũ, quod si abiero mittã eum ad vos. Mea ergo absentia Spiritus sancti aduentũ vobis cõcedet; mea autem præsentia, si non abiero, vos eius aduentu priuabit. Præsentibus non mittimus, ideo dicit, *Non veniet ad vos*, quamuis in rei veritate etiamsi præsens esset, verè diceretur mittere, quia Spiritus sanctus ab ipso procedit. Et idem Spiritus sanctus effectum in eis faceret nouum. At loquitur iuxta vulgarem modum cuius illi capaces erant. Rursus non dicit, si abiero veniet, sed, *mittam*, retinens similem modum loquendi, & simul vt certos faceret venturum. q. d. Ne dubitetis venturum: ego enim sum qui mittam eum. Ex hoc loco Spiritus sancti diuinitas insinuatur contra Macedonium vt notat Chry. ho. 77. Non enim expedieus esset recessus

sus Christi, qui filius Dei est, nec compensaretur aduentu creaturæ. Necesse igitur est Spiritum sanctum hic promissum esse Deum. Paracletum vocat appositè, quia tristes alloquebatur. Ber. Si non abstulero à vobis carnem, non habebitis spiritum. Absolutè venire poterat si non abiisset, sed posito decreto diuinæ prouidentiæ non poterat. Ex Euthym.

8. *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.*] Vtilitatem aduentus Spiritus sancti exponit, *Cum venerit*, inquit, ille arguet mundum, i. Iudæos & Gentes fidem Christi non habentes, & opinantes se non esse in peccato, nec indigere iustitia Christi, sed suam, quæ per legem Moysi aut per opera quæ per legem naturalem fiunt, sibi sufficere existimantes, etiam sub potestate diaboli se non detineri sed liberos esse. Hos, inquit, omnes, Spiritus sanctus aduenies conuincet, redarguet, vt nihil quod respondeant sint habituri. Cõuincet autem eos omnes esse in peccato, nec esse aliã iustiriam qua verè iusti esse possint præter eam quæ à Christo est per fidem in ipsum, & quam sua morte nobis obtinuit. Conuincet etiam omnes eos hactenus fuisse sub potestate & principatu diaboli, donec per Christum liberati sunt diabolo iudicato & damnato, dominióque suo priuato. Hæc omnia fecit Spiritus sanctus per Apostolos, tum miris operibus, tum verbi efficacia, ex Aug.

De peccato quidem quia non crediderunt in me.] Sensus est, conuincet mundum esse in peccato eo quod in me non crediderint. Gr. credunt, i. conuincet omnes in me non cre-

dentes esse in peccato; quod & factum est. Nam omnes qui fide Christi carent necesse est in peccato esse infidelitatis, vt Io. 3. & ad Ro. 1. & Act. 3. & Ioan. 8. Alij ad solos Iudæos restringunt qui peccati Christi crucifixi arguendi sunt. Alij nullum peccatum significari certum, sed generaliter illud, quo ante, etiam quã Christus veniret, totus mundus obstrictus tenebatur: per Christum autem liberatum non esse, cum in illum non crediderint. Hoc fuit initium prædicationis Apostolicæ in mundo, arguere eum peccati eo quod fidem non habuerit, remissionemque & liberationem promittere per fidem Christi, sine qua peccatum manet, nec tolli aut deleri aliter potest. Ex Aug.

De iustitia verò.] Postquam mundus conuictus fuerit peccati eo quod fidem Christi non habeat, conuincetur de vera iustitia Christi, i. neminem iustum esse posse vera iustitia, quæ apud Deum iustum facit, nisi per fidem Christi: hic enim est qui morte sua nobis iustitiam comparauit, nosque Patri reconcilianit, deletóque peccato in gratiam restituit, quam iustitiam per fidem viuam communicat credentibus in se. Hæc est iustitia, de qua Ro. 1. & 3. & 10. Et de hac mundus conuincendus dicitur contra iustitias prætensas ab eo, quod ante fuit per Dauid prædictum Ps. 96. Sunt qui putant iustitiam hominum intelligi.

Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.] Causam adiungit quare mundus sit arguendus de hac iustitia Christi. Quia, inquit, ego vado ad Patrem, i. quia ego morte mea, mundum sum Patri iam iam reconciliaturus, & ad ius filiorum

liorum euecturus. Adiungit, *& iam non videbitis me:* vt significet non opus esse vt iterum veniat in mundum passurus & moriturus: vnica enim morte consummauit iustitiam pro omnibus præteritis, præsentibus, & futuris: vt Heb. 9. & 7. & Ro. 6. At cur non dixit, non videbunt me cum non de Apostolis sed de mundo loqueretur? Non loquitur de personis, sed de genere. *Et non videbitis me.* Ideſt, hominem quales vos estis, ideſt, quem Iudæi quales vos estis crucifixerunt, quia Apostoli, non mundus eum in cœlum ascendentem visuri erant. Videbitis me ad Patrem euntem, sed amplius me non videbitis Act. 1.

De iudicio autem.] Mundum conuincere de iudicio, nihil aliud est quam mundo ostendere Christum esse iudicem omniũ viuorum & mortuorum, omnesque ab ipso in carne esse iudicandos: quod per Apostolos fecit Spiritus sanctus. Act. 10. quæ duo fuerunt per Prophetas prænuntiata Ps. 71. Hier. 17. Isa. 9. Ioan. 5. Alij referunt iudicium ad modum quo ipse iudicat; alij quo iudicatur.

Quia Princeps mundi iam iudicatus est.] Causa annectitur, quia, inquit, diabolus qui erat huius mundi princeps, & propter peccatum, homines omnes sub suo principatu & potestate detinebat, iam est iudicatus & damnatus, suoque principatu iure priuatus: homines ergo qui sub eius erãt dominio & principatu, ab eo liberati & erepti in liberatoris Christi potestatem & principatum translati sunt, ipsiusque iudicio subduntur. Christus igitur princeps, Dominus & iudex omnium qui prius erant sub diabolo principe. Luc. 11. Col. 1. De hoc iudi-

cio.

cio diaboli diximus c. 12.

12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.*] Hactenus vnam vtilitatem aduentus Spiritus sancti exposuit, nempe mundi redargutionem; alteram adiungit, nempe completam & integram doctrinam. Adhuc, inquit, habeo multa quæ vobis dicam, sed non potestis propter imbecillitatem vestram modò portare nec capere, sicut discipuli nouitij. At cum venerit ille docebit vos omnem veritatem mysteriorum diuinorum, quam scire vos oportet, & quam habeo dicendam vobis. Expedit igitur multum vobis hic aduentus Spiritus sancti, qui cum non sit futurus nisi me discedente; consequitur meum discessum vobis multum vtilem esse & expedientem. Sensus nō est, Multa possem vobis dicere, sed, Adhuc multa habeo quæ dicam. Insinuat se multa iam dixisse, multa ad absolutam doctrinam superesse dicenda. At dixit superiùs, *Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Intellige quæ pro illorum statu & conditione eos audire oportebat: non tamen absolutè omnia, quæ pro Ecclesiæ regimine & munere Apostolico exercendo, necessaria erant: hæc enim alterius temporis erant, non illius. Insinuat eos posse portare & tunc se dicturum & docturum: quæ enim à Spiritu sancto acceperunt, etiam à Christo inuisibiliter per Spiritum sanctum docentem didicisse eos fatendum est. Ex hoc loco constat Christum non dixisse omnia quæ ad salutem nostram putabat pertinere, idemque fecisse Spiritum sanctum; non omnia continuò Ecclesiæ reuelasse; quia non omnia portare simul poterat:

sed

sed vt ætate crescebat, ita & scientiæ incrementum accepisse ait Hil. Idem ab Apostolis factum, vt non omnia scripto, multa etiam ne viua quidem voce nobis traderent. Illud ipsi testantur 2. Thes. 2. 1. Cor. 11. 34. hoc rationi cõsentaneum, siue quia Christi & Spiritus sancti exemplum imitari voluerunt, siue quod necdum homines ferre omnia poterant, siue quod omnia tam breui tempore omnibus in locis docere ipsi nequibant. Vbinã in Christo vnam esse personam duas naturas Apostoli aut voce, aut scripto tradiderunt. Non est cum Apostolorum vita finitum Spiritus sancti magisterium, doctor pro se à Christo Ecclesiæ datus est donec ipse ad iudicium, i. ad colligendam Ecclesiam venerit, eius est officium duraturum. Ex Chrys. & Aug.

14. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*] Ille nempe Paracletus, qui est Spiritus veritatis, docebit vos omnia hæc quæ dicenda superfunt, ideſt, ea omnia manifestabit, quę modò habeo dicenda. Et quæ, quia non potestis portare modò, non dico. Gr. deducet vos in omnem veritatem. Legitur vtrumque; *docebit* & *deducet*. Non significat quoquo modo docere, sed ita docere, quasi magister discipulum manu ducat, viamque illi accommodatè ad eius ingenium veritatis ostendat. Ex Aug.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.] Diceret aliquis, Vnde sciemus illum hæc eadem locuturum, completurúmque tuam doctrinã, & hæc quæ habes dicenda docturum? Adijcit causam; quia non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, nempe à

me,

me, hæc loquetur. q. d. quia scientiam & omnia quæ tradet, à me habet, nec sine me loquitur; sicut nec sine me est. Aduerte, sicut filius non dicitur facere aliud quàm quod facere Patrem videt c. 14. & 7. quia potentiam habet cum Patre vnam cum essentia, & simul cum ipso operatur: ita & Spiritus sanctus audire dicitur quæ loquitur & nō à seipso loqui, quia essentiam & scientiam habet à filio & Patre, & vnà cum ipsis est, & loquitur. Posterior pars nempe, *Quæcumque audiet loquetur*, priorem declarat: est enim antithetum illius. Forte opponitur hoc loco Spiritus sanctus spiritibus falsorum prophetarum, qui non ex Deo, sed ex semetipsis Deo contraria loquebantur. Ier. 23.

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.] Voluit Christus his verbis confirmare quod dixerat Paracletum spiritum esse veritatis, quia etiam futura illis annuntiaturus esset: ex qua re cognoscere poterant quantæ apud eos authoritatis illius testimonium esse deberet. Act. 11. 28. & 20. & 29. & 21. 11. Sicque persequitur hāc aduentus vtilitatē exponere ex dono prophetiæ quod inter alia diuina dona Spiritus sanctus in Apostolos effudit. Nec moueat quod verbū futuri tēporis positū est: illa quippe audientia sēpiterna est, quia sempiterna est scientia, ait Aug.

14. *Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*] Tertia vtilitas est præter redargutionem mundi, præter doctrinam. *Ille me clarificabit*, i. manifestabit me & aduentum meum mundo: hactenus enim velut incognitus mundo fui, fabri enim filium me existimauit. At ille me quis sim aperiet, meam diuinitatem & me esse Dei filium, qui carne assumpta pro

mundi

mundi redemptione mortem subij: vnde futurum est vt mundus me postea honoret, colat & veneretur, vt par est. Ita Cyr. l. 11. c. 1. Hoc autē etiā expedit vobis, quādoquidē gloria magistri est gloria discipulorū, gloria Domini est gloria seruorum, honor Patris honor est filiorū. Attēde potuisse filium se clarificare ante aduentum Spiritus sancti, sed noluit, quia venerat moriturus pro nostra salute: hoc opus aduentui Spiritus sancti reliquit. Glorificat autē Spiritus sanctus filiū, non vt seruus Dominū, sed tanquā ei consubstantialis, sicut & Pater filiū & filius Patrē glorificat. Basil. docet clarificare alterū & maiori & minori cōmune esse, nā & nos Deū, & Deus nos, & Deus Deum glorificat, quānis non sit eadē clarificationis ratio. Et causā subdit, *quia de meo accipiet*, i. quæ diuinitatis meæ sunt accipiet; & vobis ac per vos mūdo declarabit, & nota faciet, quia Spiritus sanctus filij diuinitatem annuntiat, vt eā in se à filio ipso accipiat, procedit enim à filio simul & Patre, ita Tol. & Iāſ. Rup. *De meo accipiet*, i. de eo quod de me in sacris scripturis dictum est. Alij, *De meo accipiet*, quia meo nomine veniet, quia non aliā quam meā vobis tanquā legatus meus doctrinam tradet: propterea enim operū & doctrinæ illius gloria in gloriā meam redundabit: quod est clarificare me, quia meo nomine & non alia quàm mea mysteria vobis tradet: non alia quā mea faciet opera. Propterea per futurum dixit *accipiet*, quia accipere ab eo est eius mitti nomine: & nondum missus erat. Ex Augusſt.

15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*] Tacitæ obiectioni respondet, nimirū cum

cùm essentia quam Spiritus sanctus accipit sit Patris, nam à Patre procedere dictus est, cur Filius suam dicit, *de meo*, inquit, *accipiet*. Respondet, eadem est essentia Patris: mea omnia quæ Patris sunt, mea etiam sunt: nec excludo Patrem quando meum dico, sed vnam vtriusque substantiam & essentiam ostendo: quod enim est Pater & est in Patre, totum est filius, & est in Filio, seruata distinctione Patris & Filij contra Sabellium, & Ar. ex Aug. & Hil. 7. de Trin.

16. *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.*] Post consolatoriã promissionem Spiritus, rursus sermonem ingerit de suo discessu aliámque per mortem consolationis rationem adfert; promittendo eis suũ ad ipsis reditum celerem per resurrectionẽ. Sensus autẽ est, Post modicum tẽporis non videbitis me quia nẽpe citò passurus sum & moriturus, sed post alterũ modicum, me videbitis, quia citò etiã post mortẽ resurgã à mortuis, & me vobis videndũ exhibebo. Et causam sui dicti adiungit, *Quia vado ad Patrem*. Consideranda est causa, vadit enim Christus ad Patrẽ per mortem & resurrectionem, nam à morte resurgens ad cœlos ascendit. q.d. Post paululum non me videbitis, & post paululum me videbitis, quia iam iam moriar & resurgam vt me videre possitis, sic enim ad Patrem vado. Modicum vocare vsque ad suam ascensionem in cœlum, & iterum modicum ab ascensione vsque ad secundum in iudicium aduentum, putat Aug. & Beda.

17. 18. *Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem; Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum*

&

& non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrẽ? Quid est hoc quod dicit modicum? nescimus quid loquitur.] Non intellexerant discipuli verba Domini: nec enim mortẽ & passionẽ eius imminere, nec celerem eius resurrectionẽ sciebant, vt nec Mar. 10. Cũ igitur hæc non intellexerint, etiã non perceperunt verba præsentia, quibus huius mortis, passionis & resurrectionis horã iam proximam & imminentẽ esse significauerat, maximè cũ cœna pacificè & securè peracta noctísque tempus præcedés omnis periculi suspicionẽ amouerit. Particula *ergo*, indicat discipulos hæc locutos esse occasione præcedentis sententiæ Domini, qua ratione scilicet & quomodo coaptaretur hoc: non videbitis & videbitis post modicum, quia vado ad Patrẽ. Ideo ad sententiam se conuertunt, quasi ex ipsius intelligentia pendeat sensus, & intellectus causæ. q. d. Tota difficultas est hoc modicum assequi: quod si percipiamus semel, quid sit hoc modicum, tota sententia & causa sententiæ, *Quia vado ad Patrem*, facilis erit intellectu: & quia non intelligimus nescimus quid totum hoc velit significare, non de tota sententia sed de tempore quod designabat, dubitasse, nempe de illo modico putant Aug. & Beda.

19. *Cognouit autem, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quaritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.*] Cognouit vt Deus quia cognitas eorum habebat cogitationes, sine indice, sine coniectura. Cyr. Theod. Et quia eos in fide confirmare volebat, præuenit, repetítque quod inter se mutuò dubitantes inquirebant.

bant. *De hoc*, inquit, *quaritis inter vos, quia dixi: Modicum.* Non repetit torum Christus, sed id solum in quo maiorem difficultatem patiebantur: repetit autem illud *modicum* vt exponat. Ex Aug.

20. *Amen, amen dico vobis, Quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*] Obscuram sententiam declarat Dominus, & primum *modicum*, exponit. *Plorabitis*, inquit, *& flebitis vos.* q. d. Causa lacrymarum vobis iam iam imminet maior, citò enim morte subiturus sum. Mundus autem, ideſt, Iudæi, mei persecutores gaudebũt. Theoph. per mundũ iustos omnes interpretatur, quibus mors Christi futura erat causa salutis & gaudij. Secundũ *modicum*, nempe, *Modicum & videbitis me*, exponit dicens, tristabimini quidem, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, cessabit, finem accipiet, & gaudium ei succedet. Resurgam enim, & videbitis me non sine ingenti animorum vestrorum consolatione à mortuis resurgere. Sic Chrys.

21. *Mulier cum parit tristitiam habet; quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam nõ meminit pressurę propter gaudium, quia natus est homo in mundum.*] Verbis præcedentibus non satis apertè hæc tria expresserat Dominus, nempe tristitiam & fletum iam esse imminentem; rursus hanc tristitiam vertendam in gaudium, denique hanc tristitiam & gaudium futuram de morte & resurrectione eius: sic enim non visuri & postea visuri erant eum. Hæc nunc exponit appositio exemplo, conferens parturienti discipulos mulieri: hæc enim dolet & tristatur,

tur, tamen breui durat tristitia, subitò enim genito puero gaudet; & adeo gaudet vt præteritæ pressuræ non meminerit præ gaudio nati pueri. Est ergo tempus partus, & tempus post partum: tempus partus breue est & præcedit, tempus post partum longum est & priori succedit: tristitiam ergo breuem, gaudium verò diuturnum esse oportet. Hæc discipulis accommodat sequentibus verbis. ex Aug.

22. *Et vos igitur nunc quidē tristitiā habetis, iterū autē videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiū vestrū nemo tollet à vobis.*] Accommodat & illustrat superius exemplum. *Nunc*, inquit, *tristitiam habetis.* Sensus est, vobis iam imminet tristitiæ tempus quando similes eritis mulieri parienti, quia non me videbitis propter mortem meam. Et hoc est prius *Modicum, & non videbitis me*, dolentes & flentes propter mortem meam, similésque parturienti: sed citò iterum videbo vos, quia sicut partus tempus breue est, ita breue erit hoc tempus, quo non me videbitis. Cum autem me videritis tunc gaudebit cor vestrum: sicut gaudet mulier partus tempore transacto; gaudebitis autem de mea resurrectione, sicut de nato puero gaudet mulier. Et sicut gaudium mulieris non est qualis tristitia, hæc enim breuis, illud diuturnum est: sic vestra tristitia breuis erit, gaudiū autem permanēs, itaut nemo id a vobis possit tollere. In quo excedit gaudium mulieris, quia quamuis puer natus diutiùs viuat; quam tempus partus & doloris durauerit, moritur tandem. At ego resurgam iam amplius non moriturus nec amplius dolebitis de morte, sed gaudebitis de vita. Ita Cyr. l. 11. c. 6. Augustī. tract. 101. Mortem igitur

suam

suam partui, resurrectionem natiuitati comparat, simúlque docet hoc tempus partus instare. Ideóque *habetis* præsens est, pro futuro, quasi iam adesset. ex Aug.

23. *Et in illo die me non rogabitis quicquam.*] Hæc promissio impleta est quando à mortuis surrexit & eis apparuit, & conuersatus est cum eis: tunc nouerunt clarè omnia hæc quæ modo locutus est, vt non iam sit opus interrogare: *Quo vadis?* vel *Nescimus quid loquitur*; vel, *Quid est quod dicit modicum?* vt ait Tol. Semper quæstio est de veritate huius sententiæ, si per hoc quod dicitur in illo die, intelligatur tempus à resurrectione, quia in illo & leguntur Apostoli quædam interrogasse Dominum. Petrus enim interrogauit de Ioanne, *Hic autem quid?* & omnes Apostoli, *Domine*, inquiunt, *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Et certum est eosdem multa petiisse à Domino iam in cœlos assumpto. Itaque hac motus ratione Aug. vt s. d. putat per illum diem hic designari tempus futuræ vitæ, & in illo tempore implenda quæ præcedunt de tristitia mutanda in gaudium per visionem Domini: & quod dicit c. 14. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*, &c. *In illo die cognoscetis, quia ego in Patre*, putat potius referendũ ad tẽpus futuræ vitæ, quam ad tempus post resurrectionem. Verum intelligendo ea quæ præcedunt impleta in Apostolis post resurrectionem, qui est vt diximus simplicior intellectus, vt cum dicitur *in illo die*, designetur tempus à resurrectione, dicendum id quod hic dicit Dominus ex parte quidem impletum ante ascensionem Domini, perfectè verò post missionem Spiritus sancti. Sicut & illud, *in illa die cognoscetis*

cognoscetis quia ego in Patre &c. Post resurrectionem enim Christus eis aperuit sensum vt intelligerent scripturas. Ita Chrys. Theod. Theoph. *Non rogabitis quicquam*, ideſt, nullis vobis precibus apud me, nullo aduocato opus erit, quia sola nominis mei inuocatione, quidquid à Patre petieritis obtinebitis, vt videtur verbis sequentibus significare, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Vel nihil interrogabitis me, quia nulla de re amplius dubitabitis. Sic Cyr. Aug. & Rup.

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Nouo argumento Apostolos consolatur, & documentum vtilissimum eis tradit quod in ipsius absentia seruare debeant, q. d. Quamuis sim ad Patrem iturus, propterea tamen aliquid vobis defuturum ne timeatis: certissimam rem affirmo, quicquid petieritis Patrem mei ratione & propter me, vos ab eo impetraturos. Quo autem modo vera sit hæc sententia, fore vt quicquid Christi nomine petierimus obtineamus, diximus apud Mat. 7. 7. & 21. 22.

24. *Vsque modo non petistis quidquam: in nomine meo petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*] Q. d. Noua res est hæc quam vobis trado, quod si hactenus non consecuti estis omnia quæ petistis à Patre, ne miremini, quia in nomine meo non petistis. *Petite*, inquit, & *accipietis*: nam præter dilectionem Patris ad Filium & ipsius Christi iustitiam & meritum, sunt etiam alia duo, scilicet præceptum eius; iussi enim ab eo petimus Patrem. Quantum autem valeat, Ecclesia significat, quæ orationi præmittit: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione*

institutione formati audemus dicere, &c. Est etiam promissio facta nobis à Christo impetrandi à Patre. Hæc omnia multum Deum mouent ad exaudiendum nos. Quod addit, *Vt gaudium vestrum sit plenum*, & integrũ in nullo deficiens; hoc gaudium est de quo dixerat, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Attende gaudium de Christi resurrectione fuisse gaudium magnum, sed non completum nec perfectum Apostolis, quia de resurrectione quæ solius Christi erat gaudebant; quando autem bona ipsis maxima ex hac resurrectione prouenerunt, tunc gaudium est completum: quia non de bono tantum Christi sed de suo etiam gaudebant. Tol. Vel finite me abire ad Patrem, & perfectius gaudium habebitis quàm nunc ex mea præsentia habetis, quod carnale & imperfectum est: plenum & perfectum ex mea absentia percipietis: magis enim vos absens quàm præsens consolabor. Ex Chrys.

25. *Hæc in prouerbiis locutus sum vobis: venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo vobis.*] Adhuc consolatur eos de suo discessu, promittens apertam locutionem. q. d. Scio me hæc vobis locutum subobscurè & velut sub ænigmatibus: venit tamen & prope est iam tempus, quando sine vmbris, sed palàm loquar de Patre meo, nempe mysteria omnia missionis & aduentus mei. Hoc fecit Dominus post resurrectionem suam per illos 40. dies, discipulos erudiens: perfectius autem in aduentu Spiritus sancti. Prouerbium vocat obscurum sermonem. Cyr. l. 11. c. 8.

26. 27. *In illo die, in nomine meo petetis, &*

non

non dicam vobis, quia ego rogabo Patrem: ipse enim Pater amat vos; quia vos me amastis & credidistis, quia à Deo exiui.] Sensus est, post meum discessum petetis in nomine meo Patrem: & non dico vobis me rogaturum, idest, non dico vobis vos indigere precibus meis, ipse enim adeo vos amat, vt etiamsi ego non rogem, sitis obtenturi quidquid petieritis. Non dicit se non rogaturum, sed eos non indigere vt ipse roget Patrem, si in ipsius nomine petant: amor enim paternus sufficientissimus est ad concedendum omnia petita. His verbis ad considerationem, & affectū diuinitatis omnino transfert: & inducit vt ad Patrem conuertantur. Ex Aug.

28. *Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.*] Optima conclusione huic sermoni finem facit: cum enim dixisset eos credidisse ipsum exiisse à Patre, nouum argumentum pro suo discessu facit. Verè, inquit, exiui à Patre, per generationem æternam, & veni in mundum, homo factus, & humilians meipsum vsque ad mortem; æquū igitur est, vt perfectis quæ ad humilitatem meam concernebant, mundum relinquam, & ad Patrem reuertar, ascendens in cœlos. Attende non esse similem ascensum descensui, nec reditum aduentui; nam venit sine carne, eam tamen sumpturus; at non reuertitur carne relicta, sed eam glorificatam ad cœlos transtulit. Ex Aug.

29. *Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget: in hoc credimus, quia*

à Deo exisli.] Audientes discipuli Dominum adeo clarè loquentem, vt sensus verborum ab omnibus perciperetur, eorum etiã dubitationi non interrogatum satisfeciſſe cum gaudio & admiratione respondent, dicentes, *Ecce nunc palàm loqueris*, ideſt, hic eſt sermo quem deſiderabamus, apertus & ſine prouerbiis. In hoc cognoſcimus te ſcire omnia, quia antequam interrogatus eſſes à nobis, nouiſti nos non intellexiſſe ſermonem, ac propterea voluiſſe te interrogari, anteuertens eum explicuiſti ſermonem: ideóque nos vel maximè in hoc certè credimus te à Deo exiiſſe & filium eſſe Dei, ideſt, vel hoc argumento, etiamſi nunquam credidiſſemus, nunc crederemus te exiiſſe à Deo: noſſe enim omnia, & mentium dubitationes ac voluntates occultas ſcire, Dei eſt. *In hoc credimus*, ideſt, in hoc fidem noſtram cõfirmamus, & comprobamus te à Deo exiiſſe. Cyr. l. 11. cap. 11. Quamquam non ſatis conſtet an eo vſque eorum fides peruenisſet, vt crederent illum naturalem Filium Dei, verũmque Deum eſſe, adhuc enim apparet ex multis rebus ante aduentum Spiritus ſancti rudem & imperfectam eorum fuiſſe fidem: vt ſolent dicere Chryſ. & Theoph. & Chriſtus ipſe videtur ſtatim coarguere, interprete Heracl. Chryſ. Cyr.

31. *Reſpondit eis Iesus: modò creditis?*] Chriſtus eorum dictum confirmat, ſed vt in hoc etiam ſuam diuinitatem oſtendat, & ſe omnia præſcire demonſtret, eorum ſtabilem fidem & firmam nondum eſſe, prædicens quæ futura ſunt, manifeſtat. Modò inquit, creditis me à Deo exiiſſe? Creditis quidem, aut credere videmini, ſed

sed modò, futurum enim est, imo tempus adest, vt in hac fide stabiles non sitis futuri. Quod verbis sequentibus exponit. Tol. Et hic est sensus, si per affirmationem legatur, illud modò creditis. Si autem per interrogationem, erit exprobatio tarditatis, quòd nunc post tot sermones, post tot miracula, post tam diuturnam cum ipso familiaritatem, tandem credant: cùm multò antè credere debuissent. Ita Chrys. & Theoph. Vel *modo creditis?* idest, modò dicitis vos credere? Ita Leont. Vel, modò quidem ostenditis ac profitemini vos credere, cùm in turo estis, cùm nihil periculi est, sed tempore tribulationis, quod iam instat, recedetis: vt Mat. 13. 21.

32. *Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus quia Pater mecum est.*] Ad præcedentem sententiam hæc pertinent, *modò creditis.* Sed ecce iam tempus adest quando me solo derelicto, & amore magistri posthabito, metu & formidine perculsi fugiatis: vt vnusquisque vestrum propriæ saluti consulat. Quod impletum est cap. 18. Primum *venit* est præsentis, Secundum *venit* præteriti temporis. Non est sensus eos fugisse in domos suas, sed in diuersa loca, quod à principio, quando Dominus captus est, fecerunt, quamuis postea ante resurrectionem conuenerint. Cum addit, *Et non sum solus, quia Pater mecum est*, ostendit eos quidem quantum in ipsis esset, solum relicturos & omni destitutum ope, quod autem reipsa solus futurus non esset, non ipsorum virtute; sed sua ipsius natura fieri quod Deus esset, idémque cum Patre.

Itaque separati ab eo, & solus esse non poterat. Fortè hoc dicit ne putarent ipsum eorum auxilio indigere; aut ipsum capiendum, quia derelictus esset ab eis. Solus non sum inquit, quia mecum est Pater, cuius sum Filius nullius ope indigens, captus & comprehensus, quia volui: non quia solus sine vobis resistere non potui. Ex Aug. & Greg.

33. *Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis.*] Concludit totum sermonem. Hæc, inquit, omnia vobis locutus sum, vt per ea vobis persuadeam habere in me pacem, ideſt, non scandalizari, non turbari in me propter ea omnia quæ ventura sunt, sed fortes & constantes in me manere, sicut hactenus fecistis. In Christo pacem habere est ipsi inhærere, ab eo etiam in tentationibus non recedere, sed fide & dilectione coniungi. Sic Cyr. l. 11. c. 13.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.] Q. d. Magnum quidem aduersarium habebitis mundum, sed maiorem habetis auxiliatorem me, qui illum vici. Vicisse autem se dicit, quia diabolum mundi principem vicerat, cap. 14. Vel quia in proximo erat victurus & certus de victoria capit. 12. quæ confidentia non ad Apostolos modò sed ad nos etiam omnes pertinet. 1. Cor. 15. 1. Ioan. 2. & 4. 5. Apoc. 12. Ex Augustin.

CAPVT

CAPVT XVII.

Oratio Iesu ad Patrem.

1. *HÆc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.*] Vt homo Patrem orat, tum pro sua clarificatione, tum pro discipulorum custodia, tum demum pro omnium fidelium futurorum cõuersione. Oraturus autem oculos in cœlum attollit, vt se inde venisse, & illuc iam properare significet. Non indigebat oratione Christus, sed quantum nos ea indigeamus, ostendit. Nullum intermittit tempus sine fructu, à doctrina enim continuò ad orandum se conuertit: opere se esse hominem, verbo se esse Deum ostendit efficacissimo ad impetrandum argumento, dum Patrem dicit: quid enim qui filius est non impetrabit à Patre? talis Filius à tali Patre? Cyr. l. 1. thes. cap. 6. ait maius Deo esse Patrem, quàm esse Dominum: nam Dominus respectu creaturæ dicitur: at Pater respectu Filij: maius autem est Deo genuisse Filium quam omnes creaturas fecisse, respectu quarum Dominus est, & nuncupatur. Altissima ergo & sublimis oratio est, quæ à tanto & tam eximio incipit verbo, vt non addubites maxima esse quæ petuntur; quibus nimirum impetrandis tantus adhibetur titulus. Gr. venit hora illa mortis, passionis, exinanitionis vsque ad mortem crucis, diuino consilio & voluntate electa. Meritò

in hac hora ratione humanitatis suæ. Primum à Patre Christus petit clarificationem sui, quia maximè in morte diuinitas occultabatur, quia multi scandalum ex credentibus etiã passuri erant. q.d. Tu me hactenus & missa de cœlo voce, *Hic est Filius meus dilectus*, & delapso ad me Spiritu sancto Mat. 3. & Ioannis testimonio, Ecce *Agnus Dei*, *Ecce qui tollit peccata mundi* cap. 1. & multis editis miraculis clarificasti, iterumque cùm opus esset maxime, clarificaturum promisisti cap. 12. *Et clarificaui, & iterum clarificabo*; ecce nunc tempus illud venit, quo maximè tua clarificatione opus est, quia adeo obscura & ignominiosa mors subeunda imminet, vt nisi tu me clarificaueris, nisi me certis & conspicuis signis filium tuum esse declaraueris in carne positum, omnes me pro puro, eóque vili & abiecto homine habituri sint. Mea clarificatio non tam mea, quam tua est. Hoc est quod ait, *Vt Filius tuus clarificet te*, ideſt, vt dispensationis mysterio illustrato nomen Patris mundo manifestetur, quia ipsum clarificari à Patre Filium, est Patrem a Filio clarificari, quia omnis Filij gloria in Patrem redit: vt cap. 12. 23. Vbi quid sit clarificari exposuimus. Filius dicitur Patrem clarificare quatenus incarnationis & redemptionis per ipsum factæ mysterio reuelato, & clarificato, multum diuinitas cognoscitur & perfectio eius commendatur: nam & mysterium Trinitatis ostenditur, & summa bonitas, sapientia, potentia & iustitia Dei mundo innotescunt. Christo etiam manifestato, eius doctrina recipitur, qua diuinitas fit notior: ignotus enim erat Deus mundo, maximè Gentibus,

ante

ante aduentum. At Christo clarificato Deus mundo notus factus est, non solum Gentibus, sed etiam Iudæis: quibus etiamsi notus antea erat, non tamen cum tanta perfectione. Ex August.

2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*] Quantam & qualem claritatem petat exponit. q.d. Da Pater tantam claritatem quantam dedisti potestatem in homines; tu autem non vnius aut alterius populi, sed omnium hominum ei dedisti potestatem, & ad omnes reimendum misisti, & omnes curæ eius cõmisisti; notifica ergo me quantum officij & muneris amplitudo postulat, vt ab omnibus tuus filius & redẽptor agnoscar, sicut pro omnibus missus sum, & omnium salutem operatus sum, vt filius tuus clarificet te, ideſt, vt omnis caro etiam te clarificet & honoret. *Sicut dedisti ei potestatem.* q.d. Pater, cum dederis potestatem talem ac tantam, æquum est dare consequentia, nempe manifestationem & clarificationem. Loquitur vt homo. Sensus est, Tracta me tanquam legatum tuum, quem abs te coram omnibus clarificari, ideſt, cognosci & honorari conuenit: da mihi æqualem potestatem, honorem; sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis; ita me apud omnem carnem, ideſt, apud omnes homines glorifica. O Pater, peto claritatem hanc potestati æqualem, vt vitam æternam consequantur omnes hi quos mihi dedisti, quam non poterunt assequi, nisi ego clarificer in eis, ab ipsisque cognoscar. Hæc enim claritas, quæ fides est in me, omnibus ad salutem necessaria est. Hebr. *Omne* pro omni,

quod dediſti mihi det vitam, aut quod dediſti mihi det ei vitam æternam. redundat *eis*. Significat ſe Deum eſſe; dare enim vitam æternam Dei eſt. Vel vitam æternam vocat ſui Patriſque cognitionem, dedit autem omnibus quantum fuit in ipſo ait Chryſ.

3. *Hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*] Senſus eſt, clarifica Filium tuum vt Filius tuus clarificet te, vt per hanc clarificationem & manifeſtationem qui redempti ſunt vitam æternam aſſequi poſſint: nam hæc eſt vita æterna, ideſt, non aliter ad hanc vitam æternam peruenire poterunt, niſi te cognoſcãt verum Deum & Ieſum quem miſiſti, ideſt, niſi tu clarificeris in eis, ſimiliter & Filius tuus homo factus clarificetur. *Hæc eſt vita æterna*, non formalem ſenſum, ſed cauſalem facit, nempe hæc eſt cauſa vitæ æternæ, & hac ſola via conſequenda eſt, nempe fide diuinitatis, & myſterij diſpenſationis, vt credatur Deus & credatur Chriſtus: articuli enim fidei ad hæc duo reducuntur, ad veritatem diuinitatis, & ad myſterium incarnationis Chriſti, per quam redemptio perfecta eſt, ſine qua fide nemo vitam æternam habet. Illud autem, *te ſolum Deum*, non excludit Filium & Spiritum ſanctum, ſed Deos falſos, quos Gentes colebant: per Euãgelium autem reuelatum eſt non eſſe alium Deum præter Patrem Domini noſtri, Filium, & Spiritum ſanctum. Non ergo excluduntur quia idem & vnus Deus cũ Patre ſunt. Ex quo Ariani male inferunt Patrem ſolum verum Deum eſſe, Filium excludi: nã cum dicit (*Et*) ſe ſimul Deum eſſe demonſtrat. Frequenter Dominus

minus loquitur de vita æterna, non solum secundum eam rationem qua habetur in cœlis post hanc vitam, sed etiam secundum eum modum quo ex parte & inchoatiuè habetur in hac vita: vt cum dixit c. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam:* Sic ergo in proposito loquitur de vita æterna, vt communis est & huic & futuræ vitæ: vita enim æterna habetur hic inchoatiuè per fidem: in cœlis perfectè cognoscendo Deum per visionem. Vt notat Iansen. & Aug.

4. *Ego te clarificaui super terram; opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.*] Hoc est aliud quod à Patre petit, nempe gloriam & claritatem carnis suæ, completo iam opere suę dispensationis, propter quod se exinaniuerat & vsque ad mortem obediens factus fuerat. Et quasi debitam sibi mercedem petit à Patre, se eam iam meruisse, Patrem prius clarificando & opus consummando, quod sibi perficiendum tradidisset: se iam fecisse quod in se erat: faciat ergo Pater quod in ipso est, seque clarificet. Sensus ergo est, iam ego, ô Pater, te clarificaui super terram: nam carnem assumpsi vt testimonium perhiberem veritati docendo, & prædicando, & annuntiando hominibus salutem. Dicit, *super teram*, nam Pater clarificatus erat ab Angelis, eum videntibus. Quo modo autem clarificauerit Patrem exponit, cum dicit, *Opus consummaui*, quod dedisti vt faciam: perficiendo enim officio, sibi à Patre commendato gloriosiorem, clarioremque apud homines Patrem reddidit: Opus hoc fuit mortem, diabolum, peccatumque morte sua debellare, & vincere; reconciliare homines Patri; deni-

que opus redemptionis ad quod missus est, de quo Ioan. 4. perficere loquitur in præterito, non solũ propter certitudinem rei futuræ, sed quia iam proxima erat, & quod minimũ distat, quasi non distare videtur. Idcirco dicit, *consummaui*. Dicit autẽ, *quod dedisti mihi*, quia filius ratione humanæ naturæ factus est à Patre redẽptor hominum. Io. 13. Denique duo officia eius hæc verba continent, propter quæ venit; nimirum veritatem Dei docere, & mundum redimere: illud fuit clarificare Patrem prædicatione; quod iam fecerat; hoc verò est mori pro homine: quod quia proximum erat, consummasse se dicit. His ergo peractis vt homo petit glorificationem suæ carnis, quæ ex dispensatione donec hæc fierent in humilitate erat. Ex Chrys. & Aug.

5. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te.*] Q. d. reliquum est vt tu, Pater, me clarifices apud temetipsum in cœlis, ea claritate quam habui apud te ab æterno, i. humanitatem hanc meam clarifica, exalta, glorifica, claritate digna filio Dei, qualis ego sum. Et da vt claritas & gloria quam ego, vt Deus, ab æterno tecum habeo, communicetur & extendatur vsque ad carnem meam, quæ propter dispensationem hactenus est suspensa: peracta ergo dispensatione diffundatur & extendatur in carnem meã: itaque petit ratione humanitatis clarificari, non claritate quæ deforis accedat, vt nobis accedit, sed claritate propria quam ab æterno habet vt Deus: quia idem est Deus & homo, glorioſus ab æterno in natura diuina, inglorius in carne propter nostram

nostram salutem. Illud, *nunc*, non tantùm præsens, sed etiam sequens dicit. q. d. Deinceps, seu ex nunc, seu in posterum clarifica me. Illud, *quam habui apud te*, significat, habui apud te tanquam filius tibi æqualis, vt illud, *Verbum erat apud Deum*. Ex Hil. 3. & 9. de Trin. & Aug.

6. *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.*] Postquam Christus petiit vtramque claritatem sibi, nempe nominis sui manifestationem mundo faciendam, & suæ carnis ac humanitatis glorificationem per resurrectionem & ascensionem ad dexteram Patris complendam, ad orandum pro suis discipulis se conuertit. Exponit autem 1. pro quibus orat: *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum* hominibus, ostendendo me esse filium tuum à te missum, aperiendo causam propter quam sim missus, amorem scilicet tuum erga mundum, prænuntiando etiam spiritum quem missurus es post discessum meum, & alia, quæ diuinitatis tuæ opera sunt, docendo. Hæc omnia nota feci ijs quos, inquit, dedisti mihi de mundo. Loquitur Christus vt homo, cui Pater dedit discipulos de mundo. Elegit enim eos de medio aliorum hominum, liberauit à peccatis, fecit discipulos & Apostolos, omnia hæc sunt opera Dei: nemo enim potuit venire ad Christum nisi tractus à Patre. Et aduerte manifestare nomen Patris, esse declarare Deum Patrem esse & filium habere. Iudæi Deum esse rerum opificem nouerant, at Patrem esse ignorabant; Gentibus vtrumque erat ignotum. Nomen Patris est verius quam nomen Dei: hoc enim est, dignitatis & operationis

cuiusdam (ab eo enim quod omnibus prouidet Deus dicitur) illud substãtialis proprietatis, vt notat Cyr. l. 11. thes. c. 2. Nomẽ ergo Dei Christus manifestauit quia Patrẽ notificauit: simul etiã declarauit eius opera, totũ enim ad nominis manifestationẽ pertinet. Sunt autẽ de discipulis hæc verba pronũtiata, vt ait Chry. ho. 80.

7. 8. *Tui erant & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt; quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.*] Discipuli dicuntur fuisse Patris non solum ratione creationis, sed æternæ electionis: quia quos elegerat Deus ab æterno, hos dedit Christo ratione humanæ naturæ, vt homo est. Notat non infructuosos fuisse, quia seruauerunt sermonem tuum, insuper crediderũt ea quæ mihi dedisti abs te esse, nempe opera mea & doctrinam diuinam esse, & à te nouerunt procedere: vt Io. 7. & 12. & 10. *Nunc*, nempe cum edocti à me fuerunt. Causa vnde nouerint quæ dedisti mihi omnia à te esse, ea est quia doctrinam, quam mihi vt homini dedisti, ipsis communicaui, eam acceperunt non vt Iudæi contradicentes. Acceperunt autem eam sic: nouerunt me à te exiisse & à te esse missum: hæc duo crediderunt, nempe me esse filium tuum, hoc est à te exiisse, & venisse in mundum cognouerunt & crediderunt. Eandem fidei notitiam significat, sed cognitio dicitur, quatenus miraculis & signis confirmata erat. Hæc omnia commemorat, vt non immeritò eos Patri commendare, & pro ipsis rogare significet, Cyr. l. 11. c. 18.

9. *Ego*

9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi quia tui sunt.*] Conditionibus discipulorum descriptis nunc preces suas exponit & Patri offert: quid autem peteretur & roget infra exponit. Sciebat Pater pro quibus oraret, & quales essent ij pro quibus rogaret: at Dominus expressit hæc verba vt cognoscant discipuli eximiā erga se magistri dilectionem, & quanta beneficia ab eo acceperint, qui dignifacti Christi precibus apud Patrem commendari; & relinqueret exemplum pastoribus orandi pro suis ouibus. Triplicem insinuat causam suæ pro illis ad Patrem orationis. 1. quam hic attingit quia Patris erant. 2. quia clarificatus erat in eis, propterea quod magnam de ipso habebāt existimationem credentes ipsum esse filium Dei & Messiam, vnde idonei erant per quos per vniuersum orbem etiam apud alios clarus fieret. 3. quia cum iam ipse mundum erat relicturus, & ad Patrem iturus, illi adhuc in mundo erant permansuri: vnde non per seipsum, sed per eos clarificandus erat apud alios deinceps: *Non*, inquit, *pro mundo rogo*, id-est, pro perditis hominibus qui suis dediti vitijs, nolunt me sequi, nec in me credere: *sed* rogo *pro his quos tu mihi dedisti*, quos tu elegisti. At Christus erat pro crucifigentibus. Luc 1. 2. Cor. 5. 1. Tim. 2. Vult omnes saluos fieri. Respondeo quod duplex est eius mors & oratio distinguenda: altera sufficiens quidem, sed non efficax: altera & sufficiens & efficax. Si priori modo illo & mortē & orationem Christi consideres, & pro omnibus hominibus mortuus, & pro omnibus orauit: nam & eius mors satis habuit meriti ac vis, vt omnes ho-

minibus

mines liberarer, & eius prima & antecedens voluntas erat, vt omnes liberarentur. Ideóque apud Luc. 23. pro omnibus orauit. Si autem spectes effectum, quia is non ex sola Christi, sed ex hominum etiam, qui saluandi erant, voluntate pendebat, quia non omnes oblatum à Christo redemptionis beneficium accipere voluerunt, non omnes salui facti sunt, neque pro omnibus orauit, sed pro ijs qui credidissent. Alio denique sensu pro omnibus quã pro discipulis suis & iustis orauit: nam pro omnibus vt crederent & iusti fierent, sicut nos pro hæreticis oramus: pro discipulis & iustis, vt eos conseruet & det illis vitam æternam. Ita Chry. & Aug.

10. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.*] Secundam attingit rationem quare se Pater pro discipulis orantem exaudire debeat. Et sensus est, dixi, ô Pater, tui erant & dedisti mihi; ne verò aliquis hæc verba audiens me hominem merum esse, accipientem à te quę non habeam, iudicet, adiungo, mea omnia tua esse, quia à te procedo, & substantiam meam à te habeo: omniáque tua mea sunt, quia tu genuisti me, & omnia tua communicasti. Vt ergo indiuisibilitas, & vnitas intelligatur & credatur, dico mea esse tua, quia quæ habeo simul habes, & tua sunt mea, quia non desinunt esse tua eo quòd mea sunt: eadem enim est potentia, idem dominium Patris & Filij. Addit, *& clarificatus sum in eis*, id est crediderunt mea omnia tua esse, & tua mea esse, credentes me Dei filium verum esse, & vt talem coluerunt & obseruarunt. Aug. ad fideles refert, præteritum pro futuro interpretans.

tans. Sed accomodatius ad discipulos. Cyp. l. 11. c. 19.

11. *Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.*] Attingit 3. rationem quod ipse, qui eos hactenus, tanquam Pater filios, protegebat, de mundo discedat, illosque orphanos derelinquat, nisi illis Pater adsit. Dicit, *iam non sum in mundo*, non quod tunc non esset: *Et* pro quia, *ad te venio*: nam reddit causam, cur dixerit se iam in mundo non esse: quia, inquit, ad te venio. Hebr. ex Chrys. & Aug.

Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.] Declarat quid à Patre pro discipulis roget & petat, nempe vt eos seruet, & vt vnum esse inter se faciat. Oratio autem & humanitatis humilitatem, & deitatis continet gloriam: rogat vt homo, loquitur vt Deus: vtrumque miscet, vt se vtrumque significet. Patrem Sanctum appellat, vel vt blande alliciat, vel quia quæ sanctitatis sunt rogat. *Serua*, inquit, *eos in nomine tuo*; idest, tua virtute & potentia, conserua hos in gratia, charitate, dilectione, & vita: ne à Iudæis nunc occidantur, ne in tentationibus succumbant. Serua eos, non vt diuites sint, non vt voluptuosè viuant: sed vt sint vnum sicut & nos vnum sumus, concordes, vnanimes, pacifici inter se in vno spiritu, vna fide, vna charitate: vt Act. 4. Similitudo hæc est, non æqualitas. Nam filius & Pater vnum sunt, quia vna est substantia numero, eademque voluntas: at fideles non hanc possunt habere vnitatem, sed similem, vt idem velint, & idem nolint, concordes sint, vno spiritu moti & gubernati. Abutebantur

bantur hoc loco Ariani existimantes, Filium non nisi voluntate & concordia esse vnum: cùm natura etiam & voluntate sit vnum cum Patre: & rogabat vt discipuli qui erant vnum inter se natura, essent etiam vnum voluntate cum Patre, sicut & ipse vnum erat: vt notat Amb.

12. *Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo.*] Causam, impetrandique rationem adiungit, & est sensus, quando eram corporali præsentia cum eis ego seruabam eos in nomine tuo, i. virtute diuinitatis; nunc autem discedo; non igitur priuentur propter meum discessum hac custodia & protectione nominis tui: sicut nec in mea præsentia priuati sunt. Loquitur vt homo, & seruasse dicit discipulos non humana, sed diuina Patris virtute, quæ sua etiam erat, tanquam Dei. Et vis argumenti hæc est, Si in mea præsentia hac tua virtute seruati sunt; æquum est vt in absentia etiam seruentur, cùm maior subueniendi & auxiliandi sit causa. Ex qua expositione cessat id quod concipere aliquis posset, nempe, ego seruabam eos, modò tu serua, quasi vnus alteri succedat in custodia. Hic sensus valde carnalis est, vt dicit Augustin. tract. 107.

Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur.] Q. d. Cùm eram cum eis corporaliter præsens, seruabam illos tua virtute & potentia, & efficax erat custodia, nemo enim ex eis periit quos mihi dedisti, sed à me omnes sunt conseruati, præter vnum qui filius fuit perditionis, Iudam nempe. Hebr. filius sapientiæ qui sapientiam

custodit,

custodit, filius perditionis qui peccatis indulget, Basil. & Cyr. l. 11. c. 21. Perditio hoc loco significat peccatum extremũ æternam damnationem inducens, quale fuit Iudæ, quia impœniteus vsque ad mortem, & citò in æternã damnationem abiturus. *Vt*, non solũ consecutionẽ & euentum significat sed etiã causam declarat, causam verò non veram sed apparentem. q. d. vt quod prædixit Pater impleretur Ps. 108. Sicque tacitæ obiectioni respondet, quare non seruasti hunc etiã datum à Patre? Seruaui, inquit, & nemo periit, nisi quẽ tu prædixisti periturum, quem ego non seruaui; non quia non potui, sed quia sciebã te nolle, me eum seruare: volens ergo custodire quæ tu prædixisti non seruaui. Nec tamen Iudas propterea culpa vacauit, quia accepit à Christo talem custodiam & auxilium, vt si voluisset non peccasset. Ex Chrys.

13. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.*] Ad præcedentem sententiã hęc pertinent. *Cum essem*, inquit, *cum eis ego seruabam eos in nomine tuo*, cùm autem nunc ad te veniã & eos relinquam corporali præsentia, peto ne modò destituantur tui nominis & virtutis auxilio, quo ego eos præsens protegebã. Repetit autem hæc verba vt discipuli curã & dilectionẽ, quam erga eos habebat, expressius cognoscerent. Iam, inquit, ad te venio: dum autem hoc breue tempus mihi supereſt visibiliter in mundo existens, loquor hæc, nempe omnia quę dicta sunt; loquor autem & rogo vt hi habeãt gaudium meum impletum in seipsis, id est tales sint quales esse desidero, & quales me gaudio afficient, nempe si sint vnum sicut & nos, & si

habeant

mias 1.c. sanctificatus. Et sanctū dicitur quod à rebus pollutis separatum & ἄγιος sine terra; Hebr. 7. Ex. 29. Leuit. 9. Veritatem interpretantur, non Christum, vt S. Aug. sed Spiritus sancti vnctionem, & sanctificationem, quæ vera non vmbratilis est: & quæ non omnibus Christianis sed ministris Christi in Euangelio datur, quibus propriè conuenit legale illud verbum sanctificari, ideſt, ad certum Euangelij initiari ministerium. Iuxta hanc interpretationem, *Sermo tuus*, ideſt, nouum Euangelium, res vera est, non typica, non vmbratilis, qualis erat lex. Oportet vt eius ministri non solis externis ceremoniis, sed multò magis vera iustitia, internóque Spiritu sanctificentur vt cap. 4. 24. Ex Aug.

v8. Sicut tu me misisti in mundum ita & ego misi eos in mundum.] Causam cur sanctificatio hæc petatur adiungit, & supplendum; quia sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos, ideſt, deputaui, segregaui, & cōstitui, mittēdo in mūdum prædicare, & annuntiare veritatem, quam ego annuntiaturus veni à te missus. Sanctificatione igitur hac maximè indigēt vt per Spiritum sanctum instructi & perfecti munus hoc iniunctum dignè exequi valeant. Misi diuina auctoritate, ea qua à te missus sum: non se ingesserunt, non vsurparunt hoc munus propria auctoritate. Misi, ideſt, mittam, vel quia iam deputati erant, & iam nomē Apostolorum habebant. ex Auguſt. Theophyl. verò coniungit hunc versum cum sequenti in hunc modū: sicut tu me misisti in mundū, vt me sanctificarē, ideſt in sacrificiū offerrem; ita & ego illos mitto in mundum, sicut oues occisionis, vt sanctificen-

tur,

tur, ideſt, in ſacrificium ſe pro ſalute hominum ſuo modo ſimiliter offerant. Sanctifica ergo eos, ideſt, virtute Spiritus ſancti corrobora, vt mortem fortiter oppetant. Alij ſanctificare eſſe initiare & ſolemni ritu legitimũ alicuius miniſtrum conſtituere, dicunt declarari nunc ad quod munus eos à Patre ſanctificari, ideſt, idoneos miniſtros vt ait Paulus fieri petierit, nẽpe ad munus Apoſtolicum: hoc enim eſt in mundum prædicandi cauſa mitti, Apoſtolum eſſe. Sicut Apoſtolus tuus ſum; ita & illi mei ſunt. Nam & Chriſtum Apoſtolum confeſſionis noſtræ Paulus vocauit. Heb. 3.

19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*] Auget argumentum & rationem impetrãdæ ſanctificationis huius. Non, inquit, ſolum miſi eos, ſed pro eis ego ſanctifico, i. meipſum iam iam in hoſtiam ſanctam offeram per mortem, vt virtute & efficacia huius ſacrificij efficiantur ſancti in veritate, i. obtineant hanc ſanctificationem, quæ per Spiritum ſanctum facta eſt in die Pentecoſtes. Ego igitur me ſanctifico, vt etiam ipſi ſint ſanctificati: ego quidem per mortem, ipſi per Spiritus ſancti gratiam, per quam conſecrabuntur, & perficientur veritati prædicandæ. Cyrill. lib. 11. cap. 21. Veritatem pro Spiritu ſancto exponit: nam Spiritus veritas dicitur, ſicque petit vt illis mittat Spiritum ſanctificationis. Chryſoſtomus verò pro doctrina euangelica. Alij ſic exponunt. Offero me in ſacrificium pro illis, vt meo ſacrificio & illi in veritate ſanctificentur, ideſt, iuſtificentur. Sanctificari autem Chriſtum dici, non quod ſanctus factus ſit, cum priùs

ſanctus

quod dedisti mihi det vitam, aut quod dedisti mihi det ei vitam æternam. redundat *eis*. Significat se Deum esse; dare enim vitam æternam Dei est. Vel vitam æternam vocat sui Patrisque cognitionem, dedit autem omnibus quantum fuit in ipso ait Chrys.

3. *Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*] Seusus est, clarifica Filium tuum vt Filius tuus clarificet te, vt per hanc clarificationem & manifestationem qui redempti sunt vitam æternam assequi possint: nam hæc est vita æterna, idest, non aliter ad hanc vitam æternam peruenire poterunt, nisi te cognoscãt verum Deum & Iesum quem misisti, idest, nisi tu clarificeris in eis similiter & Filius tuus homo factus clarificetur. *Hæc est vita æterna*, non formalem sensum, sed causalem facit, nempe hæc est causa vitæ æternæ, & hac sola via consequenda est, nempe fide diuinitatis, & mysterij dispensationis, vt credatur Deus & credatur Christus: articuli enim fidei ad hæc duo reducuntur, ad veritatem diuinitatis, & ad mysterium incarnationis Christi, per quam redemptio perfecta est, sine qua fide nemo vitam æternam habet. Illud autem, *te solum Deum*, non excludit Filium & Spiritum sanctum, sed Deos falsos, quos Gentes colebant: per Euãgelium autem reuelatum est non esse alium Deum præter Patrem Domini nostri, Filium, & Spiritum sanctum. Non ergo excluduntur quia idem & vnus Deus cũ Patre sunt. Ex quo Ariani male inferunt Patrem solum verum Deum esse, Filium excludi: nã cum dicit (*Et*) se simul Deum esse demonstrat. Frequenter Dominus

minus loquitur de vita æterna, non solum secundum eam rationem qua habetur in cœlis post hanc vitam, sed etiam secundum eum modum quo ex parte & inchoatiuè habetur in hac vita: vt cum dixit c. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam*: Sic ergo in proposito loquitur de vita æterna, vt communis est & huic & futuræ vitæ: vita enim æterna habetur hic inchoatiuè per fidem: in cœlis perfectè cognoscendo Deum per visionem. Vt notat Iansſ. & Aug.

4. *Ego te clarificaui super terram; opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.*] Hoc est aliud quod à Patre petit, nempe gloriam & claritatem carnis suæ, completo iam opere suę dispensationis, propter quod se exinaniuerat & vsque ad mortem obediens factus fuerat. Et quasi debitam sibi mercedem petit à Patre, se eam iam meruisse, Patrem prius clarificando & opus consummando, quod sibi perficiendum tradidisset: se iam fecisse quod in se erat: faciat ergo Pater quod in ipso est, seque clarificet. Sensus ergo est, iam ego, ô Pater, te clarificaui super terram: nam carnem assumpsi vt testimonium perhiberem veritati docendo, & prædicando, & annuntiando hominibus salutem. Dicit, *super teram*, nam Pater clarificatus erat ab Angelis, eum videntibus. Quo modo autem clarificauerit Patrem exponit, cum dicit, *Opus consummaui*, quod dedisti vt faciam: perficiendo enim officio, sibi à Patre commendato gloriosiorem, clarioremque apud homines Patrem reddidit: Opus hoc fuit mortem, diabolum, peccatumque morte sua debellare, & vincere; reconciliare homines Patri; deni-

que opus redemptionis ad quod missus est, de quo Ioan. 4. perficere loquitur in præterito, non solũ propter certitudinem rei futuræ, sed quia iam proxima erat, & quod minimũ distat, quasi non distare videtur. Ideirco dicit, *consummaui*. Dicit autẽ, *quod dedisti mihi*, quia filius ratione humanæ naturæ factus est à Patre redẽptor hominum. Io. 13. Denique duo officia eius hæc verba continent, propter quæ venit; nimirum veritatem Dei docere, & mundum redimere: illud fuit clarificare Patrem prædicatione; quod iam fecerat; hoc verò est mori pro homine: quod quia proximum erat, consummasse se dicit. His ergo peractis vt homo petit glorificationem suæ carnis, quæ ex dispensatione donec hæc fierent in humilitate erat. Ex Chrys. & Aug.

5. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te.*] Q. d. reliquum est vt tu, Pater, me clarifices apud temetipsum in cœlis, ea claritate quam habui apud te ab æterno, i. humanitatem hanc meam clarifica, exalta, glorifica, claritate digna filio Dei, qualis ego sum. Et da vt claritas & gloria quam ego, vt Deus, ab æterno tecum habeo, communicetur & extendatur vsque ad carnem meam, quæ propter dispensationem hactenus est suspensa peracta ergo dispensatione diffundatur & extendatur in carnem meã: itaque petit ratione humanitatis clarificari, non claritate quæ deforis accedat, vt nobis accedit, sed claritate propria quam ab æterno habet vt Deus: qũia idem est Deus & homo, glorioſus ab æterno in natura diuina, inglorius in carne propter nostram

nostram salutem. Illud, *nunc*, non tantùm præsens, sed etiam sequens dicit. q. d. Deinceps, seu ex nunc, seu in posterum clarifica me. Illud, *quam habui apud te*, significat, habui apud te tanquam filius tibi æqualis, vt illud, *Verbum erat apud Deum*. Ex Hil. 3. & 9. de Trin. & Aug.

6. *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.*] Postquam Christus petiit vtramque claritatem sibi, nempe nominis sui manifestationem mundo faciendam, & suæ carnis ac humanitatis glorificationem per resurrectionem & ascensionem ad dexteram Patris complendam, ad orandum pro suis discipulis se conuertit. Exponit autem 1. pro quibus orat: *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum* hominibus, ostendendo me esse filium tuum à te missum, aperiendo causam propter quam sim missus, amorem scilicet tuum erga mundum, prænuntiando etiam spiritum quem missurus es post discessum meum, & alia, quæ diuinitatis tuæ opera sunt, docendo. Hæc omnia nota feci ijs quos, inquit, dedisti mihi de mundo. Loquitur Christus vt homo, cui Pater dedit discipulos de mundo. Elegit enim eos de medio aliorum hominum, liberauit à peccatis, fecit discipulos & Apostolos, omnia hæc sunt opera Dei: nemo enim potuit venire ad Christum nisi tractus à Patre. Et aduerte manifestare nomen Patris, esse declarare Deum Patrem esse & filium habere. Iudæi Deum esse rerum opificem nouerant, at Patrem esse ignorabant; Gentibus vtrumque erat ignotum. Nomen Patris est verius quàm nomen Dei: hoc enim est dignitatis & operationis

cuiusdam (ab eo enim quod omnibus prouidet Deus dicitur) illud substātialis proprietatis, vt notat Cyr. l. 11. thes. c. 2. Nomē ergo Dei Christus manifestauit quia Patrē notificauit: simul etiā declarauit eius opera, totū enim ad nominis manifestationē pertinet. Sunt autē de discipulis hæc verba pronūtiata, vt ait Chry. ho. 80.

7. 8. *Tui erant & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt; quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.*] Discipuli dicuntur fuisse Patris non solum ratione creationis, sed æternæ electionis: quia quos elegerat Deus ab æterno, hos dedit Christo ratione humanæ naturæ, vt homo est. Notat non infructuosos fuisse, quia seruauerunt sermonem tuum, insuper crediderunt ea quæ mihi dedisti abs te esse, nempe opera mea & doctrinam diuinam esse, & à te nouerunt procedere: vt 10. 7. & 12. & 10. *Nunc*, nempe cum edocti à me fuerunt. Causa vnde nouerint quæ dedisti mihi omnia à te esse, ea est quia doctrinam, quam mihi vt homini dedisti, ipsis communicaui, eam acceptarunt non vt Iudæi contradicentes. Acceperunt autem eam sic: nouerunt me à te exiisse & à te essemissum: hæc duo crediderunt, nempe me esse filium tuum, hoc est à te exiisse, & venisse in mundum cognouerunt & crediderunt. Eandem fidei notitiam significat, sed cognitio dicitur, quatenus miraculis & signis confirmata erat. Hæc omnia commemorat, vt non immeritò eos Patri commendare, & pro ipsis rogare significet, Cyr. l. 11. c. 18.

9. *Ego*

9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi quia tui sunt.*] Conditionibus discipulorum descriptis nunc preces suas exponit & Patri offert: quid autem precetur & roget infra exponit. Sciebat Pater pro quibus oraret, & quales essent ij pro quibus rogaret: at Dominus expressit hæc verba vt cognoscant discipuli eximiã erga se magistri dilectionem, & quanta beneficia ab eo acceperint, qui dignifacti Christi precibus apud Patrem commendari; & relinqueret exemplum pastoribus orandi pro suis ouibus. Triplicem insinuat causam suæ pro illis ad Patrem orationis. 1. quam hic attingit quia Patris erant. 2. quia clarificatus erat in eis, propterea quod magnam de ipso habebãt existimationem credentes ipsum esse filium Dei & Messiam, vnde idonei erant per quos per vniuersum orbem etiam apud alios clarus fieret. 3. quia cum iam ipse mundum erat relicturus, & ad Patrem iturus, illi adhuc in mundo erant permansuri: vnde non per seipsum, sed per eos clarificandus erat apud alios deinceps: *Non*, inquit, *pro mundo rogo*, id-est, pro perditis hominibus qui suis dediti vitijs, nolunt me sequi, nec in me credere: *sed* rogo *pro his quos tu mihi dedisti*, quos tu elegisti. At Christus erat pro crucifigentibus. Luc 1. 2. Cor. 5. 1. Tim. 2. Vult omnes saluos fieri. Respondeo quod duplex est eius mors & oratio distinguenda: altera sufficiens quidem, sed non efficax: altera & sufficiens & efficax. Si priori modo illo & mortẽ & orationem Christi consideres, & pro omnibus hominibus mortuus, & pro omnibus orauit: nam & eius mors satis habuit meriti ac vis, vt omnes homines

mines liberaret, & eius prima & antecedens voluntas erat, vt omnes liberarentur. Ideóque apud Luc. 23. pro omnibus orauit. Si autem spectes effectum, quia is non ex sola Christi, sed ex hominum etiam, qui saluandi erant, voluntate pendebat, quia non omnes oblatum à Christo redemptionis beneficium accipere voluerunt, non omnes salui facti sunt, neque pro omnibus orauit, sed pro ijs qui credidissent. Alio denique sensu pro omnibus quã pro discipulis suis & iustis orauit: nam pro omnibus vt crederent & iusti fierent, sicut nos pro hæreticis oramus: pro discipulis & iustis, vt eos conseruet & det illis vitam æternam. Ita Chry. & Aug.

10. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.*] Secundam attingit rationem quare se Pater pro discipulis orantem exaudire debeat. Et sensus est, dixi, ô Pater, tui erant & dedisti mihi; ne verò aliquis hæc verba audiens me hominem merum esse, accipientem à te quę non habeam, iudicet, adiungo, mea omnia tua esse, quia à te procedo, & substantiam meam à te habeo: omniáque tua mea sunt, quia tu genuisti me, & omnia tua communicasti. Vt ergo indiuisibilitas, & vnitas intelligatur & credatur, dico mea esse tua, quia quæ habeo simul habes, & tua sunt mea, quia non desinunt esse tua eo quòd mea sunt: eadem enim est potentia, idem dominium Patris & Filij. Addit, *& clarificatus sum in eis*, id est crediderunt mea omnia tua esse, & tua mea esse, credentes me Dei filium verum esse, & vt talem coluerunt & obseruarunt. Aug. ad fideles refert, præteritum pro futuro interpretans.

tans. Sed accomodatius ad discipulos. Cyp. l. 11. c. 19.

11. *Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.*] Attingit 3. rationem quod ipse, qui eos hactenus, tanquam Pater filios, protegebat, de mundo discedat, illosque orphanos derelinquat, nisi illis Pater adsit. Dicit, *iam non sum in mundo*, non quod tunc non esset: *Et* pro quia, *ad te venio*: nam reddit causam, cur dixerit se iam in mundo non esse: quia, inquit, ad te venio. Hebr. ex Chrys. & Aug.

Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.] Declarat quid à Patre pro discipulis roget & petat, nempe vt eos seruet, & vt vnum esse inter se faciat. Oratio autem & humanitatis humilitatem, & deitatis continet gloriam: rogat vt homo, loquitur vt Deus: vtrumque miscet, vt se vtrumque significet. Patrem Sanctum appellat, vel vt blande alliciat, vel quia quæ sanctitatis sunt rogat. *Serua*, inquit, *eos in nomine tuo*; ideſt, tua virtute & potentia, conserua hos in gratia, charitate, dilectione, & vita: ne à Iudæis nunc occidantur, ne in tentationibus succumbant. Serua eos, non vt diuites sint, non vt voluptuosè viuant: sed vt sint vnum sicut & nos vnum sumus, concordes, vnanimes, pacifici inter se in vno spiritu, vna fide, vna charitate: vt Act. 4. Similitudo hæc est, non æqualitas. Nam filius & Pater vnum sunt, quia vna est substantia numero, eademque voluntas: at fideles non hanc possunt habere vnitatem, sed similem, vt idem velint, & idem nolint, concordes sint, vno spiritu moti & gubernati. Abutebantur

bantur hoc loco Ariani existimantes, Filium non nisi voluntate & concordia esse vnum: cùm natura etiam & voluntate sit vnum cum Patre: & rogabat vt discipuli qui erant vnum inter se natura, essent etiam vnum voluntate cum Patre, sicut & ipse vnum erat: vt notat Amb.

12. *Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo.*] Causam, impetrandique rationem adiungit, & est sensus, quando eram corporali præsentia cum eis ego seruabam eos in nomine tuo, i. virtute diuinitatis; nunc autem discedo; non igitur priuentur propter meum discessum hac custodia & protectione nominis tui: sicut nec in mea præsentia priuati sunt. Loquitur vt homo, & seruasse dicit discipulos non humana, sed diuina Patris virtute, quæ sua etiam erat, tanquam Dei. Et vis argumenti hæc est, Si in mea præsentia hac tua virtute seruati sunt; æquum est vt in absentia etiam seruentur, cùm maior subueniendi & auxiliandi sit causa. Ex qua expositione cessat id quod concipere aliquis posset, nempe, ego seruabam eos, modò tu serua, quasi vnus alteri succedat in custodia. Hic sensus valde carnalis est, vt dicit Augustin. tract. 107.

Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur.] Q. d. Cùm eram cum eis corporaliter præsens, seruabam illos tua virtute & potentia, & efficax erat custodia, nemo enim ex eis periit quos mihi dedisti, sed à me omnes sunt conseruati, præter vnum qui filius fuit perditionis, Iudam nempe. Hebr. filius sapientiæ qui sapientiam

custodit,

custodit, filius perditionis qui peccatis indulget, Basil. & Cyr. l. 11. c. 21. Perditio hoc loco significat peccatum extremũ æternam damnationem inducens, quale fuit Iudæ, quia impœniteus vsque ad mortem, & citò in æternã damnationem abiturus. *Vt*, non solũ consecutionẽ & euentum significat sed etiã causam declarat, causam verò non veram sed apparentem. q. d. vt quod prædixit Pater impleretur Ps. 108. Sicque tacitæ obiectioni respondet, quare non seruasti hunc etiã datum à Patre? Seruaui, inquit, & nemo periit, nisi quẽ tu prædixisti periturum, quem ego non seruaui; non quia non potui, sed quia sciebã te nolle, me eum seruare: volens ergo custodire quæ tu prædixisti non seruaui. Nec tamen Iudas propterea culpa vacauit, quia accepit à Christo talem custodiam & auxilium, vt si voluisset non peccasset. Ex Chrys.

13. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.*] Ad præcedentem sententiã hęc pertinent. *Cum essem*, inquit, *cum eis ego seruabam eos in nomine tuo*, cùm autem nunc ad te veniã & eos relinquam corporali præsentia, peto ne modò destituantur tui nominis & virtutis auxilio, quo ego eos præsens protegebã. Repetit autem hæc verba vt discipuli curã & dilectionẽ, quam erga eos habebat, expressius cognoscerent. Iam, inquit, ad te venio: dum autem hoc breue tempus mihi supereſt visibiliter in mundo existens, loquor hæc, nempe omnia quę dicta sunt; loquor autem & rogo vt hi habeãt gaudium meum impletum in seipsis, id est tales sint quales esse desidero, & quales me gaudio afficient, nempe si sint vnum sicut & nos, & si

habeant

habeant & consequantur quod rogo. Sensus est hæc loquor, ô Pater, vt cõcedas discipulis meis idem sapere, eandem charitatem habere, vnanimes esse, idem sentire, & vnum esse: sic enim implebunt gaudium meum in seipsis, seu habebunt gaudium meum impletum in semetipsis. Et est argumentum efficax impetrandi à Patre, quo petuntur ea quæ gaudio afficiunt filium. ex Chrys. & Aug.

14. *Ego dedi eis sermonem tuum & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo sicut & ego non sum de mundo.*] Iam alterum rogat vt contra persecutiones mundi à Patre protegantur & defendantur, quia persecutiones sunt propter Patrem & Christum ipsum passuri, vt cuius causa patiuntur ab eo adiuuentur. Sermonem Patris vocat doctrinam Euangelicam suam quam illis tradiderat. Patris vocat vt ratio subueniendi plus haberet ponderis. Vel quia plus apud homines habitura erat auctoritatis, si Patris quàm si suam esse diceret. *Mundus*, id est, mali & increduli, qui doctrinæ contradicunt. ex Aug.

15. *Non rogo vt tollas eos de mundo. sed vt serues eos à malo.*] Vt tollas, per mortem scilicet temporalem, ab odio & mundi persecutione tã Iudæorum quàm gentium: quod aliquando licet pro aliis petere vt à morte præuenti à peccandi periculis, quibus tenentur, liberi in iustitia suscepta securi decedant. Sed rogo vt cum adhuc in mundo sint permansuri eos à malo serues. Non rogo vt eos tollas de mundo nunc sicut ego à mundo discedo. Hæc verba propter audientes discipulos dicta sunt: Deus enim non indigebat istis declarationibus. Debebãt discipuli

puli multa pati, vt magnam coronam mererentur, ideo non erant tunc tollendi. Græc. legitur cum artic. Serues eos ab isto malo, peccato, seu dæmone peccati auctore, vel specialiter à malo isto secessionis. ait Beda.

16. *De mundo non sunt; sicut ego non sum de mundo.*] Ideo hoc repetit vt audientium discipulorum animas magis confirmaret. Sunt qui referunt ad sequentia. Quia ergo de mundo non sunt, vt dixi, sicut & ego non sum de mundo, sanctifica eos, sicut & ego sanctificatus sum. vt Aug. & Beda.

17. *Sanctifica eos in veritate. sermo tuus veritas est.*] Tertium petit à Patre pro discipulis; nempe vt in veritate sanctificentur. *Sanctifica eos*, inquit, *in veritate*, vt sint etiam sancti, sicut ego sanctus sum. Sanctificare in veritate, est per Spiritum sanctum veritatem Euangelicam perfectam infundere, vt fiant doctores & magistri doctrinæ euangelicæ. Et hoc per Spiritum sanctum, qui non nuda verba & conceptus doceat, sed gratiam infundat: vt fiãt digni magistri & doctores tantæ doctrinæ, vt sanctè veritatem accipiant, & doceant: cum enim futuri essent orbis magistri, petit Christus à Spiritu sancto dignos fieri doctores omni instructos veritate & virtute, vt vita respondeat doctrinæ. Quæ autem sit hæc veritas in qua sanctificandos & conseruandos rogat, exponit: *Sermo tuus veritas* hæc *est*, sermo hic doctrina Christi est quæ dicitur Patris, quia diuina erat & ex diuinitatis beneplacito tradita. Chrysost. ait hic sanctificare idem esse quod segregare, designare, constituere prædicatorem Euangelij. Sic Paulus dicitur segregatus Ro. 1. Gal. 1. & Ieremias

mias 1.c. sanctificatus. Et sanctũ dicitur quod à rebus pollutis seperatum & ἅγιος sine terra; Hebr. 7. Ex. 29. Leuit. 9. Veritatem interpretantur, non Christum vt S. Aug. sed Spiritus sancti vnctionem, & sanctificationem, quæ vera non vmbratilis est: & quæ non omnibus Christianis sed ministris Christi in Euangelio datur, quibus propriè conuenit legale illud verbum sanctificari, ideſt, ad certum Euangelij initiari ministerium. Iuxta hanc interpretationem, *Sermo tuus*, ideſt, nouum Euangelium, res vera est, non typica, non vmbratilis, qualis erat lex. Oportet vt eius ministri non solis externis ceremoniis, sed multò magis vera iustitia, internóque Spiritu sanctificentur vt cap. 4. 24. Ex Aug.

v8. Sicut tu me misisti in mundum ita & ego misi eos in mundum.] Causam cur sanctificatio hæc petatur adiungit, & supplendum; quia sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos, ideſt, deputaui, segregaui, & cõstitui, mittẽdo in mũdum prædicare, & annuntiare veritatem, quam ego annuntiaturus veni à te missus. Sanctificatione igitur hac maximè indigẽt vt per Spiritum sanctum instructi & perfecti munus hoc iniunctum dignè exequi valeant. Misi diuina auctoritate, ea qua à te missus sum: non se ingesserunt, non vsurparunt hoc munus propria auctoritate. Misi, ideſt, mittam, vel quia iam deputati erant, & iam nomẽ Apostolorum habebant. ex August. Theophyl. verò coniungit hunc versum cum sequenti in hunc modũ: sicut tu me misisti in mundũ, vt me sanctificarẽ, ideſt in sacrificiũ offerrem; ita & ego illos mitto in mundum, sicut oues occisionis, vt sanctificen-

tur,

tur, ideſt, in ſacrificium ſe pro ſalute hominum ſuo modo ſimiliter offerant. Sanctifica ergo eos, ideſt, virtute Spiritus ſancti corrobora, vt mortem fortiter oppetant. Alij ſanctificare eſſe initiare & ſolemni ritu legitimũ alicuius miniſtrum conſtituere, dicunt declarari nunc ad quod munus eos à Patre ſanctificari, ideſt, idoneos miniſtros vt ait Paulus fieri petierit, nẽpe ad munus Apoſtolicum : hoc enim eſt in mundum prædicandi cauſa mitti, Apoſtolum eſſe. Sicut Apoſtolus tuus ſum ; ita & illi mei ſunt. Nam & Chriſtum Apoſtolum confeſſionis noſtræ Paulus vocauit. Heb. 3.

19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*] Auget argumentum & rationem impetrãdæ ſanctificationis huius. Non, inquit, ſolum miſi eos, ſed pro eis ego ſanctifico, i. meipſum iam iam in hoſtiam ſanctam offeram per mortem, vt virtute & efficacia huius ſacrificij efficiantur ſancti in veritate, i. obtineant hanc ſanctificationem, quæ per Spiritum ſanctum facta eſt in die Pentecoſtes. Ego igitur me ſanctifico, vt etiam ipſi ſint ſanctificati : ego quidem per mortem, ipſi per Spiritus ſancti gratiam, per quam conſecrabuntur, & perficientur veritati prædicandæ. Cyrill. lib. 11. cap. 21. Veritatem pro Spiritu ſancto exponit : nam Spiritus veritas dicitur, ſicque petit vt illis mittat Spiritum ſanctificationis. Chryſoſtomus verò pro doctrina euangelica. Alij ſic exponunt. Offero me in ſacrificium pro illis, vt meo ſacrificio & illi in veritate ſanctificentur, ideſt, iuſtificentur. Sanctificari autem Chriſtum dici, non quod ſanctus factus ſit, cum priùs

ſanctus

sanctus non esset, sed quòd in veteri lege hostiæ, quæ offerebantur, sanctificari dicerentur, Exo 13. Sic Athan. Chry. Cyr. Alij dicunt vt v. 17. hic alluſisse ad sanctificationes illas legales, & solemnes ceremonias: ideóque sanctificandi verbum vsurpasse. Petierat à Patre, vt discipulos suos in veritate, ideſt, non iam veteribus illis ceremoniis & sacrificiis quibus ministri veteris testamenti sanctificabantur, ideſt, instituebantur (nam inter alias ceremonias sacrificiũ adhibebatur cum Aaron & reliqui ministri sacrabantur Exod. 29.) sed pro vero Spiritu, veráque & interna sanctitate. Dicit nunc, *Pro eis ego sanctifico meipsum.* Q.d. Loco illius sacrificij & omnium aliarum ceremoniarum, quæ in cõsecratione & sanctificatione ministrorum veteris testamenti adhibebantur, ego me in sacrificium offero. Quod sacrificium cum non iam in vmbra, sed illarum potius vmbrarum veritas sit, cùm eo sãctificati mei discipuli fuerint, non sola iam figura, sed in veritate sanctificati erunt. Hoc est *Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Sic Chryſ.

20. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*] Postquam primum pro se, deinde pro Apostolis orauit, orat iam tertiò & pro reliquis fidelibus, qui vsque in finem mundi futuri sunt. Hac orationis parte non solum nobis magnam occasionem consolationis relinquens, sed etiam ipsis Apostolis, dum significat eos multos habituros discipulos, nec sic mundum odio eos habituruni quin ex mundo multi etiam eos sint secuturi. Sic Ianſ. Rogat igitur pro omnibus fidelibus, quos distinctè ac perfectè, ac si

præſen

præsentes essent, videbat in essentia diuina, non solùm vt Deus, sed vt homo, sicuti vt homo rogat & orat. Si quis quærat sub qua orationis parte Paulus comprehendatur, eo quod dicat se non ab hominibus edoctum, sed per Iesum Christum; Dici potest secundum Aug. etiã sub hac orationis parte comprehensum, quia per illud idem verbum credidit, quod Apostoli prædicauerunt, etsi illud non acceperit ab Apostolis sed immediatè à Iesu Christo: vt Nathanael & Centurio quos imperfectè credidisse dici potest, & postea per verbum Apostolorum credidisse. Quamquam & ad priorem orationis partem dici possit pertinere, vt qui Apostolis annumerari meruit, & electus sit, non vt per alios crederet, sed vt per ipsum à Domino edoctum álij crederent. Iansen. Vel dicendum, verbum Apostolorum dici non tantum quod ab illis audiebatur, sed verbum euangelicum à quocumque audiretur. Vel à maiori parte fieri denominationem. Iustin. lib. 9. contr. Gentes. resp. 23. notat hanc Christi orationem; quæ pro discipulis facta est, non comprehendisse Iudam, nam iam Iudas recesserat, imò Christus à discipulorum numero excluserat, dicens periisse tanquam filium perditionis.

21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*] Exponit quæ petat pro omnibus credentibus. Primum est, quod etiam pro discipulis rogauerat, nempe vt vnum sint idem sentientes, idem sapientes, inuicem diligentes, vnanimes & concordes: vt Act. 4. impletum est. Aduerte hanc visionem charitatis pro credentibus à Patre peti; non autem pro incredulis: his enim fides potiùs

tiùs est petenda, vt credant: ideo hæc oratio pro mundo non est. Alterum, quod petit, est, vt vnum sint in nobis sicut tu in me, & ego in te, (intellige) vnum sumus. Nota duplicem esse fidelium vnitatem: prior est inter ipsos: vniti enim sunt, & faciunt vnum corpus, vnitate fidei vnius eiusdem religionis & mutuæ inter se charitatis. Altera est cum Deo & Christo: per gratiam enim, fidem, & charitatem, & Spiritum Deo vnimur & coniungimur, & in ipso manemus, & ipse in nobis: de qua vnione 1. Ioa. 4. Fide igitur & charitate non solũ inter se vniũtur fideles, sed etiam cum Deo & Christo Domino. De hac duplici vnione sententia præsẽs intelligenda est: Illud quidem, *vt omnes vnum sint*, de prioti vnitate, qua vnum sunt inter se fideles concordia, & pace, quæ ex fidei vnitate & charitate nascitur: Verba autem ista, *vt sint vnum in nobis, sicut ego in te & tu in me*, de posteriori vnitate; qua vnum efficimur cũ Deo & in ipso manemus, & ipse in nobis. Non est autem æqualis similitudo accipienda, vt falsò Ariani putabant, quia vnitatis diuersa est ratio. Nam Filius & Pater per naturam, nos verò illis vnimur per gratiam. Vel sicut creatura in creatore suo, ait Aug.

Vt credat mundus quia tu me misisti.] Fructum ex hac vnione exponit. Mundus, inquit, agnoscet me à te esse missum. Hoc loco per mundum credentes de mundo significat. Mundus ergo audiens tam miram & inauditam vnitatem, vt inter se, & in ipso Deo credentes vnum efficiantur, inducatur faciliùs & efficaciùs ad credendum me esse filiũ tuum, per quem talis vnio facta est: nemo enim tali vnitate fideles

vnire

vnire posset nisi Filius Dei; nisi enim Filius Dei corpus induisset, nũquam homines ad hoc peruenissent, vt vnũ essent in Deo, & Deus in eis, & ipsi in Deo manerent. Sic Tol. Chrys. verò & Theoph. per mundum intelligunt eos qui nõdum credunt. Alij eos qui neque credebãt, neque erant credituri: & sensus est, Mundus iste quãtumuis incredulus, & mihi aduersarius, videns tamen summã discipulorũ charitatem & concordiam, cogatur credere, ideſt, cognoscere & cõfiteri me à Deo missum esse, ideſt, non esse, vt nunc putant, seductorem, sed hominem saltem diuinum, quamuis nihil præterea de me, meáque diuinitate credat: vt 1. Pet. 2. 15. Ex Hil. 4. de Trin. Chrys. & Aug.

22. *Et ego claritatem quã dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.*] Postquã rogauit Patrem vt vnum faceret, & inter se & in Patre & Filio, quæ vnio per Spiritũ S. efficienda erat, addit se dedisse eis claritatem quã à Patre accepit, qua vnum etiam sint sicut & Pater & Filius vnum etiam sunt. q. d. Ego iam eos effeci vnum per meam claritatẽ, quam à te accepi, da tu ô Pater Spiritum S. vt vnum etiã fiant. Claritas hæc, inquit Cyr. est diuinitas ipsius filij, quã vt homo dicit se accepisse à Patre per vnionẽ hypostaticam. Hãc diuinitatem vnitã carni suæ dedit nobis Christus in Sacramento, quod tunc quando hæc loquebatur iam instituerat, discipulisque communicauerat, pro suisque fidelibus reliquerat: quo maximè vniuntur inter se & in Deo, quantum ad realem quandam & corporalem vnionem. Animarum autem vnitas qua Spiritus sancti gratia vniuntur, maxime in Spiritus sancti aduentu effecta est;

& hanc nunc rogat & petit: illam enim, quæ Sacramento sui corporis fit iam dederat. Chrys. ait claritatem eam esse quam sua doctrina & miraculis comparauerat, quam suis discipulis cõmunicauit, quia maiora quàm ipse fecerunt miracula. Alij gloriam quam vita æterna erãt habituri, quam iam per prædestinationem æternam acceperant. Alij honorem vt filij Dei nominentur, & sint. Alij dilectionem qua Pater se & ipsos discipulos prosequebatur. Eam autem dedit Filius discipulis moriens pro ipsis: mortem enim suam vocat etiam claritatem.

13. *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.*] Exponit modum quo vnio hæc claritatis & diuinitatis fiat. Ego, inquit, in eis sum per carnem meam in cibum verum & realem eis datam; tu autem in me es, quia diuinitas tua est carni meæ vnita. Si igitur diuinitas est in carne, & caro est in credentibus, fit vt diuinitas etiam sit per mediam carnem Christi: habent ergo credentes in se, & carnem Christi, & per eam diuinitatem in se, fiuntque vnum, & quandam habent vnitatem per Christum ratione carnis suæ, & sic cõsummantur in vnum, ideſt, fiunt vnum perfectè, dum non solùm vniuntur inter se & cum Deo, quantùm ad animas quod fit per Spiritum sanctum, sed etiam quantum ad corpora ipsa. Chrys. Ego in eis sui per claritatem manẽdo in eis per charitatem, vt cap. 14. Sicut Pater per eandem charitatem in se manebat. *Vt sint consummati*, ideſt, vt sic ad gloriam & perfectionem vitæ æternæ perueniant; cui nihil addi potest. Alij de hac vita interpretantur, vt Mald.

Et cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dile

dilexisti eos, sicut & me dilexisti.] Ex hac claritate quam dedi eis duo cognoscent fideles. Alterum est me esse filium tuum, à te missum: non enim aliter vniri poterant nobiscum nisi diuinitatem haberent in ea carne quam dedi eis. Alterum est, te dilexisse eos sicut & me dilexisti, ideſt, quod beneficium contulisti mihi homini, nempe diuinitatem tuam, dedisti etiam eis, & eos tibi, sicut & me vni re voluisti. Mundum appellat credentes ipsos qui in hoc quod dictum est maximè dilectionem Patris agnoscunt, & Filij diuinitatem confitentur. Et loquitur de dilectione qua eius humanitas, ita est à Patre dilecta, vt verbum & diuinitatem ei vnierit & copulauerit. Ex Hilar.

24. *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*] Postquam precatus est suis Dominus id quod in præsenti vita eis erat necessarium, precatur eis nunc & gloriæ & fœlicitatis consortium post hanc vitam, & consolatur significans eos sibi coniungendos, non amplius in tentationibus ferendis, sed in gloriæ consortio: & vt hac spe confortentur in laboribus, *Pater*, inquit, *volo*, ideſt, percupio, desidero, ait Cyr. Chrys. vt Math. 12. Mar. 6. Io. 10. vt omnes ij credentes saluandi potissimum Apostoli, quos dedisti mihi, sint vbi sum ego; nempe in cælesti regno, vt etiam videant diuinitatem, & gloriam meam, quam mihi dedisti, & huic carni vniuisti: Nã ratione diuinitatis regnabat in cœlis, erátque ibi, vt Ioh. 3. *Vt videant claritatem*: non dicitur vt

habeant, quia nostra beatitudo est visio diuinitatis. Christus quidem habet diuinitatem, beati autem vident, vt notat Amb l.5. de fide cap.3. Vel *videant*, ideſt, fruantur, vt cap.3.36. Quod ait, *Quia dilexisti me ante mundi constitutionem*, loquitur vt homo, cuius humanitas sic est à Deo dilecta supra omnem creaturam, vt ei diuinitas vnita, & ad hanc dignitatem & excellentiam erecta, vt homo ille Deus esset: hæc autem dilectio non noua fuit, sed ante mundi constitutionem: fuit enim ab æterno electa, & dilecta illa humanitas vt verbo vniretur: quamuis in tempore vnita sit. Ideirco ante mundi constitutionem dilectus dicitur vt homo. Sunt qui de ea interpretantur dilectione qua Pater Deus, Filium Deum ab omni dilexit æternitate. vt Theod.

25.26. *Pater iuste mundus te non cognouit: ego autem te cognoui; & hi cognouerunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam.*] Postquam orauit petens præmium & beatitudinem suis à Patre, iustitiam petitionis exponit: æquum enim erat vt ij essent vbi Christus erat, & viderent claritatem eius, qui non credente mundo crediderunt, & Christo adhæserunt. Hac de causa Patrem appellat iustum: quia retributio iustitiæ est 2.Tim.4. Vel gratias agit, vt Luc.10 21. Inter tot incredulos credere laude dignum est & præmio. Eam autem cognitionem non eos à seipsis habere significat, sed quia edocti ab eo sunt; ideo ait, *Et notum feci*, ideſt, quia notum feci eis *nomen tuum*, nempe te esse Patrem meum: propterea te nouerunt. Filius per se nouit, cæteri ex reuelatione. Addit, *Et notum faciam*, ideſt, adhuc maiorem

maiorem diuinitatis & nominis tui cognitionem præstabo. Quod factum est post resurrectionem, quando eis diuinas Scripturas aperuit: & perfectiùs effectum est quando misit eis Spiritum sanctum, vt ait Chrys. Hom. 81. Ad manifestationem gloriæ refert Aug.

Vt dilectio qua dilexisti me in ipsis, & ego in ipsis.] Causam huius manifestationis factæ & faciendæ exponit, vt simili dilectione qua me dilexisti eos diligas, vt sicut similes sumus ego & ipsi in tui cognitione, simus etiã in dilectione, vt sicut me tãquam Filium diligis, etiã filiali dilectione eos tanquam filios diligas. Subiungit autem causam dilectionis huius, dicens: *Et ego in eis*, id est, quia ego in eis sum, & inhabito per fidem viuam. Et sensus est, Notum feci & adhuc notũ faciam nomen tuum in eis, quia sic ero in eis: hoc autẽ facio vt diligantur à te tanquam filij, quia ego, qui filius tuus sum, in ipsis sum & habito. Nec absque mysterio dicit, dilectio sit in ipsis, cũ potuisset dicere, diligas eos. At vt significet quando Deus diligit, ipsam dilectionem, quæ Spiritus sanctus est, esse in dilectis per gratiam; ideo dicit, dilectio sit in ipsis. Theoph. Sic intelligit, vt dilectio qua me dilexisti, sit in eis per cognitionem, id est, vt agnoscant quali & quanta me dilexeris charitate; nempe quòd tanquam filium vnigenitum, & sic ego in eis sim per fidem maiorem, vt pote perfectiùs eis notus. Iansen. Ruper. Vt Spiritus sanctus, qui est dilectio qua tu me diligis, in ipsis sit. Vel vt ea dilectione, qua me dilexisti, eos diligas, id est, vt facti per fidem & charitatem vnum corpus, quemadmodum à te diligior & illi diligantur. Ex Aug. Cyr. & Beda.

CAPVT XVIII.

Capitur in horto, & accusatur.

1. *HÆc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit ipse, & discipuli eius.*] Finita oratione eo loco in quo cœnauerat, cap. 13. ex eo nunc egressus properat ad locum in quo quærendus & inueniendus erat ab hostibus, vt diximus apud Matth. 26. Mar. 14. & Luc. 22. Credibile est hortum Gethsemani in quem Matth. & Mar. Dominum orandi causa ingressum esse dicunt, non in monte ipso Oliuarum, sed ad radicem montis post torrentis ripam fuisse. In quo Iudas sciebat eum totas noctes orando consumere solere. Fecit non vt lateret, sed quæsituris obuiam occurreret. Vide Mat. 26.

4. *Iesus itaque sciens omnia qua uentura erant super se, processit & dixit eis: Quem quæritis?*] *Sciens.* q. d. Euangelista, quamuis non ignoraret quem quærerent, interrogauit tamen, vt ostenderet se minimè timere.

5. *Responderunt ei: Iesum Nazarenum.*] Hinc apparet nondum milites, ac ne ipsum fortasse Iudam etiam secum loquentem cognouisse. Quî autem fieri potuerit vt ipsum non cognoscerent diximus apud Mat.

6. *Vt ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.*] Non dubium quin hac in re suam diuinam potentiã ostendere voluerit,

rit, vt intelligerent aduersarij potuisse illum ab illis non capi, si voluisset: vt ait Chrysost. Theod. Aug. Fecit autem vt viso miraculo nullam culpæ suæ haberent excusationem, ait Ruper. Retrorsum cadunt eo quòd ante se stantem & loquentem sustinere non poterant: vt arbores vi ventorum non in eam partem vnde flant, sed in oppositam cadunt.

7.8. *Iterum interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis: quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.*] Quos verbo prostrauit verbo erigit: & ait, si me solum quæritis, permitto vt me capiatis, modò hos sinatis liberos abire. Cætera apud Mat. 26.

CAPVT XIX.

Flagellatus & coronatus traditur crucifigendus.

1. *TVnc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit: & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circundederunt eum.*] Remisso Domino ad Pilatum ab Herode, factum est quod Mat. 27. narrat: *Non audis quanta aduersùm te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, itaut miraretur præses vehementer.* Post hæc adiunxit Luc. 13. *Conuocatis Principibus Sacerdotum & Magistratibus & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: Et ecce ego coram vobis interrogans*

nullam causam inuenio in homine isto, ex iis, in quibus eum accusatis: sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est illi. Emendatum ergo dimittam illum.] Post hæc proposuit plebi petens & rogans vtrũ vellet eum dimitti, cum autem nec sic liberace eum posset, decreuit flagellare, si fortè hac pœna accusatores pacarẽtur. Est hoc est quod Ioannes dicit. Illa autem particula, *ergo*, indicat causam flagellationis, nempe cùm nollet plebs dimitti Iesum, sed Barrabam. Vide apud Mat. cætera. cap. 27.

4. *Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia in eo nullam inuenio causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo.*] Pilatus iterum prætorio egreditur vt Iesum Iudæis ostẽdat, & adhuc eo præsente, se causam non inuenire, nec habere eum damnandi publicè protestatur: quo facto in seipsum sententiam fert, qui in innocentem tam crudeliter sæuierit. Cum autem tormentorum vi & vestimẽtorum commutatione agnitum iri dubitaret, verbo & digito ostendit eis: *Ecce homo*, iam non Rex Iudæorum. Ipsemet Christus tunc se Patri ostendit acceptissimum sacrificium pro ipsomet Pilato, inimicis, & omnibus hominibus: vt apud Mat. 27.

6. *Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.*] *Ergo.* q.d. Quia viderunt in maiorem furorem prouocati sunt, velut feri canes, qui solo risu adlatrant, instanter & ardenter crucifigi petentes. Reliqua apud Mat. 27.

7. Nos

7. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit : & ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu?*] Cum accusatio affectati regni euanuisset, & à Pilato innocentem declaratum esse viderunt, nouum coguntur Iudæi crimen inferre blasphemiæ, quòd cùm homo sit se esse Dei filium dixerit. Non exprimunt legis pœnam Leuit 24. quia non lapidari sed crucifigi eum cupiebant. At Pilatus eo ipso magis à damnãdo retardatur: & quem innocẽtia Christi priùs à damnationis sententia ferenda retrahebat, nunc diuinitatis origo asserta deterret : quodque perpetrare antea timebat propter iniustitiam, nunc horrere incipit propter impietatem : vt notat Cyr. l. 12. c. 20. Pilatus multitudini deorum Gentium assuefactus, facilè fieri posse Christum, quamuis hominem, Dei alicuius filium esse, suspicatus est. Iterum ergo prætorium cum Christo ingressus ipsum secretò interrogat: Vnde es tu ? vide Mat. 27.

16. *Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur*] Particula, *ergo*, indicat sensum, q. d. Cum vidisset Pilatus se nihil proficere, nec vlla ratione ab impio proposito illos diuerti posse, timens accusationem apud Cæsarem, tradidit Christum vt crucifigeretur : omisit enim Ioannes quæ hoc loco retulit Mat. c. 27.

CAPVT XX.

Resurgit Christus, & apparet Magdalenæ, & congregatis in domo discipulis.

1. *VNa autem Sabbati.*] Incipit Euangelista dominicam resurrectionem narrare, & qua ratione primò manifestata fuerit describit. Initium autem sumit à tempore aduentus Mariæ Magdalenæ, cui ante ipsos etiam Apostolos visus est. *Vna*, inquit, *Sabbati*, ideſt, prima die hebdomadæ quæ dies dominica apud nos dicitur: quam apparitionem & quæ hic sequuntur vide apud Mat. 28.

19. *Cum ergo serò esset die illo, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum.*] Ad narrandam apparitionem discipulis factam Euangelista se conuertit, & circunstantias multas describit, nempe temporis, loci, personarum, modi & vtilitatis, seu fructus ex ea proueniens. Incipit a tempore, dicit eodem die quo resurrexerat, quæ vna, i. prima dies hebdomadis erat, quæ nunc Dominica vocatur. Quinquies iam ante illo ipso die quo resurrexerat diuersis aut discipulis, aut mulieribus, diuersis in locis apparuerat. Sexto decem nunc discipulis Hierosolymæ domi latentibus apparuit. Eodem die quo Magdalenæ, imò eodem die quo suæ primum matri, deinde Magdalenæ, tertio illi, aliisque mulieribus, quarto Petro. 1. Cor. 15. & Luc. 24. Quinto duobus discipulis euntibus.

tibus in Emaus apparuerat. Serò, i. iam ad sōlis occasum : vt rationem redderet cur fores essent clausæ, vt Christi commendaret diligentiam, & eorum confirmaret fidem. Fortè vt congregatos inueniret : vt putat Chrys. Locum & personas describit cum dicit & fores essent clausæ, vbi erant discipuli, ne pateret aditus alicui nocere volenti : & ad declarandam futuri miraculi magnitudinem pertinet, quòd cùm fores essent clausę, tamen per eas Christus ad discipulos penetrauerit. Nec quisquam ante Caluinum negauerat : vt ex clauso matris vtero exierat, & ex sepulchro nondum reuoluto. Ita Iustin. q. 117. Chrys. ho. 2. de Ioan. Bapt Hil. 3. de Trin. Aug. Amb. ser. 10. in Ps. 118. Epiph. hær. 64. Cyr. l. 12. c. 43. Theod. Rup. Petrus etiam per fores carceris penetrauit, cùm id Euangelista significet: cum enim dicit, portam ferream vltro illi apertam fuisse, carceris verò portam non dicit, non obscurè indicat non aperta carceris porta exiisse. Meliores autores quam Caluinus, ita sentiunt, vt Rup. & Mald.

Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis : Pax vobis.] Quam vim habeat hoc verbum, *stetit*, modo diximus ; non apertis scilicet foribus, nullo dato ingressus sui iudicio subitum atque improuisum in medio constitisse, vt scilicet qualitatem suæ resurrectionis significaret. In medio stat vt ab omnibus facilius videri & tangi possit : non sedet sed stat, vt se non in hoc seculo permansurum, sed aliò properare significet. Accommodatè autem ad eorum statum hac salutatione vsus est, *Pax vobis*, etsi alioqui inter Iudæos vulgaris erat, vt Mat. 10.

Erant enim in maximo timore, ideo fores erant obseratæ : vt igitur eum illis timorem pellleret statim dicit, *Pax vobis*, ad significandum aduentum esse pacificum. Iud. 6. 1. Reg. 6. Et vt significaret fructum mortis & Resurrectionis, nempe pacem & reconciliationem hominum cum Deo : quam nascente Christo Angeli promiserant, *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

20. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus.*] Opere etiam illorum confirmat fidem: ostendit enim eis vestigia suæ passionis vt non alium se, quàm Christum se ostenderet, & non alio, quàm quod crucifixum fuerat, corpore surrexisse : vt Cyr. Leon. Theod. scribunt. Palpandum etiam se exhibuit, vt corporis soliditatem & consistentiam experirentur: vt docet Luc. ne phantasma putaretur. Tol. Retinuisse cicatrices magno consilio credendum est. Et quia illustris victoriæ insignia erant, & quia testes volebat esse resurrectionis suæ. Et quia oportebat vt cum ad iudicandum venerit, eas ostenderet, vt viderent eius hostes in quem transfixerunt : vt ait Aug. Leo ser. 1. de ascens. Cyr. l. 12. c 58. Quin & martyres omnes suas esse in cœlo cicatrices habituros, nõ tanquam vitia, sed tanquam veritatis testimonia, l. 22. de ciuit. c. 20. idem docet Aug. Christus autem gloriam corporis repressit, ne nimio splendore perstringeret discipulorum oculos : aiunt Cyr. & Aug. Discipulos verò vulnera tetigisse idem docet Ser. 13. de verb. Dom. & Ser. 115. & 160. Quod & insinuat Ioannes Ep. 1. c. 1. & colligitur ex Thoma, vers. 25. q. d. Nisi mittam manum, sicut ipsi fecistis, nõ credam. Ex Mald.

Gauisi

Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.] Non statim quidem viso, nam initio vt ait Luc. turbati potius sunt, & spiritum se videre putauerunt; sed gauisi sunt viso, i. manuum cõtrectatione cognito: Dixerat ante mortẽ, *iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum. c.* 16. 22. Et ideo Euang. notat gauisos fuisse, & hic est fructus & effectus apparitionis. Ita Chry. & Cyr.

21. *Dixit ergo eis: Iterum pax vobis.*] Postquam eum cognouissent, quasi quod ante dixerat nihil profuisset, quia non tãquam Christi, sed tanquam Spiritus, aut phantasmatis salutatio excepta fuerat. Itaque repetitio hæc non solum confirmandi vim habet, vt Aug. & Beda putant, sed etiam indicat priorem salutationem, quia non tanquam à Christo acceptа fuerat, penè irritam fuisse. Aliter enim à Christo quàm à mundo saluramur. Vel fecit vt significaret eos mittendos per vniuersum orbem ad annuntiandum pacem. q. d. Iterum do vobis pacem, vt eam annuntietis toti mundo: Ex Tol.

Sicut misit me Pater & ego mitto vos.]. Significata pace annuntianda, eos huius pacis prædicatores ac orbis doctores & salutis ministros ordinat, & instituit, simulque dignitatem muneris & officij insinuat: sensus enim est. Quod munus dedit mihi Pater (veni enim vt mundo veritatis testimonium perhibeam ad credentium salutem tanquam Apostolus à Patre institutus) hoc ego vobis munus trado, & vos vicarios meos instituo: & rursus qua auctoritate Pater misit me, eadem vos ego mitto, vt prædicetis, gubernetis, dirigatis mundum in viam salutis & veritatis.

Magnum

Magnum profectò hoc munus est : quod enim à Patre filius naturalis & æternus Dei homo factus susceperit, hoc idem suis communicat discipulis, vt notat Tol. Rectè ex hoc loco infertur non solum doctoris, sed etiam sacerdotis officium Apostolis tradidisse : nam Vicarios suos constituit, inquit Mald.

22. *Hæc cum dixisset: insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*] Designatis & institutis pacis annuntiatoribus per totum orbem, donat eis potestatem, qua mundus totus maximè indigebat ; Cum enim essent homines pleni peccatis, maximè necessarium erat vt qui eos sanare mittebantur, potestatem haberent remittendi peccata ; hanc autem potestatem donat Spiritum sanctum dando, quia Spiritus sancti est remissio peccatorum. Vt autem signo exteriori significaret se interius illis Spiritum sanctum communicare insufflat in eos, vt per flatum exteriorem cognoscant interius Spiritum sanctum infundi, cuius virtute peccata remittant. Potuisset dare Spiritum sanctum, sine insufflatione; sed noluit, vt simul instrueret eos & perficeret; perficeret dando Spiritum sanctum, instrueret insufflando : nam per hanc insufflationem significatur processio Spiritus sancti a filio : ex Aug. l. 4. Trin. c. 5. Et se esse eundem qui à principio homini animam insufflando dedit Cyr. l. 12. c. 56. & gratiam quam homo acceperat cum anima, & per peccatum amiserat, insufflat, vt se restauratorem illius gratiæ significet. Amb. ser. 10: in Gen. Post signum exterius rem ipsam significatam infundit verbi sui efficacia : *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum*. Spiritus sanctus dari homini-

bus.

bus dicitur quando ipsius dona & virtutes infundũtur, quæ multa ac multiplicia esse docet Paulus 1. Cor. 12. Non dicit, Accipite potestatem remittendi peccata, sed, *Accipite Spiritum sanctum*: vt significaret potestatem remittendi peccata solius Dei esse, & à solo ipso communicari hominibus. Chry. Sunt qui dicunt quod non Spiritũ dederit: sed aptos eos ad susceptionẽ Spiritus per insufflationem fecit, vt notat Chry.

23. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.*] Declarat quis ille Spiritus esset, quem se illis dare dixerat, nempe potestas peccata remittendi. Non dixit, Remittite peccata, sed, *quorum remiseritis peccata, remissa sunt*, vt suam potestatem participatam esse sciant, & Dei esse suprema & primam. q. d. quibus peccata remittetis vos, Deus etiam cuius est suprema potestas, dimittit: non æqualis vobis potestas sed participata & subalternata, ac subiecta Deo est: nec enim se priuat Deus potestate remittendi, sed simul cum hominibus remittit: ipse quidem potestate suprema, homines verò participata, & delegata & velut instrumentali. Ex Tol. Amb. l. 1. de pœnit. c. 2. Nouatianorum refellit hæresim, qui negabant vt nunc Caluin. Sacerdotes potestatem habere peccata remittendi, quod id esset iniuriam Christo facere, cuius proprium sit peccata remittere. Vide quæ diximus in Mat. 16. 19.

24. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis quando venit Iesus.*] Alteram apparitionem discipulis factam Euãgelista describit: occasionem autem seu causam præmittit; quia Thomas vnus ex duodecim

Apostolis

Apostolis non erat illa prima die resurrectionis cũ reliquis Apostolis, quibus apparuit Dominus, eáque causa factum est vt non viderit tunc eũ, quando cæteri viderũt. Didymus dicitur, i. Gemellus, quod etiã Thomas significat: vel quòd incredulus esset. Theoph. Cœtus hic discipulorũ Ecclesiam repræsentabat, à qua qui abest à Christo non inuisitur. Ber. ser. de Asc.

25. *Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum*] Incertum est quo tempore Thomas redierit. Chrys. Theoph. Euty. respondent non affuisse, quòd ex illa Apostolorum dissipatione, quæ morientе Christo facta fuerat, nondum redierat: fortè pro desperatis res Christi habebat, ideóque ad exercitum non redierat, vt solet in prælio. Probabilius putat Tol. paulò post eum venisse: cùm antea non adfuisset, quando Dominus apparuit, cæteri rem totam cum ingenti lætitia enarrarunt & testimonium resurrectionis reddiderunt. *Vidimus*, inquiunt, *Dominum*, resurrexisse: ergo crediderunt, aliter nõ affirmassent se Dominũ vidisse.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.] Magna pertinacia Thomæ hæc fuit. Audierat & testimonium acceperat resurrectionis à Magdalena, à mulieribus, à Petro, à duobus discipulis, à decem etiam Apostolis, cæterísque simul discipulis audierat, ab ipso Christo, *Post tres dies resurgam*: neque tamen credidit, vt à pertinacia excusari infidelitas eius nulla ratione possit. Non sola infidelitas fuit dum dixit, *Non credam*, non sola pertinacia, dum tot testibus incredulus tamen perseuerauit, sed

quædam

quædam etiam superbia, qua cæteros contemplit: *Nisi* inquit, *videro & mittã digitos & manus.* q. d. Vos citò credidistis resurrexisse quia vidistis; oportebat mittere digitum in loca clauorum, & manus in latus, & probare an verũ esset corpus: ego enim sic faciens credam. Vel vt alij putant, quemadmodum vos misistis & digitum & manum, non etiam credam nisi ipse mittam manum meam in latus eius. Fuit etiam irreuerentia in Christum, dum se iudicat dignũ qui digitum & manũ mittat in loca vulnerũ ipsius. Euangelista morbi grauitatẽ exactè describit: non vt Thomæ notam infamiæ inurat; sed vt Dominicam resurrectionẽ cõfirmet. Et vt mediciclemẽtia sanãdo agnoscatur. Ex Tol. Decoratur itẽ hac ratione dies Dominica quæ vocari cœpta est & instituta ab Apostolis: Ex Iãs.

26. *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis & stetit in medio. & dixit eis Pax vobis.*] Magna pertinacia fuit & incredulitas Thomæ: non enim ad horam aut diem perseuerauit incredulus, sed per integros dies octo: immò in sua permansisset infidelitate diutius, si Dominus ad eum venire distulisset: sed maior clementia & in suos amor exitit Saluatoris: propter vnum enim & hunc incredulum, & pertinacem iterũ dignatus est apparere, eadémque, imo maiora suæ resurrectionis signa ostendere. Maius enim fuit digitum Thomæ in loca clauorum, & manum eius in latus mitti, quàm tantum se exhibere videndum. Clausis igitur ianuis cum magna diligentia: notat, vt vers. 19. Octaua die iterum congregatis apparet, & in medio stat, & solita sua pace salutat; vt adhuc in hac repetitione

ne similis apparitionis idem esse cognoscatur. Dicitur post dies octo, quia in fine eius octaui diei ad occasum apparuit: non autem quod in nono apparuerit. Ex Chrys. & Aug.

27. *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum: & noli esse incredulus sed fidelis.*] Videntur hæc verba tacitam quandam exprobrationem continere. q.d. Adeldum homo carnalis, qui nescis aliter quam tactu credere. Infer digitum tuum huc, & vide, ideſt, tange. Tol. verò putat esse, suauis admonitionis. Iisdem verbis vtitur quibus Thomas ante vsus est, quòd voluerit Christus ostendere se tanquã Deum præsentem fuisse tunc, cum Thomas hęc verba diceret, ideóque ipsum præueniſſe. Chry. Theod. Mop. Quidam dicunt Thomam non tetigisse; alij probabilius putãt tetigisse Christi vulnera. Illud autem, *Vidisti me*, idem est quod tetigisti, vt *vide*, ideſt tange. Ex Aug.

28. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus.*] Cognita ex tactu & visu resurrectione non solum hominem, sed etiam Deum verum confitetur. q. d. Tu es verè Dominus meus Christus, tu etiam es verus Deus meus: non participatione, sed natura. Theop. Dum diuinitatem eius credit, & confitetur, à seipso suscitasse affirmat: dum Dominum vocauit, eum esse redemptorem confessus est: quia iure redemptionis singulare habet dominium in omnes redemptos. Plus affirmat quàm negauerat: resurrexisse negauerat, at nũc & resurrexisse & per seipsum suscitatum, & hominum esse redemptorem clarè indicat & pronuntiat. Ex Aug.

29.

29. *Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.*] Ne se tanta confessione Thomas extolleret, sed in humilitate potiùs contineret & nos instrueret, respondit Christus: *Quia vidisti me Thoma credidisti.* Q. d. Vera est tua confessio, sed ne te magnum aliquod fecisse existimes, quandoquidem credidisti quia vidisti & contrectasti; sensu ergo priùs expertus es resurrectionem; quàm proferres tantam confessionem, quia vidisti meam humanitatem resurgentem, credidisti diuinitatem in ea latentem: magnum hoc profecto est, tamen vidisse priùs & argumẽtum habuisti: maius esset si antequam vidisses id confessus fuisses: Non Thomam à beatitudine excludere volens, sed beatiorem fidem pronuntians eorum qui non viderunt. Apostolos & Iudæos gentiles designat, vbi enim minus est experientiæ & argumentum, ibi fides maius habet meritum. Ex Aug.

30. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*] Ne quis sola hæc argumenta & suæ resurrectionis signa Dominum dedisse discipulis suis putaret, adiungit Euãgelista Christum non solum se videndum & Thomæ palpandum exhibuisse, sed etiam multa alia signa fecisse coram suis discipulis, quibus veritatem suæ resurrectionis confirmaret: tamen non sunt scripta in libro hoc: tum vt probet quæ alij Euangelistæ narrarunt: tum vt fidem resurrectionis astruat, quæ pluribus etiam signis innotuit & manifestata est. Iis autem signis quę fecit ad probandam suam resurrectionem, vel quæ Hierosolymis fecit, finem hoc capite ponit.

nit. Nam quæ sequenti capite fecit & in Galilæa, non ad probandam resurrectionem suam, sed alia de causa fecit : vt ait Chrysostomus.

31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei , & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius.*] Declarat finem narrationis prædictorum signorum : & inde causam cur plura non scripserit insinuat: ea autem est, quia hæc scribuntur ad fidem Christi conciliandam, vt per fidem salutem credentes assequantur. Cùm autem quæ sunt narrata sufficiant ad fidem faciendam quòd Christus surrexerit, & ex resurrectione se esse filium Dei confirmauerit; non fuit opus plura scripsisse signa. Duo ergo sunt fines narrationis huius: vnus proximus, nempe fides vera Christi diuinitatis & humanitatis: alter vltimus, nempe vita æterna, quæ credentibus datur. In nomine autem eius vitam habere credentes idem significat ac virtute meriti Christi & satisfactionis eius per fidem communicatæ salutem accipere. Virtus enim Christi est quæ per fidem viuificat credentes in eum. Nomen Christi fidem vocat, quia per fidem in nomen eius credimus. Hæretici malè ex hoc loco colligunt nullum in nobis esse meritum, & solam fidem salutis esse causam: quos refutauimus Matth. 5.

CAPVT

CAPVT XXI.

Apparet discipulis ad mare Galilææ: Petrum vicarium relinquit.

1. *Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis; manifestauit autem sic.*] Post apparitionem illam secundam Domini factã discipulis post octo dies, postquã omnia quæ ad credendum necessaria esse dixerat retulit, alia hoc capite commemorat ad credendum resurrectionem non necessaria: quæ tamen recenset vt Christi texeret historiam. Ea verò duo sunt. Alterum quomodo se iterum Christus in Galilæa ad mare Tiberiadis ostenderit discipulis, & quomodo Petrum data illi pascendarum ouium suarum cura iusserit sequi se. Dicit, iterum se manifestauit ad mare Galilææ, ideſt, secundò: quia loquebatur de Thoma, vt sit sensus, iterum & secundo, etiam Thomæ manifestauit in Galilæa, quamuis respectu discipulorum tertia fuerit hæc apparitio. Ex Chrys.

2. *Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.*] Magna diligẽtia huius manifestationis circunstantias describit, vt maior fides haberetur historiæ. Et primò personas exponit: erant enim septem ex discipulis. Per filios Zebedæi Iacobum & Ioannem intelligimus. Nathanael nominatur quia quãuis

Aposto

Apostolus non esset, erat discipulus antiquus Domini, & valde notus; alij duo non nominantur, siue quia non ex præcipuis Apostolis, siue quia Apostoli non erant.

3. *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum.*] Petrus magistrum nõ habens præsentem, vt ante, & iis quæ sibi ad victum erant necessaria carens, piscari vadit, hãc enim artem priusquam Christum sequeretur exercebat: socios autem in eadem necessitate cognoscens, quid facere velit, commonefacit, vt & ipsi veniant ad eum iuuandum, & victum sibi etiam comparent. Facilè omnes Petro assentiuntur: *Venimus*, inquiunt, *& nos tecum*, piscatum. Quomodo post vocationem ad Apostolatum, ad piscationem quam propter illum reliquerant redierint, Chrys. Theod. Theoph. non aliam rationem reddunt quàm quòd cùm segregati à Christo essent, & necdũ missi fuissent ad prædicandum, & ne otiosi essent, & vt victum sibi compararent arte sua, ad piscationem se contulerunt. Cyrill. S. Augustinus, ait non fuisse illis prohibitum salua officij integritate victum sibi necessarium conquirere. Nam etiam Paulus victum sibi manibus comparabat, dum ab iis quæ sui erant muneris vacabat. Ac si clarioribus verbis dicamus, piscatum reliquerunt quantum ad lucrum, non tamen quantum ad sustentationem propriam: non habebant enim quod ederent. Ideo Piscabantur propter victum, sicut & alia opera ad victum licebant Apostolis. Greg. hom. 24. ait eos rediisse ad piscatum, quia hanc actionem sine peccato exercere poterant, etiam post datum Spiritum sanctum. Matthæum verò non rediisse

rediſſe ad telonia, quia hoc exercitium cum peccato exercetur. Quamuis enim dignus eſſet operarius mercede, & ſuſtentationem ſuam à fidelibus petere illis licuiſſet, ne tamen aliqua ex parte graues eſſent Apoſtoli fidelibus, quando id ſaluo officio fieri poterat, malebant propriis manibus laborare, & victum ſibi comparare: quod inſignis erat perfectionis. Cyril. ait voluiſſe Chriſtum per piſcationem illam Petri & diſcipulorum futurum eorum officium in piſcandis hominibus deſignare: ideóque permiſiſſe vt ad eam reuerterentur Sic Aug.

Et exierunt & aſcenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt.] Quòd noctu piſcatoriã artem exercuerint de more fecerunt, ſolẽt enim piſces facilius noctu ſine ſtrepitu capi: quod nihil prendiderunt, non caſu aliquo, ſed diuino conſilio factum eſt, vt verbo Domini poſtea magnam copiam piſcium capientes intelligãt, qui futuri erant hominum piſcatores, ſe propria virtute nihil effecturos: neminémque ad rete ſanctæ Eccleſiæ tracturos quantumcumque laborent & inſudent, niſi virtus Chriſti adſit: Eo autem iuuante innumeram multitudinem eſſe conuertendam. Cyril. ait Moyſem & alios Prophetas nocte, ideſt, ſub vmbris laborantes in adducendis ad ſalutem hominibus nihil profeciſſe: orto verò ſole iuſtitiæ, eius verbo & Euangelij prædicatione innumerabiles per vniuerſum orbem captos fuiſſe. Euſeb. putat eos deſignari qui ipſi ſibi à Deo nõ miſſi officium prædicationis vſurpant. Ierant piſcatum diſcipuli à Chriſto non miſſi, ideo multum laborando nihil proficiunt. Idem de obedientia dici poteſt: Ex Mald. Tol. & Ianſ.

4. *Mane*

4. *Mane autem iam facto stetit Iesus in littore; Non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est.*] Tempus matutinum minùs opportunum capiendis piscibus expectat: tunc enim opportunitas est Christi quando virtus eius maximè agnoscitur. Vult ergo Deus nostram nos adhibere operam, sed non ipsa sola niti. Cum minus in nostro opere confidimus, adstat Christus. Non vt olim in fluctibus maris ambulauit, nec nauim in mari ingressus est, quia iam corruptionem carnis exutus non cum mortalibus fluctibus mortalis vitæ inerat; sed ad stabilitatem immortalis vitæ translatus erat. Ideo voluit ex opere prius quàm ex forma agnosci, vt fidem & meritum suorum augeret.

5. *Dicit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? responderunt ei, Non.*] Nondum à suis agnitus, per speciem emendi pisces sermones cum discipulis miscet, vt ex eorum responso occasionem faciendi miraculi caperet. Pulmentarium idem in hoc loco quod opsonium, & quidquid vltra panem & vinum cibi apponitur. Pueros vocat, quia officium quasi seruorum exercebant: vel blandiori vocabulo quasi filios. Responderunt se non habere.

6. *Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.*] Non dicit casu vt qui incertos & fortuitos à piscatoribus iactus emunt. Sed locum signat in quo capturi erant pisces. Per dexteram significat eos qui in dextera collocandi sunt in iudicio: vel bonam animi intentionem: vel Dominum nos habere à dextris nostris, cùm non timemus quid faciat nobis homo.

Miserunt ergo rete, & iam non valebant illud trahere

trahere præ multitudine piscium.] Q.d. Dicto obedientes miserunt rete, & fuit laudabile nulla interposita excusatione, cum tota nocte nihil prendidissent, & nullos ibi pisces esse sibi facilè persuadere potuissent, vnius quem non nouerant dicto rete iterum iacere: sed eius qui non cognoscebatur virtus, corda eorum interius inclinauit, & mouit, vt id facerent quod exteriùs præcipiebat. Ex Chrys.

7. *Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro: Dominus est; tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.*] Ioannes nouit prior Petro Christum ex copia piscium capta. Et nihil dubitans dixit Petro, *Dominus est*; credidit Petrus dicto Ioannis, facilè adhibens fidem eodem commotus miraculo, & præ amoris & desiderij feruore moras non ferens nauigij, quia copia piscium & discipulorum onustum erat, aquis se committit veste contegens nuditatem propter Christi reuerentiam, peruenitque primus ad Christum. Ex Theoph.

8. *Alij verò discipuli nauigio venerunt, nõ enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium.*] Videtur Euangelista hac ratione cæteros discipulos excusare voluisse, quòd minùs erga Christum ostendisse viderentur, quòd non se etiam in mare, sicut Petrus, conieciissent, quod patientes fuissent moræ; hinc enim tacitæ obiectioni respondet, moram illam valde fuisse breuem, quia non longè aberant à terra. Itaque etiamsi se eieciissent in mare, haud multò citiùs ad Christum venire potuissent. Sic & Petrum laudat, cæteros excusat. Cubiti ducenti pedes trecentos efficiunt.

9. *Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.*] Ignis nulla ope hominis accensus, & piscis superpositus, & panis ad littus auget miraculum. Hæc fecit ne propter indigentiam cibum priùs quæsisse visus esset, qui iam immortalis non indigebat cibo. Hæc tria vel ex nihilo, vel ex materia subiecta facta sunt: sicut olim panes & pisces multiplicauit. Ex Chrys.

10. *Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.*] Præcipit de piscatu partem afferre, vt hac occasione viderent piscium copiosam multitudinem, & magnitudine miraculi eius agnoscerent virtutem: necdum enim Dominus ex forma agnoscebatur: ait Chrys. Ho. 86. eorum enim fidem exercebat. Ideo intellectu potiùs quàm sensu agnosci volebat. Significans se velle vt prædicatores ad se homines adducant: Euseb. Emiss. Vel oportere nos cum ipso cooperari, non debere otiosos esse, non semper miraculis, non semper manna viuendum, piscandum, arandum, serendum.

11. *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.*] Non solum Petrus traxit, sed ascendit in nauim, vt ait Euthym. quia adhuc extra aquas rete non erat, & alios cohortatus est, vt secum trahant: idcirco ipse solus, quia primus erat, quem cæteri secuti sunt, traxisse dicitur. In quo dignitatis & officij eius præeminentia significata est: Quod si solus traxit ope fecit diuina, vt indicaretur quod ipse solus plus haberet potestatis quàm cæteri Apostoli. Ex Rup.

Et

Et cum tanti essent non est scissum rete.] Quod auget magnitudinem miraculi. Et significatur vnitas Ecclesiæ indiuidua, quæ sub vno capite vna & indiuidua semper manet : Augustin. tr. 122.

12. *Dicit eis Iesus : Venite, prandete.*] Q.d. Accedite, ne fatigati discumbere formidetis : Significans post multos labores, tandem cum Domino recubituros cibo spiritali proposito. Cyr. l. 12. cap. 63. Et probabile est Dominum prandisse ad veræ carnis suæ resurrectionem comprobandã, non ex necessitate: vt ait Chrys. Hom. 86.

Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est.] Chrys. & Theoph. putant partim opus fuisse, partim non fuisse : opus fuisse quia propter formæ maiestatem non videbatur esse Christus : opus autem non fuisse : quia ex factis tunc miraculis apparebat alium quam Christum esse non posse. q.d. Nemo audebat dubitare quod ipse esset : sic in Eucharistia quamuis oculi, quamuis sensus omnes contradicant, tamen ex intimo quodam fidei sensu adeo certi esse debemus verum esse quem sumimus, Christum, vt ne interrogare quidem audeamus, *Tu quis es?* Ex Mald.

13. *Et venit Iesus, & accepit panem, & dedit eis & piscem similiter.*] Iesus venisse dicitur quia postquam illos discumbere fecit, ipse etiam accessit mensæ, & vt solebat accepit panem & piscem, & distribuebat illis. Hoc etiam signo se esse Christum illis significabat. Magno autem consilio facie immutata permanebat : se enim surrexisse & Christum esse ita volebat

significare, vt discipulis se apud eos mansurũ, vt ante, & qualis prius erat surrexisse, nullam existimandi occasionẽ præberet. Cyr. l. 12. c. 63.

14. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus cum discipulis suis.*] Quomodo hæc manifestatio Christi tertia fuisse dicatur vide apud Mat. 28.

15. 16. 17. *Cum ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei etiam: Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me. Et dixit ei: Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te.*] Postquam Petrus mystica illa piscatione primum se & præcipuum gessisset, & Dominus fructum ac mercedem laboris Apostolici ipso facto declarasset, figuram præcedentem etiam re explicans, Petrum vniuerso suo gregi præficit. Cum enim capite superiori in prima apparitione Apostolis omnibus parem contulisset potestatem, dicens, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; nunc ad tollendum schisma, & vt Ecclesia vna monstraretur vnus omnibus præficitur, impletque Dominus in Petro quod ante resurrectionem ei promiserat, dicens: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Mat. 16. Quia, vt ibi diximus, verbis illis promittebatur summa in Ecclesia potestas & authoritas, quæ hic illi traditur, cum ei peculiariter cura pastoralis & regimen ouium Christi committitur. Hanc autem potestatem ei peculiariter commissurus Dominus, priùs ab eo rogat, num se diligat, & plus diligat quàm cæteri,

qui

qui aderant Apostoli, non tanquam ignorans, cùm tanquam Deus omnia sciret, & tanquam homo didicisset iam ipso facto excellentem Petri præ alijs dilectionem, quia alijs nauigio venientibus ipse impatiens moræ, præ desiderio se in mare miserat vt ad Iesum perueniret: sed rogat vt Petro confitente suum erga ipsum amorem, occasionem haberet opportunam cõmittendi illi suarum ouium curam, omnesque doceret & eximium erga oues suas amorem, & Petro peculiariter hanc curam commissam ob peculiarem erga se amorem. Et vt alijs manifestum faceret præcedentis negationis maculas pœnitentia deleuisse. Et proinde neminem idoneum esse qui gregis dominici curam gerat, nisi qui singularem erga Christum amorem habeat, & ex hoc illam curam suscipiat. Et notandum quòd sicut non est ei dictum omnium nomine, *Diligis me plus his*, nec omnium nomine dixit, vt putant hæretici, *Tu scis quia amo te*: Ita etiam non est ei omnium nomine dictum: *Pasce oues meas*. Quanquam etiã aliàs omnibus cum Petro eadem cura commissa sit. Et notandum sicut priùs ob singularem confessionem Petro claues promissæ sunt: ita nunc ob singularem præ cæteris dilectionem ei sunt datæ. Cæterum etsi Dominus Petrum rogaret num se diligeret plus quam alij, tamen præ modestia respondet tantùm, se diligere Dominum, eiusque dilectionis Dominum ipsum testem facit, nec se iam audet aliis præferre, vt priùs fecerat cùm dixit, *Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego*. Lapsus enim eius iam adhuc recens illum modestiorem reddirat, & circumspectiorem. Itaque de aliorum

amore nihil dicens, quorum exploratos animos non habebat, de sua tantùm conscientia respondet: *Etiam Domine*, verè te diligo, tu enim scis. Tum Iesus, *Pasce agnos meos*. q.d. Si me amas, vt profiteris, hunc tuum amorem in me declara in agnos meos & oues meas, quæ mihi sunt charissimæ, adeo vt pro illis vitam meam impenderim: fideles meos, nõ tuos, non vt rem tuam, sed vt meam tracta, propterea petiui an me amares, quia rem meam tibi commendare volui, & à te tanquam meam tractari. Si me, inquit, diligis non te pascere cogita, vt illi quibus væ imprecatur. Ezech. 34. Gloriam meam in eis quære non tuam; cura mea, non tua. Hoc idem docuit ipsemet Petrus 1. Ep. 5. Agnos vocat credentes in se: tum propter vitæ nouitatẽ, nouum induentes hominẽ: tum propter vitę innocentiam quæ in agno repræsentatur: tum propter imitationẽ & sequelam: quia Christum imitantur & sequuntur, qui est agnus Dei, suo enim nomine fideles suos decorare dignatus est. Secundo interrogat, vt constantem debere esse eius dilectionem significet, cui committi debet fidelium cura. Quo etiam significat maximæ curæ esse debere Petro quòd Dominus non semel, sed bis committit. Tertio idem repetit, vt trinæ negationi trina amoris professio respondeat: vt notat Cyr. l. 12. c. 64. Est autem in his omnibus interrogationibus Christus nomine proprio vsus, & parentis etiam nomine. *Simon*, inquit, *Ioannis*. Nec Petrum appellat, quod nomen dignitatis & officij erat: volens admonere vt in tanta dignitate prę oculis habeat se piscatorem fuisse & hominem communem: ne

se

se extollat, ne suis meritis id adscribat. Tertiam interrogationem audiens Petrus contristatus est; timens ne id forsan fieret, quia iterum negaturus esset Christum. Ideo ex magna humilitate respondet: *Domine tu scis omnia*, etiam quæ futura sunt, non audeo iam de me futura promittere: nec tibi opus est mea responsione cum nihil tibi sit occultum. Id vnum scio me nunc amare te, & te scire amorem meum. Dicit ei, *Pasce oues meas*. Vniuersæ gubernationis Ecclesiæ commissio hoc verbo completur; *Pasce*, inquit, *oues meas*. q. d. Commisi tibi filios, committo nunc matres, vt omnium curam geras, omnia gubernes & regas, nam pascere Gr. est regere Ps. 79. & 77. Matres seu oues, Ecclesiæ sunt singulæ quibus singulares pastores incumbunt. Guberna igitur ô Simon & pasce subditos & Prælatos omnes, inferiores & superiores, fideles & fidelium omnium Ecclesias, quæ ad vnum generalis Ecclesiæ corpus pertinent. In scriptura sæpe Ecclesiæ appellantur singulæ fidelium congregationis; quibus Pastores singuli præsunt: vt constat ex Apoc. 1. 2. & 3. Sic Iansˢ. Mald. Tol.

18. *Amen, amen dico tibi cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem senueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis.*] Remouet Petri suspicionem, quam habebat ne perseueraret, prædicens futurum esse potiùs amorem eo vsque esse perducendum, vt pro eius gloria animam suam sit positurus. Iuxta id quod dixerat ante passionem, *Animam meam pro te ponam*: & Dominus id exponit sumpta metaphora iuuentutis & senectutis hominis. Quãdo enim iuuenis

est,ipsemet se accingit, & vestit, & ambulat & proficiscitur quò vult:at quãdo senex est,nõ se iam valens præcingere, manus & brachia extendit, vt ab altero accingatur, & accinctus dicitur. Ad eundem modum Petrus prius tanquam iuuenis erat, minùs expertus, & magis suæ propriæ obsequens voluntati. At iam Christo resurgente in alterum mutandus erat, futurúsque senex sapientia, & Spiritu, non sola ætate : eratque martyrium crucis subiturus quasi ab altero cinctus & ductus, non quò ipse volebat, i. non quo propria naturalis inclinabat voluntas,sed quò Spiritus ducebat. His ergo verbis prædicit Petro in senectute mortẽ crucis subiturum, manúsque extensurum, vt clauis affigatur:ait Euthym.

19. *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.*] Nempe martyrio,imò cruce:manuum enim extensio crucis mortem significat:mors enim martyrum argumentum erat efficacissimum veritatis confirmandæ, per quam Deus clarificatur seu honoratur. Martyres ergo tria maximè effecerunt morte sua. Vnum est manifestare & confirmare veritatem Dei:verum enim esse probabatur pro quo tot homines vitæ irreprehensibiles sanguinem fundebant. Alterum est honorificare Deũ, pro cuius gloria &veritate mortẽ subibãt. 3.est,seipsos honorabiles & spectabiles effecerũt apud Deũ,gloriã magnã & honorẽ cõsecuti:pretiosa enim mors sanctorũ eius in cõspectu Domini,& apud fideles omnes. Magnũ ergo fuit præmiũ Petri tali exitu finire vitã.Ex Chry.& Aug.

Et cum hoc dixisset, dicit ei:Sequere me.] Surgens à loco indicauit morte crucis Petrum eum

eum secuturū: vel simili officio etiā pascēdi eū secuturum q.d. Sequeris me officio pascendi, & crucis morte. Ideo ante omnes eum sequi iussit, vt omnibus eum præesse indicaret, vel *sequere me*, ideſt imitare me: nam optima vita prælati est imitatio Christi, Aug. Rup.

20. 21. *Conuersus Petrus vidit illum discipulū quem diligebat Iesus sequentē, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus dixit Iesu: Domine hic autem quid?* } Apparet, & vt Rupertus adnotauit in his verbis, iam Petrum cum hoc dixit cœpisse sequi Christum. Cúmque respexisset, Ioannem quoque sequentem vidisse: hoc enim est, *Conuersus Petrus vidit illum discipulum sequentem.* Inde igitur occasionem accipit de illo potiùs quam de cæteris interrogandi, *Hic autem quid?* ideſt, scio iam qua morte ego sim te clarificaturus; scire vellē qua morte Ioannes dilectus tuus vitæ huius tempus concludet, quémque exitum habebit. Præ amore hoc de eo interrogat. Ait Chrys. hom. 87. Non casu hæc de se Euangelista narrat; *Quem diligebat Iesus, & qui recubuit super pectus*, & qui interrogauit occulta. Tria enim hæc sunt maxima priuilegia, quæ de se refert Ioannes: vt ostendat iam Petrum omnibus antelatum, cæteros quidem oues, Petrum verò Pastorem effectum: qui super pectus fuerat, iam post Petrum est; conuersus enim Petrus illum vidit, vt significet eos Pastores eligendos, non qui sibi sunt familiariores, sed qui oneri subeundo sunt aptiores. Tol. & Mald.

22. 23. *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo*

sermo inter fratres quod discipulus ille non moriatur: & non dixit ei Iesus: quia non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Ideſt, volo eum ſuperſtitem eſſe ſicut modo eſt donec veniam, hoc autem ad te nihil attinet. Aut ſi volo eum manere, vt reuera volo, donec veniã, quid ad te? ad ea quæ tibi dixi nihil facit: ſiue enim maneat, ſiue non, qualiſcumque exitus eius futurus ſit, hæc, quæ tibi dixi, fient, nec mutabuntur; tu ergo ſequere me, & quæ tua ſunt conſidera, & quæ iniunxi aduerte: exitus enim illius ad te non pertinet. Attende aduẽtũ hunc, de quo Dominus loquitur, eſſe illum quando Iudæos per Romanos deuaſtauit & ſubuertit in peccati & infidelitatis eorum pœnam, & vindictam. In Scriptura enim ſæpe quando Dominus mãlos punit, aduenire & egredi dicitur. De hoc Iac. 5. ita Chryſ. Cæteris autem Apoſtolis martyrio affectis Ioannes vſque ad illa tempora viuus manſit aliquãto etiã tempore poſt. Id eſt quod nunc prædicit Dominus: *Sic*, inquit, *volo manere donec* Iudæos puniturus aduenio: inſinuans his verbis Petrum ante Ioannis exitum manus extenſurũ, & crucifigendum, nec dependere exitum eius à Ioannis exitu. ſic Tol. Hier. legit *Si ſic eum volo manere.* Alij *Sic eum volo manere.* Vnde dicunt Ioannem non fuiſſe mortuum; & venturum cum Enoch & Elia ante ſecundum Domini aduentum, ex Matth. 16. Emendat Chriſtus hanc falſam opinionem à nonnullis diſcipulis conceptam, qui in eum ſenſum ea interpretati ſunt vt ſignificarent Ioannem non morituru: idque Dominum indicare voluiſſe Petro, putarunt. Ioannes autem à verbis Chriſti talem

ſenſum

sensum repellit, ne cæteri omnes, qui audituri erant hæc verba, eundem conciperent errorem. Non, inquit, dixit Dominus discipulum illum non moriturum, sed hæc verba protulit, *Sic volo eum manere, donec veniam, quid ad te?* Quibus verbis noluit dicere eum non moriturum: non enim sequitur, si voluit Dominus sic manere donec veniat, ergo nō morietur vnquam. Alij dicunt mortuum, sed morte violenta. Ex Mat. 20. 23. Alij mortuum esse, sed eodem surrexisse die, & in cœlum translatum fuisse. Sic legimus B. Mariam Christi matrem mortuam fuisse, & translatam. Alij naturalem obiisse mortem. Tertull. l. de anima. c. de Menandro hæretico, Amb. Aug.

24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hac, & scimus quia verum est testimonium eius.*] Ioannes suum concludit Euangelium: & occasione sumpta à verbo Christi de permanentia eius vsque ad ipsius aduentum, dicit: Hic est ille idem discipulus qui perhibet testimonium de his omnibus quæ hactenus audistis, & hæc scripsit, i. sic scripsit vt simul sit testis eorum: quoniam non ex fama sed ex visu & præsentia loquitur: Nec solus, inquit, ego, sed multi scimus verum esse hoc testimonium, quia scripsit, quæ multi etiam viderunt: nec fallitur in vlla re scripta. Hoc dicit quia iam illo tempore multi erant hæretici, & increduli etiam Apostolis ipsis. Et quia ipse vltimo loco scribens, multa cæteris Euangelistis addidit. Falluntur qui putant hæc verba non esse Euangelistæ. At consuetudo scribendi Ioannis indicat hæc eius esse verba. 1. Ioan. c. 1. Nec de his, nec

de sequentibus licet modo dubitare. Ex Chrysost.

25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribuntur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.*] Hyperbole est ad exprimendam multitudinem signorum, & operum ac verborum doctrinæ Christi. vt Io. 12. Alij fore vt non caperent, ideſt, vt memoria res tam multas & varias continere non possent. Nam non spacio locorum credendum est mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehendi non posse, vt ait Aug.

FINIS.

MODVS

MODVS MEDITANDI EVANGELIA ET TOTAM SACRAM SCRIPTVRAM.

MEDITATIONIS quotidianæ, & concionum materia peti potest ex sanctis Euangeliis, maximè verò ex iis quæ in templis, dominicis & aliis festis diebus leguntur. Modus autem meditandi Sacram scripturam est is, quem mellifluus Bernardus præscribit, vt lectioni succedat oratio, orationi succedat lectio. sic oratio fiet sine intermissione: si vel statis horis ad orandum vnum duo, vel tria motiua quædam, solidæ & altæ veritatis ex illis accipiantur, & bene coram Deo ponderentur, nec prius ab vno ad alterum progrediatur quam omnes affectus vel actus virtutis qui ex illo peti possunt colligantur: vt compunctionis, congratulationis, vel compassionis, gaudij vel mœroris, laudis, iubilationis, gratiarum actionis, admirationis, boni propositi, amoris, charitatis, patientiæ, & similium, nec in finem orationis remittantur, ne nimiâ industriâ nostrâ tepescat ardor Spiritus, vel etiâ extinguatur illius effectus. Hunc modum meditandi edocti Patres Oratorij, à primis diebus suæ institutionis, & singuli laici qui in societatem parui Oratorij vt vocant sunt adscribendi, qui vel à minimo per singulos dies sic vacant orationi. Sed insuper per totum diem habent mysterium aliquod quod reuereantur, per quadrantem horæ, aut aliquam temporis morulam, creberrima cogitatione, vel

vel pia quadam actione: in quo quantum fieri potest Ecclesiæ deuotioni se accommodant. Tempore enim aduentus honorant, decretum Dei æternum, mittendi filium Dei in mundum: sanctissimam Trinitatem vnientem naturam humanam diuinæ suæ essentiæ in persona verbi: Patrem æternum donantem filium suum vnigenitum, & in eo propriâ suam essentiam; filium seipsum vnientem huic naturæ: exinanitionem & amorem quo vnitus est huic humanitati in vtero virginis; Spiritus sancti mirabilem operationem qua impleta est, incarnatio verbi, & deificatio naturæ humanæ, recipientis gratiam increatam & infinitam in esse creato & finito: ipsam naturam humanam procedentem de Virgine, & vnitam personaliter verbo æterno: statum admirabilem quem ex hac vnione consequitur: perfectiones diuinas singulariter communicatas huic naturæ: vitam, & annihilationem diuinitatis in ipsa humanitate: vitam, subsistentiam, & deificationem, ipsius humanitatis in verbo diuino: actiones diuinitùs humanas & diuinas humanitùs promanantes, ex hac vita noua hominis Dei in duplici sua natura, diuina & humana, æterna & temporali: quod humana natura destituta propria sua subsistentia subsistat subsistentia aliena à sua natura, sic vt sua vita, status, motus, & actiones, non sint ipsius naturæ, sed illius in quo subsistit: sic destituta: Quod statum, & formam serui acceperit in assumptione humanæ naturæ per incarnationem, deprimendo esse suum supremum & infinitum suæ diuinitatis vsque ad nihilum humanitatis, & hanc

ipsam

ipsam humanitatē per statū Viatoris in terris, deiiciendo inquam naturam sic vnitam, sic eleuatam in throno & statu personæ diuinæ, vsque ad statum, & formā vitæ humilis & seruientis suis creaturis, vsque ad opprobrium & suppliciū crudele & seruile crucis: supremū dominiū huic naturæ cōmunicatum per hūc statū filiationis diuinæ supra res omnes creatas: statum nouē mensiū in vtero matris; eiusdémque prærogatiuā: statum animæ IESV & Spiritū sanctū non ad mēsuram vt aliis ipsi cōmunicatum: puritatem, sanctitatem gratiā consummatam, thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei absconditos, gratiam capitis, tam Ecclesiæ militantis, quam triumphantis: potentiam faciendi miracula: remittendi peccata: conferendi gratiam, & gloriam hominibus; ardentem Dei amorem, gratiarum actionem, humiliationem profundissimam, oblationem sui perfectissimam ad mortem pro fratribus, quam ex tūc sibi oblatā à Patre accepit: Sūmum gaudiū, ex visione Dei, simul cū summa tristitia ex iniuria Deo illata per peccata: quidquid ab Angelo gestū est cū Maria & Ioseph: præcursorem suum Ioannē ex vtero matris, sanctificantē hac prima sui externa communicatione: ardens desiderium cito exiliendi ex matris vtero vt mādatum Patris adimpleret: Nazareth floridā relinquētem vt stabulum Bethleemiticum acciperet. A natiuitate honorant infantiam, & nouam vitam IESV, potentiam Dei, quæ iam extenditur non in nihilū, non in esse creatum, non in gratiam tantū, sed in hominem Deum; Maternitatis complementum, cum ius habeat dominandi in filiū & cōmunicandi Deum to-

ti mundo, quod, dum gestaretur in vtero nondum habebat, quod natiuitas illa tẽporalis æternæ generationi, honorẽ reddit; Quod homo Deus iam illam adorat & in æternum adorabit. Quod primus Angelus qui immediatè à Deo lumen accipiebat, iam ab infante lumen accipit, & à primo ad minimum, omnes ab hoc magni consilij Angelo reguntur, & turmatim aduolant infantem adoraturi, cum pastoribus & Magis, cuius vita tota interior est: Quod à primo instanti fuit in clarissima cognitione & fruitione Dei perfectissima; non sic Angeli & homines: Quod dirigebatur à matre, quam dirigebat: Honorãt statum illum quadraginta dierum in stabulo diuinitatem in infantia: potentiam in infirmitate: sapientiam & intelligentiam in ea quasi sepultam: Dependẽtiam à matre à qua vitam accipiebat humanam, cui planè diuinam communicabat: Octauo die à natiuitate, sanguine purpuratũ, primitias tẽporis primitiis sui sanguinis consecrantem: Saluatoris officio fungentem: Verbum æternum in cœlo amorem increatum producentem, & in terris nomen IESV amorem in animabus operantem.

A purificatione ad quadragesimam, venerantur vitam incognitam septem annorum: fugam in Ægyptum, cędem infantium suis pœnis & suo martyrio pœnas infantis IESV honorantem: & à manifestatione sua in templo in medio doctorum; quod manserit subditus Mariæ & Ioseph: cæteris, verò cum quibus versabatur plane incognitus vsque ad annum tricesimum. A quadragesima vsque ad Pascha adorant vitam laboribus actam, quam ipse lubens

bens obtulit Patri, à quo percussus acceperat calicem: Pœnas tam internas quàm externas: Agoniam, & tristitiã: derelictionẽ à Patre, humilitatẽ & obedientiã vsque ad mortem: descẽsum vsque ad sepulchri horrorẽ, & inferorũ loca tenebrosa, quæ euang. satis fusè describunt.

A Pascha ad Ascensionem, honorant vitam quam Deus Pater filio reddidit: & quam ipse vt auctor vitæ sibi restituit; quam, multis argumentis manifestare voluit apparens & loquens de regno Dei.

Ab Ascensione ad Pentecostem honorant Iesvm in vita gloriæ iam à Patre clarificatam, iam regnum adeptum, iam sedentem in dextera & in gloria Dei Patris, qui in hoc dilecto filio suo sibi bene complacuit: se subiicientem ei cui subiecturus est omnia vt sit Deus omnia in omnibus: mutuum aspectum vtriusque, beatitudinem animæ & corporis: gaudium Angelorum ad conspectum sui capitis: sanctorum adoptionem perfectam, quos gloriæ faciebat cohæredes: statum matris Dei, cuius amplissimum erat dominiũ super gregem relictum in terris à filio: recollectionem discipulorum expectantium aduentum Spiritus sancti: vnionem & mutuam inter se charitatem: perseuerantiam in oratione.

A Pentecoste ad festum sanctissimi Sacramenti, adorant Spiritum Iesv vt nexum & amorem Patris & filij: vt Ecclesiæ rectorem: Paraclitum, & Spiritum veritatis: eius operationes in anima Christi, in Beata Virgine, in Apostolis, & in tota Ecclesia. A festo Sacramenti ad diem octauum vel ad mensem integrum, honorant vitam Iesv, exinanitam in hoc

hoc fidei nostræ mysterio : Maiestatem ibi latentem: summam charitatem qua seipsum omnibus communicat vsque ad consummationem sæculi, vt hostiam Patri oblatam : vt cibum animę, qui varios effectus vitæ in ea operatur. Ab octaua sacramenti, ad aduentum, honorant vitam quam per varia miracula & sanctam conuersationem ab anno tricesimo ad tricesimum quartum manifestauit : Apostolos vocauit : legem gratiæ dedit. Sic varijs his & similibus cogitationibus, varios status vitæ Iesu ex Euangelio vel rationibus ab eo petitis honorant : sic integrum percurrunt annum in his honorandis, per singulas horas Patres congregationis oratorij, præter quotidianum illud meditationis exercitium velut quoddam sacrificium laudis, mane & vesperi ab illis offerri solitum. Quid enim aliud agerent in oratorio quam id ad quod institutum est, ait August. ?Hoc enim otium Spiritus quærit charitas, & negotium sanctum eadem quærit charitas, & in hoc cõpletur finis instituti. Iuxta illud Pauli, orationi & ministerio verbi instãtes.

Quærunt nonnulli methodum qua hic orandi modus ad praxim reducatur, quibus satisfiet hac sequenti meditatione de Decreto Dei æterno quo filium Dei in mundum mittere voluit, vt saluaret genus humanum perditum per peccatum. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioannis c. 3.

Considerant 1. Sanctissimam Trinitatem vnientem diuinam suam essentiam naturæ humanæ ineffabili amore, quæ cum saluare hominem posset pura misericordia vel aliis modis

dis quam plurimis, sic homines dilexit vt daret non hominem, nō Angelum sed filium Dei Vnigenitū? 2. Patrem æternum donātem filium suum huic naturæ humanæ, amorem quo dat donatione ineffabili, personam filij sui, & in eo suam naturam: Doni magnitudinem; hominis vilitatem: Peccatorum grauitatē, & multitudinem pro quibus expiandis datur. Qui sibi datum à Patre, sibi natum à Matre considerant, huic iuri suo in æternum non renuntiant. Sed in gratiarum actione semper manent; & in amore tanti doni. 3. Filium seipsum vnientem huic naturæ; exinanitionem & amorem quo vnitus est, huic humanitati in vtero matris, & se offerentem toti Trinitati, quasi dicētem, si propter me tempestas orta est mittite me in mare; & à primo instanti incarnationis suæ crucem amplectentem. Exclamant & dicunt cum Ecclesia, ô fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Nunc cum Seraphinis, velantes faciem, reuerentur hanc vnionem, hunc amorem, tantam charitatem, tam admirabiles adinuentiones Dei pro salute hominis. Motiua sunt bonitas, amor, misericordia & iustitia Iesu Christi qui pro peccatis abūde satisfacere voluit. Hic modus meditandi per varios discursus & considerationes sacram Scripturam & mysteria in ea contenta, à plerisque præscribitur. Sed est alius modus simplicior quo nudam & simplicem veritatem, non tam speculantur & considerant, quam honorant, reuerentur, adorant; non solum perfecti, qui lumine intellectus ad speculandum videntur capaciores, sed qui minus capaces, qui simpliciores, sed in virtute firmiores

& sta

& ſtabiliores. Hic modus eſt facilis & tutus, & quo in via ſpiritus non paruum progreſſum faciunt etiam mulierculæ, vt experientiâ ſunt edocti quam plurimi. Nam ſimplex aliqua cogitatio de ſolida quadam veritate, vt de ſupradicto decreto Dei æterno, quo ſic Deus dilexit mundum, &c. Ioan.c.3. iuncta cum reuerentia melius valet ad penetrandum myſteriũ quam conſiderationes à longè petitæ, quæ ſatisfactionem quandam potius afferunt quam fructum, & curioſitatem magis quam ſpiritus feruorem & affectum vel actum virtutis. Et reuera hic modus ſimplex meditandi eſt perfectior, excellentior & vtilior quam qui per varias conſiderationes fieri ſolet: nam magis accedit ad modum quo Angeli per nudã & ſimplicem cogitationem ſpiritus, totum myſteriũ apprehendunt, & quo beati omnia nudè vidẽt in Verbo: & huius viæ ſtatui conueniẽtior eſt, in quo per fidem ad Deũ tenditur, quę cum obſcuritatem habeat, in certitudine veritatis ſimplicis ſolidatur, nec patitur obſcuritas cũ qua coniungitur, multiplici ſpeculatione dilatari; quemadmodum cognitio ſimplex primorum principiorum, eſt certa, & in ſcientiis habetur pro perfectiore, nam concluſiones omnes in quas ſcientiæ dilatãtur, ex cognitione primorum principiorum peti ſolent, ita etiam illa veritatum Chriſtianæ religionis nuda & ſimplex cognitio & cogitatio, cum ſummo honore, & humillima ſpiritus demiſſione, cum tanta fidei certitudine melior & perfectior eſt eâ quæ per longos diſcurſus & conſiderationes habetur, & cum ſit remota ab omni animæ ſatisfactione & ſpiritus curioſitate, clariùs & ſecuriùs

cutiùs veritatem mysteriorum penetrat: Et vt in proposito exemplo ex Ioan. c. 3. maneamus, Sic Deus dilexit mundum vt filium suũ vnigenitum daret; quis non videt nudè ac simpliciter summo cum honore apprehenso hoc ineffabili mysterio nullum esse verbum quod animũ non teneat suspensum, nunc in admirationem tantæ maiestatis, tantæ dignationis Dei erga homines peccatores, & ingratos, tanti beneficij futuros immemores. Nunc motiuo tantæ charitatis, Dei ad amorem prouocari, tantæ misericordiæ ad agnitionem miseriæ, ad odiũ & detestationem peccati, tot laboribus & pœnis ad compassionem & similes affectus vel actus virtutis, quos animus coram Deo ex hac simplici cogitatione tam altæ veritatis recipit. Beato Francisco hæc verba D. Pauli, Deus omnia in omnibus, sic erant Iubilus in corde, vt noctem integram in oratione transierit, hæc sæpius repetens: Deus meus & omnia: sic Angeli, sanctus, sanctus, sanctus, incessabili voce proclamant. Hinc Esaias 7. Si non crediderit is non intelligetis. Qui ergo simplicius credũt hæc mysteria perfectius etiã intelligunt. Hinc Christus Io. 5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: non quidem festinantes, sed in corde perscrutantes, sic enim reperitur Christus in eis absconditus, & hæc est, (inquit) vita æterna vt cognoscãt te solum Deũ verum & quem misisti Iesum Christum. Constat igitur hunc orationis modum perfectiorem & vtiliorem esse, quo simplici intuitu animæ, penetrant mysteria omnia, non tanquam absentia aut futura, sed tanquam præsentia, &

Deum

Deum in mysterio abscónditum, quam cùm ex vna consideratione ad aliam transeunt citissimè, vel cum vanitate, & curiositate quadam sese diffundunt, in varias cõsiderationes. Quẽ modum orationis omnibus proponunt, vt per horæ quadrantem, aut per aliquam temporis morulam singulis diebus aliquod mysterium reuereantur, non vt omnes hoc modo vtantur, dum horis matutinis & vespertinis orationi vacant per horam: iis tamen qui in ea sunt dispositione, vt per simplicem cogitationem cum maxima reuerentia diuina mysteria penetrent, consulunt vt semper in oratione illum modum orandi teneant. Illis autem qui ea sic nudè & simpliciter non penetrant, nec tamen possunt per viam considerationis animum per horam occupare, aut per varios affectus in mysterij speculatione quiescere, proponunt vt faciant orationem per praxim virtutis, in illa cæcitate spiritus, siccitate & duritia cordis; orationem vocant: nam cum oratio nihil aliud sit quam eleuatio mentis ad Deum, tunc suadent vt in patientia & humilitate spiritus maneant in illa cogitatione cum reuerentia, cum perfecta resignatione coram Deo, & illam spiritus paupertatem, patientiam, humilitatem & sui resignationem, & seipsos totos referant ad Iesum Christum in honorem suæ derelictionis à Patre æterno, sic enim perutilem & Deo gratissimam orationem facient; donec illis gratiam conferat largiorem ad penetrandum suæ sanctissimæ vitæ mysteria: & introducantur in cellaria eius, & meditatione illorũ exardescat ignis, hæc enim via orãdi eo tendit vt eapossint profundiùs penetrare; & sic tutiùs, securiùs & facilìùs

faciliùs orationis fructum referant.

Illis denique qui tot morbis internis & externis sunt afflicti: tot varijs passionibus agitati: tot malignis tentationibus pressi, vt nec prædictum quidem orandi modum perfacilem tenere, nec alio quouis modo Deo in oratione loqui: sed ne quidem Deum ipsos alloquentem in scripturis sacris audire, & quasi ab eo missas literas legere, & vix eius mandata exequi possint. Quibus consulunt, vt mysteria, & fidei veritates, modo quo possunt honorēt, vel desiderium seruent illas honorandi: Et cogitent Deum non tam honorari actionibus & bonis desideriis, quam ipsomet vitæ suæ statu; pluris facere arborem quam fructum: cogitent se esse filios Dei adoptiuos, in Ecclesiæ suæ statu & congregationis, societatis, religionis vel alio quouis vitæ statu: & hunc suum statum, & seipsos Deo offerant in honorem Iesu Christi prolixius orantis in agonia in oratione Dei pernoctantis, in solitudinibus, in montibus & in cruce: qui pro sua reuerentia exauditus est à Patre, ita & illi qui in suis morbis, passionibus, & tentationibus, orauerint pro medulo, simul arborem & fructum dabunt & ab eo exaudientur.

INDEX

INDEX
EVANGELIORVM
QVÆ IN TEMPLIS DOMINICIS ET ALIIS FESTIS diebus ac feriis leguntur.

ADVENTVS.

DOMINICA 1. Luc. 21. à versu 26. ad 34.
Dominica 2 Matth 11. à ver. 2. ad 11.
Dominica 3. Ioan. 1. à versu. 19 ad 29.
Feria 4. 4. temporum. Luc. 1. à ver. 26. ad 39.
Feria sexta. Luc. 1. à versu. 39. ad 48.
Sabbato. Luc. 3. à versu. 1. ad 7.
Dominica 4. Luc. 3. à versu 1 ad 7.

NATALIS DOMINI.

In vigilia Mat. 1. à versu. 18. ad 22.
In galli cantu. Luc. 2. à versu. 1. ad 15.
In Aurora. Luc. 2. à versu 15 ad 21.
In die natalis Ioan. 1. à versu 1. ad 15.
In die S. Stephani. Matt. 23. à versu 34. ad finem.
In die S. Ioan Euang. Ioan. 21. à versu. 20. ad 25.
In die SS Innoc Matt. 2. à versu. 13. ad 19.
In festo S. Thomæ. Ioan. 10. à versu. 9. ad 17.
Dominica infrà oct Natiuitatis. Luc 2. à versu. 33. ad 42.
In festo S. Sylu. Luc 12. à versu. 35 ad 41.
In circumcisione Domini. Luc. 2. à versu 21. ad 22.
In Vig. Epiph. Matt. 2 à versu. 19. ad finem cap.
In Epiphania. Matt. 2 à versu. 1. ad 13.
Dominica infra oct. Epiph. Luc 2. à versu. 42. ad finem.
In oct. Epiph. Ioan. 1. à versu. 29. ad 35.
Dominica 2. post Epiph. Ioan. 2. à versu. 1. ad 12.
Dominica 3 post Epiph Matt. 8. à versu. 1. ad 14.
Dominica 4. post Epiph. Matth. 8. à versu. 25. ad 28.
Dominica 5. post Epiph. Matt. 13. à versu. 24. ad 31.
Dominica 6. post Epiph. Matt. 13. à versu. 31. ad 36.

Dominica in septuagesima. Mat 20.à vers.1.ad 17.
In sexagesima. Luc.8.à vers.4 ad 16.
In Quinquagesima Luc.18.à v.31.ad finem.
Feria 4. Cinerum Mat.6.à ver.16.ad 22.
Feria 5.Matt.8.à ver.5.ad 14.
Feria 6. Matt.5 vers.43.ad 5.cap.6.
Sabbato.Matt.6 à vers.47.ad finem.
Dominica 1.in Quadragesima.Matt.4.à ver. 1.ad 12.
Feria 2. Mat.25 à v.31.ad fin.
Feria 3.Mat.21.à vers.10.ad 18.
Feria 4.4. temporum.Mat.12.à ver.38.ad finem.
Feria 5.Mat.15.à ver.21.ad 29.
Feria 6.Ioan.5.à vers.1.ad 16.
Sabbato.Matt.17.à vers.1.ad 10.
Dominica 2.Quadragesi.ibid.
Feria 2.Ioan.8.à vers.22.ad 30.
Feria 3.Matt.23.à vers.1.ad 13.
Feria 4.Mat.20. à vers.17.ad 29.
Feria 5.Luc.16.à vers.19.ad finem capitis.
Feria 6.Matt.21.à vers.33.ad finem.
Sabbato. Luc.18.à vers.11.ad finem.
Dominica 3.Luc.11.à vers.14.ad 29.
Feria 2.Luc.4.à vers.23.ad 31.
Feria 3.Mat.18.à vers.15.ad 23.
Feria 4.Mat.15.à vers.1.ad 21.
Feria 5.Luc.4.à vers.38.ad finem capitis.
Feria 6.Ioan.4.à vers.5.ad 43.
Sabbato. Ioan.8.à vers.1.ad 12.
Dominica 4.Ioan.6.à vers.1.ad 16.
Feria 2.Ioan.2.à vers.13.ad finem.
Feria 3.Ioan.7.à vers.14.ad 31.
Feria 4.Ioan.9.à vers.1.ad 39.
Feria 5.Luc.7.à vers.11.ad 17.
Feria 6.Ioan.11.à vers.1.ad 46.
Sabbato.Ioan.8.à vers.12.ad 21.
Dominica de passione Ioan,8.à vers.46.ad finem.
Feria 2.Ioan.7.à vers.32.ad 40.
Feria 3.Ioan.7.à vers.1.ad 14.
Feria 4.Ioan.10.à vers.22.ad 39.
Faria 5.Luc.7.à vers.36.ad finem.
Feria 6.Ioann.11.à vers.47.ad 55.
Sabbato. Ioan.12.à vers.10.ad 37.

Dominica

Dominica Palmarum. Matth. 26. à ver. 2. ad cap. 28.
Feria 2. Ioan. 12. à ver. 1. ad 10.
Feria 3. Marc. 14. ad 16. cap.
Feria 4. Luc. 22. ad 24. cap.
Feria S. Ioan. 13. à ver. 1. ad 16.
Feria 6. in Paraſceue Ioan. 18. ad 20. cap.

IN DIE PASCHÆ.

Mat. 16. à ver. 1. ad 8.
Feria 2. Luc 24. à ver. 13. ad 36.
Feria 3. Luc. 24. à ver. 36. ad 48.
Feria 4. Ioan. 21. à ver. 1. ad 15.
Feria 5. Ioan. 20. à ver. 10. ad 19.
Feria 6. Mat. 28. à ver. 16. ad finem capitis.
Sabbato in Albis. Ioan. 20. à ver. 1. ad 10.
Dominica in Albis. Ioan. 20. à ver. 19. ad finem.
Dominica 2. poſt Paſcha. Ioan. 10. à ver. 11. ad 17.
Dominica 3. poſt Paſcha. Ioan. 16. à ver. 16. ad 23.
Dominica 4. poſt Paſcha. Ioan. 16. à ver. 5. ad 14.
Dominica 5. poſt Paſcha. Ioan. 16. à ver. 23. ad 31.
In Rogationibus. Luc. 11. à ver. 5. ad 14.
In vigil. Aſcenſionis. Ioan. 17. à ver. 1. ad 12.
In die Aſcenſionis. Marc. 16. à ver. 14. ad fin.
Dominica infra oct. Aſcenſ. Ioan. 15. à ver. 26. ad 4. cum dimidio capitis 16.
In vigil. Pentecoſtes. Ioan. 14. à ver. 15. ad 22.
In die Pentecoſtes. Ioan. 14. à ver. 23. ad finem.
Feria 2. Ioan. 3. à ver. 16. ad 22.
Feria 3. Ioan. 10. à ver. 1. ad 11.
Feria 4. Ioan. 6. à ver. 43. ad 52.
Feria 5. Luc. 9. à ver. 1. ad 7.
Feria 6. Luc. 5. à ver. 17. ad 27.
Sabbato. Luc. 4. à ver. 38. ad finem.
In feſto SS. Trinitatis. Matt. 28. à ver. 18. ad fin.
Dominica 1. poſt Pentec. Luc. 6. à ver. 36. ad 43.
In feſto Corporis Chriſti. Ioan. 6. à ver. 55. ad 59.
Dominica infr. oct. Corp. C. Luc 14. à ver. 16. ad 25.
Dominica 3. poſt Pentec. Luc. 15. à ver. 1. ad 11.
Dominica 4. poſt. Pentec. Luc. 5. à ver. 1. ad 12.
Dominica 5. poſt Pentec. Matt. 5. à ver. 20. ad 25.
Dominica 6. poſt Pentec. Marc. 8. à ver. 1. ad 10.
Dominica 7. Mat. 7. à ver. 15. ad 22.
Dominica 8. poſt Pent. Luc. 16. à ver. 1. ad 10.

Dominica 9. post Pent. Luc. 19. à ver. 41. ad 48.
Dominica 10. post Pent. Luc. 18. à ver. 9. ad 15.
Dominica 11. post Pent. Marc. 7. à ver 31. ad fin.
Dominica 12. post Pentec. Luc. 10. à ver. 23. ad 38.
Dominica 13. post Pent. Luc. 17. à ver. 11. ad 20.
Dominica 14. post Pent. Matt. 6. à ver. 24. ad 34.
Dominica 15. post Pent. Luc. 7. à ver. 11. ad 17.
Dominica 16. post Pent. Luc. 14. à ver. 1. ad 12.
Dominica 17. post Pent. Mat. 22. à ver. 36. ad fin.
Feria 4. 4. temp. Sept. Marc. 9. à ver. 17. ad 30.
Feria sexta 4 temp. Luc. 7. à ver. 36. ad finem.
Sabbato 4. temp. Sept. Luc. 13. à ver. 6. ad 18.
Dominica 18. post Pent. Mat. 9. à ver. 1. ad 9.
Dominica 19. post Pent. Matt. 22. à ver. 2. ad 15.
Dominica 20. post Pent. Ioan. 4. à ver. 46. ad fin.
Dominica 21. post Pent. Matt. 18. à ver. 23. ad fin.
Dominica 22. post Pent. Mat. 22. à ver. 15. ad 22.
Dominica 23. post Pent. Matt. 9. à ver. 18. ad 27.
Dominica 24. post Pent. Matt. 24. à ver. 16. ad 36.

PROPRIVM SANCTORVM.

In vigil. S. Andreæ Apost. Ioan. 1. à ver. 35. ad fin.
In festo S. Andreæ Apost. Matt. 4. à ver. 18. ad 23.

DECEMBRIS.

In festo S. Nicolai Ep. C. Mat. 25. à ver. 14. ad 24.
In festo S. Ambrosij Ep. C. Mat. 5. à ver. 13. ad 20.
In festo immaculatæ Conceptiõ B. M. V. Mat. 1. à v. 1. ad 17.
S. Damasi Pap. & Con. Matt. 24. à ver. 42. ad 48.
S. Luciæ V. & m. Mat. 13. à ver. 44. ad 55.
In vigil. S. Thomæ Ap. Ioan. 15. à ver. 12. ad 17.
S. Thomæ Apost. Ioan. 20. à ver. 24. ad 30.

FESTA IANVARII.

S. Hilarij. Ep. c. Matt. 5. à ver. 13. ad 20.
S. Pauli primi Eremitæ. Mat. 11. à ver. 25. ad fin.
S. Marcelli Pap. & mar. Matt. 16. à ver. 24. ad 28.
In Cathedra S. Petri. Mat. 16. à ver. 13. ad 20.
S. Marij & Soc. m. Matt. 24. à ver. 3. ad 14.
SS. Fabiani & Sebast. m. Luc. 6. à ver. 17. ad 24.
S. Agnetis V. & m. Matt. 25. à ver. 1. ad 14.
S. Timothei Ep. m. Luc. 14. à ver. 26. ad 34.
In Conuer. S. Pauli. Matt. 19. à ver. 27. ad 30.
S. Polycarpi Ep. & m. Matt. 10. à ver. 26. ad 33.

S. Chry-

S. Chryſoſt. Ep. conf. Matt. 5. à ver. 13. ad 20.
S. Agnetis ſecundò. Mar. 13. à ver. 44. ad 55.

FEBRVARII.

S. Ignatij Ep. & m. Ioan. 12. à ver. 24. ad 27.
In feſto purific. B. V. Luc. 2. à ver. 22. ad 33.
S. Blaſij. Ep. & m. Matt. 16. à ver. 24. ad 28.
S. Agathæ v. & m. Mat. 19. à ver. 3. ad 13.
S. Dorotheæ V. & m. Matt. 13. à ver. 44. ad 55.
S. Romualdi Abb. Luc. 12. à ver. 35. ad 41.
S. Apolloniæ V. & m. Matt. 25. à ver. 1. ad 14.
Sancti Valentini. Preſb. m. Matt. 16. à ver. 24. ad 28.
SS. Fauſtini, & Iouitæ m. Matt. 24. à ver. 3. ad 14.
S. Simeonis Ep. & m. Luc. 14. à ver. 26. ad 34.
In Cathedra Antiochena Matt. 16. à ver. 13. ad 20.
In Vigil. S. Matthiæ Apoſt. Ioan. 15. à ver. 12. ad 17.
S. Matthiæ Apoſtoli Matt. 11. à ver. 25. ad fin.

MARTII.

S. Lucij Papæ & Mart. Matt. 16. à ver. 24. ad 28.
S. Thomæ de Aquino Matt 5. à ver. 13. ad 20.
SS. Quadraginta Mart. Luc. 6. à ver. 17. ad 24.
S. Gregorij Papæ c. d. Matt. 5. à ver 13. ad 20.
S. Ioſeph. c. Matt. 1. à ver. 18. ad 22.
S. Benedicti Abb. Luc. 12. à ver. 35. ad 41.
In Annunciatione B. V. Luc. 1. à ver. 26. ad 39.

APRILIS.

S. Fran. de Paula. Luc. 12. à ver. 32. ad 35.
S. Leonis Pap. conf. Matt. 16. à ver. 13. ad 20.
SS. Tiburtij Valeriani, &c. Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.
S. Aniceti Pap. m. Ioan. 16. à ver. 20. ad 23.
SS. Soteris Caij, &c. Mart. Ioan. 15. à ver. 5. ad 12.
S. Georgij m. Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.
S. Marci Euangeliſtæ. Luc. 10. à ver. 1. ad 10.
SS. Cleti & ſoc. m. Ioan. 15. à ver. 5. ad 12.
S. Vitalis Martyris. Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.
S. Petri Martyris Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.

MAII.

SS Apoſt. Philip. & Iacobi. Ioan. 14. à ver. 1. ad 14.
S. Athanaſij Ep. & con. Matt. 10. à ver. 23. ad 29.
Inuentio S. Crucis. Ioan. 3. à ver. 1. ad 16.
S. Monicæ viduæ. Luc. 7. à ver. 11. ad 17.
S. Ioannis ante Portam Latin. Matt. 20. à ver. 20. ad 24.
S. Stanislai Ep. m. Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.

In apparitione S. Michaelis Mat. 18. à ver. 1. ad 11.
S. Gregorij Nazian. Mat. 20. à ver. 26. ad 33.
SS. Gordiani & Epimach, m. Ioan. 15. à ver. 5. ad 12.
SS. Nerei, Achilei & Domitillæ verſ. atque Pancratij. m. Ioan. 4. à ver. 46. ad 54.
S. Bonifacij m. Ioan. 15. à ver. 1. ad 8.
S. Vbaldi Ep. con. Matt. 15. à ver. 14. ad 24.
S. Pudentianæ virg. Matt. 25. à ver. ad 14.
S. Vrbani Pap. m. Matt. 25. à ver. 14. ad 24.
S. Eleutherij Pap. & m. Luc. 14 à ver. 26. ad 34.
S. Ioannis Pap. & m. Matt. 16. à ver. 24. ad 28.
S. Felicis Pap. & m. Luc. 14. à ver. 26 ad 34.
S. Petronillæ virg. Matt. 26. à ver. 1. ad 14.

I V N I I.

SS. Marcellini & ſoc. m. Luc. 21. à verſ. 9. ad 20.
SS. Primi & felician. m. Matt. 11. à ver. 25. ad fin.
S. Barnabæ Apoſt Matt. 10. à ver. 16. ad 23.
SS. Baſilidis, Cyrini, &c. m. Matt. 24. à ver. 3. ad 24.
S. Antonij de Padua. c. Luc. 12 à ver. 35. ad 41.
S. Baſilij Magni Ep. c. Luc. 14 à ver. 26. ad 34.
SS. Viti, &c. Martyrum Luc. 10. à ver. 16. ad 21.
SS. Marci & Marcellian. m. Luc. 11. à ver. 47. ad 52.
SS. Geruaſi & Protaſij, m Luc. 6. à ver. 17. ad 24.
S. Syluerij Pap. m Luc. 14. à ver. 26. ad 34.
S. Paulini Ep. & conf. Luc. 12 à ver. 32. ad 35.
In Vigil. S. Ioan. Baptiſtæ. Luc. 5. à ver. 1. ad 18.
In Natiuit. S. Ioan Baptiſt. Luc. 1. à ver. 57. ad 69.
SS. Ioannis & Pauli, m. Luc. 12. à ver. 2. ad 9.
S Leonis Pap &c. Matt. 25. à ver. 14. ad 24
In vigil. Apoſtolorũ Petri & Pauli Ioan. 21. à ver. 15. ad 19.
SS. Apoſt. Petri & Pauli Matt. 16. à ver. 13. ad 20.
In commen. S. Pauli Ap. Mat. 10. à ver. 16. ad 23.

I V L I I.

Viſitationis B. M. V. Luc. 1. a ver. 39 ad 48.
Infra Octau. Ap. Petri & Pauli Matt 19. à ver 27. ad 36.
SS. Sanctorum ſeptem fratrum Matt. 12. à ver. 47. ad finem.
SS. Naboris & Felicis, m. Luc. 21. à ver. 9. ad 20.
S. Anacleti. Pap. & m. Luc 14. à ver. 26. ad 34.
S. Bonauenturæ Ep. &c. Matt. 5. à ver. 13. ad 20.
S. Alexij Con. Mat. 19. à ver. 27. ad 30.
S. Symphoroſæ cũ ſeptẽ filijs matt. Luc. 12. à ver. 1. ad 9.

S. Margaritæ

S.Margaritæ virg.& m.Mat.13.à verſ.44.ad 55.
S.Praxedis virg.Matt.13.à verſ.44.ad 55.
S.Mariæ Magdalenæ.Luc.7.à verſ.36 ad finem.
S.Apollinaris Ep.& m.Luc.22.à verſ.24.ad 31.
Vigil.S.Iacobi Ap.Ioan.15.à verſ.12.ad 17.
In die S.Iacobi Apoſt.Mat.20.à ver.20 ad 24.
S.Annæ matris B.Mariæ Virginis.Mat.13.à v.44.ad 55.
S.Pantaleonis mart.Matt.10.à verſ.26.ad 33.
SS.Nazarij Celſi m.Luc.21 à v.9.ad 20.
S.Marthæ Virginis. Luc.10.à verſ.38.ad fin.
SS.Abdon & Sennen,m.Matt 5.à verſ.1.ad 13.

AVGVSTI.

S.Petri ad vincula.Mat.16.à verſ.13 ad 20.
S.Stephani Pap.& m.Mat.16.à verſ 24.ad 28.
In Inuentione S.Stephani protomartyris.Mat.23.à verſ. 34.ad fin.
S.Dominici conf.Luc.12 à verſ.35.ad 41.
In dedicatione ſanctæ Mariæ ad Niues Luc.11.à ver.27. ad 29.
Transfigurationis domini. Mat.17.à verſ.1.ad 10.
S.Donati Ep.& m.Marc.13.à verſ.33.ad finem.
SS.Cyriaci,Largi &c. m. Mat.c.16.à v.15.ad 19.
S.Laurentij m.Matt.16.à verſ 24.ad 28.
In vigil.Aſſumptionis.Luc.11.à verſ.27.ad 29.
In die Aſſumptionis.Luc.10.à verſ.28.ad finem.
In oct.S.Laurentij Ioan.12.à verſ.24 ad 27.
S. Bernardi Abbatis.Mat.19.à verſ.27.ad 30.
In vigil.S.Bartholomæi. Ioan.15.à verſ.12 ad 17.
In die S.Bartholomæi.Luc.6 à v.12.ad 20.
S.Ludouici confeſſ.Luc.19.à verſ.12.ad 27.
S.Zephirini Pap.& m.Matt 16.à verſ.24.ad 28.
S.Auguſtini Ep & con.Matt 5.à verſ.13.ad 20.
In decollat.S.Ioan.Bapt.Marc.6.à verſ.17.ad 30.
SS.Felicis & Adaucti m.Luc.10.à verſ.16.ad 21.

SEPTEMBRIS.

S.Ægidij Abbatis Mat.19.à verſ.ad 30.
In Natiuitate B.Mariæ Mat.1 à verſ.1.ad 17.
S.Nicolai de Tolentino.Luc.12 à verſ.32.ad 35.
In exaltatione S.Crucis Ioan 12.à verſ 31.ad 37.
SS.Cornelij & Cyprian. mart. Papæ Luc. 21.à verſ. 9. ad 20.
SS Ianuarij Ep.& ſoc.m.Matt.24.à verſ.3.ad 14.

In Vigil.S.Matthæi Apost.Luc.5.à ver.27.ad 33.
S.Matthæi Apostoli.Matt.9.à vers.9.ad 14.
SS.Mauritij & soc.m.Luc.21.à vers.9.ad 20.
S.Lini Pap.& mar.Luc.14.à vers.26.ad 34.
SS.Cypriani & Iustinæ,m.Matt.24.à vers.3.ad 14.
SS.Cosmæ & Damiani.m.Luc.6.à vers.17.ad 24.
In dedicatione S. Michaëlis Archangeli.Mat.18.à vers.1. ad 11.
S.Hieronymi conf.Matt.5.à vers.13.ad 20.

OCTOBRIS.

S.Remigij Epis.& conf.Matt.25.à vers.14.ad 24.
S.Francisci conf.Matt 11.à vers.25.ad fin.
S.Brunonis conf.Luc.12.à vers.35.ad 41.
S.Brigittæ viduæ. Matt.13.à vers.44.ad 55.
S.Marci Pap.& conf.Matt.24.à vers.42.ad 48.
SS.Dionysij & soc.m.Luc.12.à vers.1.ad 9.
S.Calixti Pap.& m.Mat.10.à vers.26.ad 33.
S.Lucæ Euangelistæ.Luc.10.à vers.1.ad 10.
S.Hilarionis Abbatis.Matt.19.à vers.27.ad 30.
SS.Chrysanthi & Dariæ m.Luc.11.à vers.47 ad 52.
In vigil Ap.Simonis & Iudæ.Ioan.15.à vers.1.ad 8.
SS.Apostolorum Simonis & Iudæ.Ioan.15.à v.17.ad 26.
In vig.omnium Sanctorum.Luc.6.à vers.17.ad 24.

NOVEMBRIS.

In festo omnium Sanctorum.Matt.5.à vers.1.ad 13.
SS.Typhonis & soc.m.Luc.12.à vers.1.ad 9.
S.Martini Ep.& conf.Luc.11.à vers.33.ad 37.
S.Martini Pap.& m.Luc 14.à vers.26.ad 34.
S.Gregorij Thaumaturgi Marc.11.à vers.23.ad 25.
S.Pontiani Pap.& m.Matt.10.à vers.26.ad 33.
In præsentatione B M.Luc.11.à vers.27.ad 29.
S.Cæciliæ Virg.& m.Matt.25.à vers.1 ad 14.
S.Clementis Papæ & m.Matt.24.à vers.42.ad 48.
S.Chrysogoni,m.Matt.10.à vers.34.ad finem.
S.Catharinæ Vir.& m.Matt.25.à vers.1.ad 14.
S.Petri Alexandrini Ep. & mart. Luc. 14. à versu 26. ad 34.
In dedicatione Ecclesiæ. Luc.19.à vers.1.ad 11.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1-6-3

Digitized by Google